


I. Guidi

SCRIPTORUM
VETERUM
NOVA COLLECTIO.

SCRIPTORUM VETERUM

NOVA COLLECTIO

E VATICANIS CODICIBUS EDITA

AB A. M.

TOMUS X.

ROMAE

TYPIS COLLEGII URBANI

M· DCCC· XXXVIII·

EDITORIS PRAEFATIO.

I. Praediti celsis dignitatibus homines, qui ad regendam Dei ecclesiam curas suas transtulerunt, nihil fere suo muneri utilius vel magis necessarium facere possunt, quam diversorum populorum, unde grex christianus componitur, sacros ritus, leges, consuetudines, religiosam denique politiam cognoscere. Itaque ut is, qui administrandae in humanis negotiis reip. operam dat, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Polybium, Plutarchum, iuris libros basilicos; et ex latinis Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Livium, Tacitum, Iustiniani pandectas, et hodiernos demum politicos, leget ac meditabitur; ita ecclesiasticus rector, praeter sanctos Patres dogmatis disciplinaeque christianae doctores, iuris canonici regulas in episcopalibus synodis conditas, atque eius scientiae praecipuos tractatores, diurna nocturnaque manu versabit; quorum quidem librorum latini graecive commemoratione non indigent, qui quotidiano usu teruntur: quamquam in graecis e multis qui latent, unum saltem adhuc velim librum canonicum exsuscitari, id est Photii patriarchae Syntagma canonum, quod ego in codicibus mss. superesse scio; elaboratum opus, duabus partibus constans, nempe et decretorum synodicorum, et imperialium legum collectione; ex quo non modicae molis corpore Nomocanonem deinde suum Photius composuit, quem solum in impressis libris habemus, et est Syntagmatis quoddam breviarium. Ecclesiae copticae alexandrinae librum canonicum nondum luce donatum legimus; sed extat ms. idiomate arabico ad usum eius ecclesiae conditus a Macario presbytero Nomocanon ingens in tomos duos distributus, qui sunt duo codices arabici vatt. 149. 150, a me in tomo quarto Scriptorum veterum enumerati. Prior autem ex his est ipse codex famigeratus, ex quo olim Baptista Aelianus S. I. in urbe Chaira canones arabicos 84. descripsit, qui ab orientalibus dicuntur nicaeni, ignoti quidem veteribus Graecis atque Latinis, sed in Conciliorum demum collectionem admissi, de quibus criticorum sacrorum iudicia extant; nam si minus incerti vel recentiores sunt, ii certe aliqua interpolatione non carent (1). Hunc, inquam, codicem Iosephus Sim. Assemanus ea in urbe a patriarcha Coptorum Iohanne emit, atque in bibliothecam vaticanam, Clemente XI. pontifice, feliciter intulit, quem siquis apud nos eruditus, talem tantumque canonici iuris acervum, usui publico addicet, praeclare enimvero de ecclesia Dei merebitur. Supersunt tres

(1) Vid. Assem. B. O. T. I. p. 195, nec non Concil. nicaen. praef. ad. canones arab.

in Oriente christianae gentes, ritu liturgico et constitutione ecclesiastica differentes, Syri videlicet, Chaldaei, Armenii, quorum sunt plurimi canones, neque tamen hactenus ad occidentalium notitiam quantum opus est translati. Cum horum populorum pastoribus (eos intelligo qui fidem orthodoxam retinent) frequentem romana Sedes tractatum habet, sive dum ipsorum quaesitis respondendum est, sive dum abusibus occurrendum, sive cum conciliandae lites, sive eum haereticorum conversio curanda, sive denique in variis christianae vitae casibus ac necessitatibus. Quae omnia quum ipsorum moribus institutisque ac regulis, quantum fas aequitasque patitur, accommodanda sint, peropportune fieri putavi, si praecipuos ipsorum canones ex auctoribus vel collectionibus apud eosdem maxime famigeratis, considerationi studioque nostro exhiberem, ne forte aliquando

Aut Ararim Parthus bibat, aut Germanus Araxem,
Aut syrus in Tiberim totus decurrat Orontes.

Nempe ut Romani veteres suum cuique populo municipale ius conservabant, ita sapientissimis ecclesiae romanae patribus semper hoc fuit placitum, ut singulae gentium ecclesiae ritu suo statutisque maiorum viverent; eaque tantummodo vetita atque emendata identidem sunt, quae vel fraus, vel haeresis, vel supina inscitia, vel quodlibet infirmitatis humanae vitium contra fidei catholicae puritatem sanctitatemve morum invexerant. Nunc ergo de Chaldaeorum, Syrorum, Armeniorumque Collectionibus, quas damus, canonum singillatim dicendum est.

Ebediesu Sobae, id est Nisibis, metropolitae
collectio canonum synodicorum.

II. Ebediesu sobensis quod diximus opus, Aloisius Assemanus, Iosephi Simonii Assemani ex fratre nepos, et alterius Assemani Stephani Evodii consobrinus, transtulit e syro-chaldaico idiomate in latinum, humili sane stilo, vocabulis haud semper Latio cognitis, quodque incommodius est, phrasi quandoque obscura, sensuque ambiguo; ita ut classicus elegansque Ebediesu syrismus invenuste oppido repraesentetur, etiamsi ego permultis locis seu vocabulis medicam, ut potui, manum adhibuerim: id quod de interpretatione quoque Nomocanonis Abulpharagii ab eodem A. Assemano curatae repetendum postea erit. Dicet aliquis; cur ergo idem Assemanus in impressis libris, puta in chaldaeorum patriarcharum catalogo, latinitate plerumque sana politaque utitur? Ego id accidisse arbitror, quia ut alibi dixi (T. IV. praef. p. X.) solebant Assemani, antequam sua scripta typis committerent, peritioribus latinitatis hominibus perpolienda committere; id quod nondum Aloisius neque in Ebediesu neque in Abulpharagio, utpote adhuc

in scrinio apud se positis, faciendum curaverat. Ego vero quid agerem, qui neque syriaca ad manus exemplaria, neque Assemanum interpretem apud me habebam? Etsi enim textum Ebediesu syriaticum post latinum subtexui, id sero contigit, invento scilicet illo urbani collegii codice, quem Assemanus (ut infra dicetur) frustra quaesierat, deperditumque putabat. Neque idcirco despondi animum, neque codicis latini, qui in meam potestatem venerat, opportunitatem mihi elabi passus sum: nam secus, in infinitum fortasse tempus editio differri poterat: ecce enim centum fere abhinc annis A. Assemanus interpretem egit; eius vero scriptus liber tamdiu hactenus iacuit, diutius fortasse in tenebris sine sedulitate nostra quieturus. Accidit itaque ut latinam Assemani interpretationem dederim codicum vaticanorum, quos currente editione non vidi; qua demum profligata, syriacum collegii urbani exemplar nactus sum, quod commoditate illectus imprimendum curavi. His de fato editionis summatim dictis, praefationem ms. A. Assemani ad tomum I. haud sane integram, sed quatenus ad rem nostram pertinet, carptim dabo. Secundi vero tomi praefationem totam omittam, quia nihil fere habet, quod non latius sit dictum tum ab ipso Aloisio in praefatione ad catalogum patriarcharum chaldaeorum, tum a Iosepho Simonio in magno suo de Nestorianis volumine.

Ex praefatione ms. ad tomum I.

III. Plures ad haec usque tempora collectiones canonum a Chaldaeis ac Nestorianis factae noscuntur, de quibus vide Assemanum seniorem tom. III. B. O., et nostrum Commentarium de patriarchis et catholicis Chaldaeorum ac Nestorianorum. At, me iudice, Collectio omnium melior et ordinatior est illa quam saeculo XIV. ineunte fecit clarissimus inter Syros Nestorianos metropolita Ebediesus sobensis: cuius Collectio a Nestorianis in plenaria ipsorum synodo coacta a Timotheo II. eius gentis catholico (i. e. universali) patriarcha anno Christi 1318. fuit comprobata, atque in publicum fori ecclesiastici usum praescripta. Igitur hic Ebediesus sobensis (ut missa faciam plurima alia eiusdem volumina, quae hactenus delitescunt, si excipias catalogum Scriptorum ecclesiasticorum, quem syro-latine vulgavit commentariis subiectis Assemanus senior tom. III. B. O. (1)) opus suum in duos divisit tomos, quorum prior in quinque tractatus distribuitur. Et priori quidem volumini Sobensis epitomen canonum constitutionumque apostolicarum, alteri vero praedictam Timothei synodum praemittit. Sobensis in praefatione scribit, se Tatiani, qui evangelia quatuor in unum digessit, exemplum secutum, synodorum canones patrumque statuta in unum volumen collegisse, idque opus peregisse in dignitate archiepiscopali iam constitutum (2). Bina huius Collectionis exemplaria extant in bibliotheca vaticana;

(1) Editis adde iam librum de christianae religionis veritate in hoc nostro volumine obvium.

(2) In praefatione quidem libri I. ait Ebediesus se nondum apicem sacerdotii consecutum; verumtamen sub initium secundi tomi p. 97. et 98. dicitur Nisibis metropolita.

primum in cod. syr. vat. XIV. (nunc CXXIX.) priorem huiusce collectionis tomum integrum continens, cum nonnullis capitulis secundi tomi, exaratum anno Christi 1557. Alterum in cod. syr. IV. (nunc CXXX.) exaratum anno Christi 1332. (uti ex adnotationibus amanuensium in altero tomo editionis recitandis apparet) quatuordecim scilicet annis ab obitu auctoris. Codex hic est mutilus in principio, atque laceris foliis, et persaepe male assutis atque compactis: quae tamen desunt, curavimus supplere ex priore codice (1). Extabat quidem ante annum 1753. in bibliotheca collegii urbani aliud exemplar recentius, nitido charactere exaratum, et integrum, quod non semel ego ipse conspexi; sed nescio quo fato ab eo anno illud reperire non licuerit (2). Denique inter codices mss. domesticos relictos a Iosepho Simonio Assemano patruo, extat codex signatus n. XCVIII. (3) in 4. nitidissime exaratus, continens primum tomum collectionis. Bina illa vaticana exemplaria auctoritate Pii VI. P. M. commodata mihi extra bibliothecam fuerunt, quò latine ea redderem, retenta quoad liceret phrasi ac idiotismo chaldaicis (4). Qua animi promptitudine superioribus annis libros missales, rituales, pontificales Ecclesiae syro-chaldaicae ac Nestorianorum in latinum sermonem verti, eiusdemque generis libros Syrorum missales, inquam, rituales, pontificales, atque officia ecclesiastica, nec non ipsorum Nomocanonem (5) maxime Iacobitarum, in latinam pariter linguam converti, eâdem et fortasse maiore hanc canonum collectionem convertere studui; ratus laborem hunc meum Ecclesiae commodo cessurum ad dubia, controversias, quaestionesque circa disciplinam, leges, ritus, caerimoniasque sacras, fidemque Chaldaeorum ac Nestorianorum ad hanc Petri cathedram delatas componendas, dirimendas, et resolvendas. Usus autem sum ad hanc editionem utroque codice vaticano, antiquiore scilicet ac recentiore. Nonnullas etiam adnotationes subieci, et glossas etiam aliquot, quae in codicibus rubro charactere denotabantur.

IV. Hactenus Aloisii Assemani praefatio. Quandoquidem vero idem Assemanus in raris ac brevibus quas Sobensi subiecit adnotationibus, neque historicos Auctoris errores neque theologicos pro rei dignitate coarguit, placet nobis aliunde refutationem hanc diligentius accersere. Etenim Iosephus Assemanus in tertio B. O. tomo p. 332. seqq. Sobensis nostri opus in catalogi serie describit, criticamque in illud exercet artem; unde nos articulos aliquot carptim sumemus.

(1) De utroque codice CXXIX. et CXXX. diligenter loquuntur duo Assemani Iosephus et Stephanus in catalogo codicum syr. vat., quem librum ignorasse videtur Aloisius, quia nondum fortasse in publicum usum devenerat.

(2) Idem ait infra p. 105. not. 2. Cur autem A. Assemanus codicem hunc reperire nequiverit, nescio. Ego quidem eum paulo serius, sed tamen aliquando inveni et edidi; hunc inquam prae ceteris, quia solus ad manus erat.

(3) Nunc est vaticanus syr. CCCLV, in supplemento Catalogi a me edito T. V. part. 2. p. 38. Etenim litterariam Assemanorum hereditatem in bibliothecam vat. transisse, dixi tom. cit. praef. p. XXX.

(4) Praeter exiguam latinitatis peritiam, haec altera causa fuit, cur A. Assemanus Ebediesum aeque et Abulpharagium semibarbaro stilo interpretatus sit.

(5) Abulpharagii scilicet.

Tract. I. cap. 3. Ad historiam synodi I. nicaenae Marutha auctore, ait: fabulosa est et Maruthae supposita, ut suo loco ostendam, ubi de synodis. Praeterea T. I. p. 195. de genuina Maruthae historia ait: opus vere aureum, sed proh dolor! necdum inventum; fortasse una cum aliis ecclesiasticae historiae monumentis in aliquo Syriae angulo tineas pascit. Cap. 5. ad nomina episcoporum, qui concilio nicaeno subscripserunt, ait: longum esset errores in descriptione tam episcoporum quam episcopatuum heic commissos referre. Sed, ut bene animadvertit Binius in notis ad subscriptiones patrum nicaenorum, nihil est in auctoribus temporum iniuriae et librariorum erroribus magis expositum, quam propria locorum personarumque nomina. Tract. II. cap. 1. Sexaginta quinque gradus virorum totidemque feminarum enumerat, quibus nubere apud Nestorianos fas esse negat; sed ab ecclesiae catholicae ritu mirum quantum recedit. Cap. 7. Iesuboehti auctoritatem adducit docentis matrimonium ratum (immo agitur de sponsalibus) non consummatum, ex pari utriusque consensu dirimi posse. Cap. 11. Episcopo id permittente, monachis nuptias monialibusque concedit Sobensis, ex impura nimirum Barsumae doctrina, de qua vide tom. I. p. 403. Denique cap. 13. citat Ambrosium, quem episcopum et martyrem perperam vocat. Sic infra cap. 16. Tract. IX. cap. 1. Quinque patriarchas enumerat Sobensis, romanum scilicet, alexandrinum, antiochenum, constantinopolitanum, et seleuciensem seu babylonicum, eorumque institutionis causam refert. Subiungit in confirmationem eorum, quae dixit, canones nicaenos duos, qui respondent arabicis per Ecchellensem editis 37. 38. 39. Verum multa hic peccat auctor, quae non vacat singula exponere. Duo tamen silentio minime praetereunda sunt, quae seleuciensi seu babyloniae sedi ab ipso perperam tribuuntur; nimirum quod patriarchalis eius dignitas ad apostolorum tempora referatur, et quod quintus ipsi locus inter ecclesias patriarchales adiudicetur. Nam ex nicaenis ipsis canonibus, quos hic Sobensis laudat, utrumque plane tamquam falsum refellitur, palamque fit a nicaenis patribus eam dignitatem tum primum seleuciensi ecclesiae attributam fuisse; nec quintum, ut ipse perperam scribit, sed septimum eidem locum assignatum, post romanum scilicet, constantinopolitanum, alexandrinum, antiochenum, ephesinum, et hierosolymitanum pontifices. Verba canonis arabici 39. haec sunt: *et sit eius* (hoc est seleuciensis episcopi) *sessio in ordine septima post episcopum hierosolymitanum*: quae a Sobensi dolo malo omissa sunt, quod adserto babylonicis patriarchis privilegio repugnarent. Cap. 5. profert Sobensis canones quibus ostenditur, ut ipse putat, potestas patriarchae seleuciensis ad universa Christianorum negotia, honorque qui ab universis ipsi debetur. Caput mendacii est duplex synodica epistola occidentalium ad orientales transmissa; prior quidem de institutione patriarchatus seleuciensis, altera vero qua declarant illum patriarcham supremum orientalium iudicem, ipsumque solius Christi iudicio subiectum esse. (Iamvero utramque epistolam demonstrat spuriam et impia fraude confictam Assemanus tom. cit. p. 57-59. et plenam absurditatibus et historicis contradictionibus; quibus expositis ita concludit:) haec aliaque argumenta, suadere mihi videntur, utramque epistolam ex uno eodemque fonte promanasse, nimirum ex canonibus nicaenis, (nempe ex ipsorum occasione) quos arabicos vulgo appellamus: *quum enim in iis de dignitate primatuque seleuciensis ecclesiae quaedam statuta reperiantur, ea statim Nestoriani arripuerunt*, (ut recte animadvertit Renaudotius tom. I.

zaeum scripsisse illas quas ego edidi (1) epistolas, vix est dubitandum. Fortasse vero Iohannes odae auctor, ille est catholicus vir egregius, qui defensionem chalcedonensis synodi edidit, et cum Severo monophysita certavit, et demum gazenses insulas pro sui recti dogmatis merito consecutus est; de quo homine in praefatione noni voluminis verba feci; et quem, ut reor, epistolis 11. 35. 96. 98 Procopius gazaeus alloquitur. Sequitur in codice Iohannis eiusdem ἐπιθαλάμιος σχεδιασθεὶς εἰς τὸν θαυμασιώτατον Ἀνατόλιον Φαύστου καὶ πρῶτα φέροντα Γάζης: ubi haec prae ceteris venusta stropha est:

δότε μοι πόθου κύπελλον
γλυκερῆς βρύον μελίσσης,
ἵνα τὰς φρένας συνάπτων
νεονυμφίων χορεύσω.

Quippe et hic fortasse Anatolius est, ad quem epistolam 72 Procopius meus perscribebat. Denique, ut huius Iohannis notitiam absolvam, leguntur eius aliae in codice odae 1. ἐπιβατήριος, qui est lusus incipiens ab heroico et desinens in anacreonticum metrum. 2. εἰς τὴν ἡμέραν τῶν ῥόδων μετὰ τοῦ εἰπεῖν τοὺς φοιτητάς. 3. λόγος ὃν ἐπεδείξατο ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ῥόδων ἐν τῇ ἑαυτοῦ διατριβῇ. 4. τίνας εἴποι λόγους ἡ Ἀφροδίτη ζητοῦσα τὸν Ἀδώνιν· ἀντιφθέγγεται δὲ πρὸς ταύτην ὁ Ζεύς, ἔπος πρὸς ἔπος ἀμειβόμενος. 5. Τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ Διόνυσος τοῦ ἔαρος ἐληλυθότος, quae ode deesse videtur.

IX. Quum ergo hunc inspicerem codicem, haud certe oculos in uno Iohannis gazaei nomine defigendos putavi, praesertim quia non Allatii tantummodo codex in conspectu erat, sed et aliud in magno pretiosarum chartarum acervo deprehendi exemplar, Vernatiae ut puto manu confectum, eorumdem melodorum; quorum haec sunt nomina et operum tituli I. Τοῦ ἁγίου Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων 1. εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς θεοτόκου. Statim Sophronius bonum dat testimonium invocationi Sanctorum, ac nominatim B. Virginis. Sic enim in primis huius et sequentis carminis strophis:

ἀπὸ πνεύματος θεοῖο
ἐπ' ἀποστόλους μολοῦντος
πυρίνην ἐμοὶ παράσχοις
Μαρίη λιτῇσι γλῶσσαν.
ἄγε μοι θεοῖο πνεῦμα
Μαρίη πάλιν λιτῇσι,
ἵνα καὶ τόκον πρεπόντως
τέον ἔνθεον λιγαίνω.

2. εἰς τὴν Χριστοῦ τοῦ θεοῦ γέννησιν; de quo argumento extat etiam eiusdem S. Sophronii homilia. 3. εἰς τὴν τῶν μάγων προσκύνησιν. 4. εἰς τὴν ἀπαντὴν τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ, quam oden edidit Allatius in diatriba de Simeonibus. 5. εἰς τὴν Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν βάπτισιν. 6. εἰς τὸ περὶ τὸν Λάζαρον θαῦμα τοῦ μεγάλου θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. 7. εἰς τὴν βαϊαπάντησιν τοῦ κυρίου. 8. εἰς τὸ μυστικὸν καὶ θεῖον δεῖπνον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ θεοῦ: ubi loquens de magno mysterio ait:

(1) Classic. AA. T. IV.

φάος ὡς κόμισσεν ἄρτον
ἱερῶν δίδωκε μύσταις,
τὸ δ' ἐμὸν φάγοιτε σῶμα
εἰς ἁμαρτάδων καλύπτρην.

χαρίεν δέπας κεράσσας
τάδε τοῖσι δῶκε λέξας,
τὸ δ' ἐμὸν πίοισθε αἷμα
τὸ ἁμαρτίας σκυλεῦον.

Viden veram corporis sanguinisque praesentiam, non figuratam ut haeretici blaterant? Viden κεράσσας *calicem temperans*, contra suppositum, ut puto, ab haereticis Macario hierosolymitano canonem de mero adhibendo? Nempe et liturgia S. Iacobi (ut dixi ad can. armen. p. 272.) Macario antiquior, et Sophronius paulo recentior, traditionis optimi testes, obtrusam Macarii sententiam invicte repellunt. Prosequitur Sophronius: 9. εἰς τὸν ἅγιον Παῦλον τὸν ἀπόστολον - ἀρετῶν μέλιττα Παῦλε etc. 10. εἰς τοὺς ἀγῶνας τοῦ ἁγίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου, quod argumentum prosa quoque oratione, quae partim extat, Sophronius illustravit. 11. εἰς Ἰωάννην τὸν θεολόγον, quem Salomes filium appellat. De ipsa autem Salome canit:

ζαθέου γὰρ ἦν Ἰωσὴφ
Σαλώμη τόκος σαόφρων,
ὃς ἐμοῦ θεοῖο Χριστοῦ
γενέτης μόνον καλεῖτο.

Qua super re tamen videsis Sandinium in famil. sacr. de S. Ioseph. 12. εἰς τὸν πρωτομάρτυρα Στέφανον. 13. εἰς τὴν πρωτομάρτυρα Θέκλαν. 14. εἰς τὴν ἅλωσιν τῆς ἁγίας πόλεως τὴν ὑπὸ Περσῶν γενομένην; eius tamen odae unicus superest versus primus ἁγία πόλις θεοῖο: sed in patrum bibliotheca lugdun. T. XII. legitur soluta oratione Sophronii dictio, in qua illius calamitatis periculum innuitur. 15. εἰς τοὺς ἁγίους μάρτυρας αἰγυπτίους, cuius nonnisi tredecim remanent postremi versus. Extat de iisdem Chrysostomi oratio. 16. εἰς Ναρσῆν ἐπίσκοπον Ἀσκαλῶνος καὶ περὶ δογμάτων. Addendus ergo est hic Narses paucissimis enumeratis a Lequinio episcopis ascalonensibus. Erat hic Thomae filius, patria smyrnaeus, virtutibus ac praesertim liberalitate erga pauperes conspicuus, et apprime catholicus, in mediis monophysitis. Ita enim Sophronius de eius misericordia rectoque dogmate canit: τροφέα βλέπεις πενήτων - πάλιν ὀρφανῶν τοκῆα.

παρὰ παρθένου δὲ σῶμα
Μαρίας λέγει λαβόντα,
δι' ὃ καὶ φύσεις ἀτρέπτους
ἀλύτους δύο διδάσκει.

17. εἰς τὸν τίμιον σταυρὸν, in cuius laudem duo quoque extant Sophronii sermones. Incipit carmen a Persarum, qui crucem Christianis reddiderant, abscessu:

ἀσεβῶν χρόνος παρῆλθε,
ἀγαθὴ χόρευε πίστις,
ἀθέων νέφος ἐλάσθη,
κιθάρῃ μέλισδε χάρμη.

18. εἰς τὴν ἀνάληψιν καὶ εἰς ἑαυτόν. 19. εἰς τὸν πόθον ὃν εἶχε εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν καὶ εἰς τοὺς σεβασμίους τόπους, carmen sane lectu iucundum, et propter locorum notitiam eruditum. 20. εἰς ἑαυτὸν ἤτοι εἰς τὸν ἄσωτον, quae ode deest. 21. εἰς τὸν πάππαν Μηνᾶν τὸν ἐπώνυμον τοῦ ἐννάτου Ἀλεξανδρείας συκοφαντηθέντα ἐπὶ Φωκᾶ ὅτι Θεοδόσιον τὸν υἱὸν Μαυρικίου ἐδέξατο. Adnoto in primis, monasterium

alexandrinum ἔννατον commemorari etiam a Iustiniano in illa theologica epistola (a me edita T. VII.) quam ad eius asceterii monachos e monophysismo resipiscentes scripsit. Deinde de Theodosio, Mauricii primogenito, qui aliquamdiu certe Phocae manus evasit, in longinquis regionibus errans, legatur Baronius ad Christi annum 603. Postremo 22. εἰς τὸν κύριον Παῦλον τὸν κανδιδάτον καὶ Μαρίαν τὴν μητέρα αὐτοῦ κοιμηθέντας ἐν κυρίῳ. Denique, ut undique veritas emicare solet, praedictorum S. Sophronii carminum indiculus, manu Allatii conscriptus, in vaticano quoque codice a me lectus est, cum additamento tituli cuiusdam odae *ad Ioseph*; eaque carmina cum aliis melicis fuerunt olim in Card. Sirleti bibliotheca. Spem vero eruditorum fefellit omnino Allatius, qui in scholiis ad Eustathium antiochenum p. 285. ita promiserat: *Sophronii hierosolymitani, Sophronii monachi iatrosophistae, Heliae Syncelli, Michaëlis Syncelli, Ignatii grammatici diaconi, elegantissima piissima et mellitissima carmina propediem edemus, si ita Deus annuerit.*

X. Sequuntur in codice Ἡλίου συγκέλλου ἱερέως 1. κατανυκτικός. 2. θρηνητικὸς εἰς ἑαυτόν. Deinde Ἀκολούθου τοῦ γραμματικοῦ εἰς τὰ βρουμάλια, cuius haec prima stropha est:

σοφίης ἔλαμψεν ὥρη, — ὅθεν ὡς χρόνος κελεύει
χρόνιοι λόγοι θανεῦνται, — πάλιν ἐν λόγοις χορεύσοι.

Huius Acoluthi nullam adhuc reperi neque apud Allatium, ubi de melodis, neque apud Fabricium, mentionem. Postea Λέοντος τοῦ μαγίστρου 1. ἐπιτύμβιος εἰς Θεοκτίστην τὴν θυγατέρα αὐτοῦ. Deest initium. 2. εἰς τὸν γάμον τοῦ αὐτοκράτορος Λέοντος. 3. εἰς τὸν αὐτὸν γάμον: atque in hac altera ode videtur poëta defendere Leonem augustum, qui ob saepius repetitas nuptias male audiebat. Ait enim:

νομίμως Λέων ποθήσας — ὅθεν τῷ φίλοι παρόντες
ξυνάγει γάμῳ πολίτας, — παρὰ παστάδα τρυφᾶτε.

Concluditque: ψόγος εὐδαμῶς γάρ ἐστι — νομίμους γάμους λιγαίνειν. 4. εἰς τὸ λουτρὸν τὸ ἐν τῇ βασιλείῳ αὐλῇ ὑπὸ Λέοντος τοῦ αὐτοκράτορος οἰκοδομηθέν. 5. εἰς τὴν αὐγούσταν Ἑλένην Κωνσταντίνου τοῦ νέου σύζυγον. Deinde Σωφρονίου μοναχοῦ ἰατροσοφιστοῦ εἰς τὸν Ἰωσὴφ, Iacobi scilicet hebraei filium. Postea Γεωργίου γραμματικοῦ odae sex, quarum omnium initia scribit Allatius in diatriba de Georgiis, excepta ista: ἔρως ἡλίου καὶ Ἀφροδίτης. Primae acephalae odae stropha prima haec est:

ὁ ἐμοὶ χάριν συνάπτων — ἵνα σὺν πόθοις χορεύω
πόρε μοι ῥόδον Κυθήρη, — Ἑλικῶνι σὺν βελέμνοις.

Postremo Ἰγνατίου διακόνου γραμματικοῦ 1. εἰς Παῦλον τὸν ἴδιον μαθητήν. 2. θρηνητικὸς εἰς ἑαυτόν. Ab Ignatio diacono, S. Sophiae scevophylace, scripta extat Nicephori constantinopolitani vita. Hi omnes leguntur, exceptis aliquot odis, in allatiano et vernatiano codicibus graeci melodi. Verumtamen index ibidem legitur aliorum quoque aliquot melodorum, quorum reapse scripta desiderantur. Sunt autem 1. Ἀρέθα ἀρχιεπισκόπου εἰς Φώτιον τὸν πατριάρχην. – εἰς

Λέοντα διάκονον καὶ σακελλάριον. - εἰς τὴν νέαν ἐκκλησίαν. - εἰς τὰ ἐγκαίνια τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας. - εἰς τὰ Λέοντος τοῦ βασιλέως βρουμάλια. (Hunc esse Aretham iudico, cuius in sacros libros habentur commentarii.) 2. Λέοντος ποιητικοῦ καὶ φιλοσόφου εἰς τὰ βρουμάλια τοῦ Καίσαρος Βάρδα. - Ἐγκώμιον Ἡφαίστου (Ἡφαιστίωνος) στρατηλάτου Ἀλεξάνδρου. Eiusdem Leonis philosophi alia quoque vidi carmina in chartis allatianis. 3. Σεργίου γραμματικοῦ εἰς τὸ γράμμα τοῦ ἑαυτοῦ πατρός, ἐπανιὼν ἀπὸ Κυζίκου . . . Φιλίππου πατρὸς λυκίου. 4. Κωνσταντίνου γραμματικοῦ ὃς μαθημάτων χάριν πατρίδα καταλιπὼν καὶ γονεῖς, εἰς τὴν Βύζαντος ἀνῆλθε πόλιν· ψευδῆ δὲ φήμην περὶ τῶν γονέων μαθὼν, ὡς ναυαγίῳ ἀπώλοντο ἐκ Σικελίας ἀπαίροντες, πένθει ἀτλήτῳ βεβλημένος ᾖσε τοιάδε. Item ᾠδάριον ἐρωτικὸν ὅπερ ᾖσεν ἐν νεότητι παίζων, οὔ τι σπουδάζων· ἔλαβε δὲ τὴν ὑπόθεσιν ἐκ μελῳδίας τινὸς ᾀδομένης ἐν γάμῳ. Attamen huius Constantini, qui dicitur Leonis philosophi discipulus, extant in eundem philosophum mss. carmina. Itemque Constantini rhodii (puto eumdem qui supra) legebam ibidem carmina πρὸς χοιροσφάκτην Λέοντα. Item eiusdem alia poëmatia, quibus respondet Theodorus paphlago. 5. Θεοφάνους γραμματικοῦ, ὡς φίλον φιλεῖ τε καὶ οὐ πσθεῖται ἐκ τῆς ἄγαν φιλίας. 6. Λεοντίου γραμματικοῦ ἐρωτικὴ λαλιὰ πρὸς χελιδόνα. (Adnotat autem Allatius, in codice augustano CXXI. n. 6. haberi Leontii versus.) 7. Λέοντος τοῦ δεσπότου δοξαστικὸν εἰς τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν, ἐν τῷ ἑσπέρῳ· ἡ ἀρχὴ δεῦτε λαοὶ τὴν τρισυπόστατον. 8. Κοσμᾶ μοναχοῦ κανὼν εἰς τὴν ἁγίαν πεντηκοστήν· ἡ ἀκροστ. πεντηκοστὴν ἑορτάζομεν· ἡ ἀρχή· πόντῳ ἐκάλυψε. 9. Ἰωάννου τοῦ Ἀρκλᾶ κανὼν διὰ στίχων ἰαμβικῶν εἰς τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν etc. κανὼν τριαδικὸς ἐν τῷ μεσονυκτίῳ. Tres tamen Photii odae, quas ego in alio melodorum quondam codice vidi, in vallicelliano non memorantur. Denique ut poëtarum, quorum in allatianis vernatianisque adversariis carmina vidi, notitiam absolvam, ibi videlicet sunt haec fere nomina: Catraces quidam, item Corinthus quidam, Eustathius macrembolites, Euthymius zygabenus, Georgius pisides, Iohannes euchaita, Isaias quidam, Manuel Caleca, Manuel melissenus, Matthias Chrysocephalus, Maximus, Perdiccas ephesius, Manuel Phile, Prosuchus, Theodorus Balsamon, Theodorus studita, Tzetzes; qui certe partim sunt editi, ut Maximus, Perdiccas, Pisides, aliique aliquot. Sunt etiam anonyma carmina, veluti duo longiuscula εἰς τὸν ἅγιον Ἀθανάσιον: aliud adhuc longius εἰς τὰ Χριστοῦ γενέθλια: aliud item εἰς τὴν τῆς ἁγίας παρθένου μετάστασιν. Erant quaedam insuper ad anthologiam veterem pertinentia. Sed iam manum de tabula.

Bar-hebraei Nomocanon.

XI. Qui in doctorum hominum libris non tam phaleratam rhetorico flore orationem, quam solidae doctrinae fructum quaerunt, ii certe hunc Bar-hebraei, quem ipsis legendum obiicimus, Nomocanonem in primis ada-

mabunt. Est enim huius libri dos praecipua, ut nihil ei par aut simile in orientalis iuris bibliotheca habeatur; ne Ebediesu quidem excepto opere, quod in re ecclesiastica uberrimum, res civiles multo parcius attingit. Sane Barhebraeus canones orientales et graecos, interdum etiam africanos, late complectitur, sed et leges Caesarum permultas, aliquando nominatim, plerumque vero anonymas, nectit; quae res postrema eruditis admodum iurisconsultis placebit, qui nostra aetate ius caesareum criticamque eiusdem historiam tantopere ventilant, eiusque fines quam latissime proferunt. Sed age ipsius auctoris et operis ex bibliotheca orientali Iosephi Simonii Assemani T. II. cap. 42. notitiam ponamus.

Gregorius Bar-hebraeus, qui et Abulpharagius, scriptorum iacobitarum facile princeps, patria melitinensis (1), patre Aaron medico, anno Christi 1226. natus est, ex quo *Bar-hebraei*, hoc est Hebraei filii cognomentum traxit. A puero graecae, syriacae, et arabicae linguis strenuam operam dedit: mox philosophiae ac theologiae cursu emenso, medicinam sub patre aliisque eius aetatis celeberrimis medicis coluit. Anno aetatis vigesimo, in urbe Phoeniciae Tripoli, ab Ignatio Iacobitarum patriarcha episcopus Gubae ordinatus fuit; ex qua sede, anno sequente, ad Lacabenam translatus fuit. Deinde vero noster circa annum 1252. alepensis ecclesiae infulis ornatus fuit; demumque anno 1264. ex alepensi ecclesia ad Maphriani dignitatem evectus est, quam usque ad annum suum mortualem 1286. tenuit. (Maphriani dignitas apud Iacobitas, patriarchali inferior, metropolitica maior; primatem recte vertas. Orienti praesidet, hoc est Chaldaeae et Assyriae, nec non extremis Mesopotamiae partibus, sub antiocheni Iacobitarum patriarchae potestate. Et quidem de amplificata per usurpationem Mephriani auctoritate, legesis nostrum p. 41. Librorum eius multitudinem ac praestantiam recenset idem Assemanus, a quo partem eam tantummodo mutuabimur, quae loquitur de Nomocanone. Sic igitur p. 299. seq.) *Liber Directionum, seu Epitome ecclesiasticorum canonum et legum saecularium.* Duas partes complectitur; prima est de rebus ecclesiasticis, altera de causis ad laicos spectantibus: opus integrum decurrit sub capitibus quadraginta, quae in sectiones aliquot dividuntur. Huiusmodi iuris syntagmata apud orientales Christianos syriace et arabice instituta sunt, ut episcopi et patriarchae ad manus haberent leges, ex quibus inter Christianos ius dicere possent (2). Nam ex communi disciplina, variis etiam Chaliipharum Sultanorumque privilegiis confirmata (3), Christianorum inter se litigantium causae apud episcopos aut patriarchas iudicari debebant ex legibus antiquitus receptis. Illae autem non aliae erant quam canones Conciliorum, constitutiones Patrum, responsa

(1) Id significat ipse Bar-hebraeus in nota marginali apud nos p. 102. Confer etiam p. 211.

(2) Sic reapse noster in clausula operis, se id scripsisse demonstrat, ut antistites sanctae ecclesiae iudicare populum eiusdem queant, et definire indicia, ac leges intelligere.

(3) Legi egomet Sultani byzantini nostra aetate regnantis, amplissima diplomata graeco armenioque patriarchae, nec non catholico sacerdoti praefecti civilis apud nostrae communionis Armenios vice fungenti tradita, quibus ius (civile) dicendi inter imperii othomanici Christianos potestas propemodum suprema et universalis conceditur. Dixi *ius civile*, non sacrum sive *ecclesiasticum*; hoc enim nullus laicus, nedum turca, dare potest, neque christianus quivis ab eo utendum accipere.

prudentium et doctorum ecclesiae, leges denique christianorum imperatorum, quas ex epitome iuris Iustiniani, Novellis, et Basilicorum libris in suam linguam Syri Arabesque transtulere. Ex illis igitur in locos communes digestis Collectionem hanc suam componit Bar-hebraeus. Praeterea testimonia usurpat ex didascalia seu constitutionibus Apostolorum, ex canonibus eorumdem, ex Clementinis variis, et ex conciliis nicaeno, constantinopolitano, ephesino, chalcedonensi, neocaesariensi, ancyrano, laodiceno, antiocheno, et gangrensi. E Graecis laudat Dionysium areopagitam in libro de ecclesiastica hierarchia, Dionysium patriarcham alexandrinum, Eustathium, Origenem, Athanasium, Basilium, Timotheum alexandrinum, et Severum antiochenum. (Ex Africanis Cyprianum.) E Syris Rabulam et Iacobum edessenos episcopos passim, Philoxenum mabugensem, Georgium Arabum episcopum, Iohannem alterum Telae Mauzaltae, Cyriacum Amidae, Persarum synodum, Lisium quemdam, patriarchas Iacobitarum Dionysium, Cyriacum, Ignatium, Michaëlem seniorem, et Iohannem. Nominantur ab eo praeterea Dionysii atheniensis libri tres et epistolae decem, Basilii orationes 29, Gregorii nazianzeni tomi duo ·i· orationes 47. et epistolae variae, Severi tomi tres ·i· homiliae epithroniae, nempe in throno habitae 124, (1) et epistolae, S. Ephraem et S. Isaac sermones 214, S. Iacobi sarugensis 182, homiliae et sermones per anni circulum, quae magna ex parte sunt Iohannis Chrysostomi, Cyrilli, et Theodoti, et Archithei, et aliorum; historiae patrum et doctorum ac martyrum 125, Palladii liber *paradisus* inscriptus in tomis tribus, Basilii hexaëmeron orationes 9, Iacobi edesseni in idem orationes 7, et liber unus de theologia, et plures epistolae, commentarii S. Ephraem, et Iohannis, et Moysis Bar-Cephae, et Bar-Salibi. (Hactenus Iosephus Assemanus, qui nullam addit Barhebraei iacobitae sententiis quandoque deerrantibus animadversionem; quod tamen partim Aloisius partim nos brevissimis verbis facere in loco non negleximus. Et quidem illa ciborum aliquot prope iudaica discretio p. 229. seq. ex aliis quoque ecclesiis aegre fuit depulsa.)

XII. His de auctore et opere dictis, sequitur ut de interpretatione latina, quae nunc prodit, pauca dicamus. Hanc videlicet Aloisius Assemanus, et quidem primam, ante videlicet quam illam Ebediesu, elaboravit, ut ipse in prologis mss. testatur; quorum a me ratio non est habita, quia partim ab argumento discedunt, partim vero ex impressa Assemani senioris bibliotheca derivati ad litteram sunt. Lucubrationem hanc suam memorat Assemanus in praefatione etiam ad catalogum Patr. chald. p. XLIV. Ait porro Aloisius in prologis se hoc opus servata phrasi et dialecto syriaca (mirum dictum latini interpretis!) litteraeque inhaerentem interpretari. Alibi rursus dicit, concessum sibi breve temporis spatium, et praefixam legem inhaerendi litterae, in causa esse ut quandoque obscurus sensus videatur, stilusque barbarus; cui rei non parum, inquit, culpa eius contulit qui syriacum descripsit codicem. Revera nihil verius toto in volumine dixit Assemanus: etenim scripti eius (exceptis praefationibus) tanta est barbaries,

(1) Nos centum et viginti quinque vidimus. Confer praef. ad T. IX. p. XXIII.

et tantis vitiis sermo confusus, ut vix interdum humano more loquatur: igitur necesse fuit, ut ego innumeris locis verba mutarem, phrasim mollirem aut ordinarem, sententiarum tenebras declarare conarer: quamquam aethiopem lavisse me adhuc sentio. Haec de latini textus elocutione. Unum tamen inveni de baptismate caput abs Iosepho Assemano in alio codice latinum factum; quod statim, abiecto Aloisio, in meam recepi editionem; unde satis patebit quantum interpres Aloisius abs Iosepho distet. Syriacum autem Bar-hebraci exemplar extat in codicibus vaticanis 133. apud Iosephi Assemani catalogum, nec non in codd. 353. et 356-359. apud meum supplementum tomo V: ne aliarum bibliothecarum codices memorem, in quibus pariter conservari compertum est.

De collectione Canonum ecclesiae armeniacae.

XIII. Diu multumque optaveram collectionem aliquam Canonum ecclesiae armeniacae cognoscere, quia mirabar nullam adhuc esse apud nos divulgatam, quum tamen eius gentis permulta scripta iam typis commissa fuissent. Ecce autem expetitum denique deprehendi codicem a quodam Caciaduro armeno, anno Christi 1634. in urbe Rodosto, pereleganti littera, quamquam minime orthographa, scriptum; et a reverendissimo domino Stephano Aucherio Claudiopoleos episcopo Romam anno 1797. delatum. Is codex non armeniacos tantummodo, verum etiam graecae originis canones tenet, ducto initio ab apostolicis, et a gentium per singulos apostolos ad fidem conversarum recensione, eo ferme modo quo suum texit prohoemium Ebediesus. Ceteroquin ego, ne quod ad occidentales canones adtinet, actum agerem, eam tantummodo codicis partem seligendam putavi, quae orientales id est Armeniorum canones continet, et quidem antiquiores, nempe a saeculo quarto ad octavum; quos implorato, ut dixi p. 316, perito interprete ad latinum usum notitiamque transtuli, et in hac mea orientalium canonum sylloge libentissime collocavi: nihil enim opportunius esse iudico, ob cognoscendos, quod valde nostra interest, illius ecclesiae mores et instituta. Nam de dogmatibus vix sermo est, quia hi canones disciplinam plerumque cleri populique continent. Sed tamen hanc Canonum collectionem non ita ubique esse authenticam, ut tituli eius prae se ferunt, dixi, admonentibus ipsis Armenis, in adnotatione p. 316. Quod vero ibidem, suadente quodam amico, affirmavi canones Isaaci parthi prae ceteris videri certiores, iam me dicti propemodum paenitet: sunt enim in his minutiora multa, quae quarto saeculo, id est Isaaci aevo, vix conveniunt; quare et hi postea interpolati videntur. Quid quod p. 285. canones hi dicuntur nunc primum ex graeca lingua conversi? Nam de illis Iohannis Ozniensis iudicium

non retracto, sed ii prae ceteris animadversiones nostras commoverunt; quas ne repetam, hoc saltem aio: scilicet consuetudini illi Schismaticorum offerendi merum in sacrificio, novum nuper et validum me suscitasse adversarium Eutychium patriarcham constantinopolitanum, armenio patriarcha seniorem duobus saeculis; qua super re disserui in voluminis noni praefatione. Nam quod Ozniensis exemplo utitur a mosaicis libris sumpto, quid ea res demum apud nos valet? Melchisedechus autem, quodnam, oro, theologis argumentum suppeditat? praesertim quia nescimus, utrum merum obtulerit an meracum. Sed bene est, quod fatetur Ozniensis, diversam esse a sua ceterarum gentium christianarum traditionem; cui populus quoque armeniacus, quatenus orthodoxus est, tandem aliquando obedientiam praebuit. Rursus bene est quod omnem Ozniensis cum Schismaticis communionem canone suo 29. vetat; idque aio propter laxiores nonnullorum hac super re opiniones. Unum adhuc lectores quaerent, quid sit nimirum in Macarii hierosolymitani canone (p. 271.) oleum mortuorum. Equidem de his Macarii canonibus, qui nunc primum ex armeniaco codice linguaque prodeunt, subdubitare parumper licet; praesertim quia gratam illam Armeniis schismaticis crambem recoquunt de usu meri in eucharistico sacrificio: quam rem abs hierosolymitanae ecclesiae traditione usuque abhorrere, in scholiis demonstravi: quare et illum Armeniorum morem ungendi, ut audio, sacerdotum suorum cadavera, palaestina ecclesia, tam prisco praesertim aevo, fortasse ignoravit. Sed utcumque ista res se habet, nullam heic esse sacramenti vim aut naturam, quis non videt? Nihil est enim, nisi honor quidam sacratis adhibitus cadaveribus, veluti apud nos turis suffitus, et lustralis aquae aspersio, quam nos sane mortuorum baptismum non appellamus. Ritum certe apud Iacobitas ungendi in pectore mortuos sacerdotes narrat Bar-hebraeus in hoc volumine p. 37, nulla ritui adtributa sacramenti vi.

XIV. In praetermissis a me codicis armeniaci partibus, vitiosi quidam canones sunt concilii ut inscribitur theodosiopolitani, quibus maledicitur S. Leoni papae romano, vetatur aquae in sacro calice admixtio, coniunctio festorum natalis Christi et Epiphaniae imperatur, Purificationis autem sollemnitas ad diem quartamdecimam februarii transfertur; idque concilium celebratum esse adfirmatur sedente Isaaco armenio patriarcha et Iustiniano magno imperatore, cuius iussu ex universo orbe romani, graeci, albani, assyriique episcopi Theodosiopolim in Armenia convenisse dicuntur. Iamvero quis non videt, hanc synodum vel prorsus esse confictam (1) vel certe immaniter interpolatam? Quandonam enim episcopi ex universo orbe, et quidem etiam romani, ad Armeniorum synodum confluxerunt? Qui fieri pote-

(1) Ciamcianus hist. Armen. lib. III. in adnot.

rat, ut romani et graeci Leoni maledicerent, cuius epistolam semper ut columnam fidei suspexerunt? Quomodo item meri oblationem, festorumque perturbationem illam sancirent? Neque rursus tam facile graeci azymum, quod in concilio decernitur, comprobassent. Fallaciae huiusmodi, etsi exsecrandae sunt, nihilo tamen minus apud pravae mentis homines non raro deprehenduntur. Nam de confictis apud nestorianos Chaldaeos occidentalium pontificum diplomatibus, paulo ante dixi. Suppositam a graecis photianis Iohanni VIII. PP. epistolam, in primo volumine demonstravi. Iustinianus imperator (apud me T. VII. p. 304.) suppositam S. Iulio papae epistolam, deesse omnino in archiis romanae ecclesiae testatus est. Dogmaticam catholici cuiusdam patris homiliam ab homine monophysita corruptam, alibi docturus sum: ubi enim catholicus scripserat Christum non dividi in duas *personas*, ibi monophysita *naturas* posuit; ita tamen ut in codicis rasura vestigium adhuc vocabuli *personas* appareat; ex alio autem eiusdem homiliae exemplari folium ipsum detraxit. Quid plura? Primum ab Anastasio (apud me T. VII. p. 6.) prolatum ex patribus testimonium, ex oratione Nysseni est, idque deerat in editionibus, quia codex morellianus eo folio carebat, in quo Nysseni tractus fuerat perscriptus. Atqui in eo fragmento validum est argumentum pro S. Spiritus processione etiam a Filio. Loquens enim sanctus pater de essentialibus personarum divinarum proprietatibus, ita scribit: τὸ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ τοῦ υἱοῦ εἶναι μαρτυρεῖται· εἰκοῦν τὸ μὲν πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ θεοῦ ὄν, καὶ Χριστοῦ πνεῦμά ἐστιν. Pergit autem ibidem Nyssenus docere, nequaquam posse vicissim πνεύματος Χριςὸν appellari; nempe dici, quod ut Spiritus a Filio est, ita Filius pariter a Spiritu sit. Num ergo fortuito id dogmaticum folium a codice excidit? an vero photianus aliquis abstulit? Equidem ex tam levi incertoque indicio nihil definio.

Ebediesu opus de christianae religionis veritate.

XV. Nostra redit ad sobensem Ebediesum oratio, cuius christiana demonstratio atque apologia prae ceteris aliorum auctorum, quas in orientalium codicum penore habemus, me delectavit, et lectu dignissima visa est. Talis quippe tantusque scriptor est Ebediesus, ut iudice Assemano, doctoribus ipsis syris Ephraemo, Isaaco, et Iacobo comparandus esset, nisi dicendi copiam, stili nitorem, sacram denique eruditionem, Nestorianorum erroribus, quibus a pueritia imbutus fuit, contaminasset. Scripsit vero id opus, iubente patriarcha suo Iaballaha, post annum Christi 1291, in quo peracutum ingenium prodit, et in logicis disciplinis exercitatum: praecipui vero momenti est quartum capitulum tractatus tertii, ubi christianarum sectarum (quod tamen nomen vera orthodoxia respuit) divisionem perspicue

exponit. Porro Sobensis errores, praesertim ubi agit de sacramentis, breviter ego, ut decuit, in scholiis increpui: verumtamen ad fermentum quod adtinet, anilem Nestorianorum fabulam refert Assemanus B. O. T. IV. p. 260, ex qua tantus error conflatus est, ut ritum hunc, sacramenti instar sacrilege habeant. Hoc denique et grati animi et veritatis causa dicendum superest, nempe hunc egregium Ebediesu de christiana religione tractatum nos habere ab eximio interprete Francisco Mehaseb maronita, Collegii urbani alumno, qui syriaci quoque exemplaris editionem diligentia sua peritiaque curavit.

De S. Sophronio patriarcha hierosolymitano.

XVI. Cogitanti mihi de Sophronii, viri sanctissimi, ante medium saeculum septimum patriarchae Hierosolymorum, tum insignibus erga ecclesiam meritis, tum etiam non paucis scriptis, permirum videri solet, nondum haec, in tanto typorum apud nos usu, fuisse collecta, neque idoneo voluminis apparatu coniunctim edita; immo vero complura in codicibus mss. ad hanc usque diem indecore prorsus retineri. Quae igitur sparsim sunt vulgata, veluti in Concilio generali sexto, in Sanctorum actis, in Patrum lugdunensi bibliotheca, apud Gretserum de cruce, apud Combefisium in bibliotheca PP. concionatoria, atque apud Allatium, non ignoro; sed praeter quam quod pars illorum nonnisi latine extat, sine graeco originali; ea sane incommode sus deque quaeruntur, et illustratione debita carent; atque, ut dixi, fraternorum librorum adhuc latentium comitatum desiderant. Itaque cepi consilium instruendi mediocrem tomum, quem postea in lucem emittam; quo cuncta Sophronii opera, cum Hesychii etiam presbyteri hierosolymitani non paucis scriptis haud paenitendis, complexurus sum. Et sane apud me habeo graecos utriusque auctoris textus complures: Sophronii autem studeo paene prae ceteris divulgare copiosissimam, quam prae manibus habeo, de SS. Cyro et Iohanne historiam, genuinum certissimumque beati Patris foetum, et diu nimis in Graecorum Latinorumque codicibus pressum. Interim vero nihil vetat, quominus heic duo collocem in antecessum S. Sophronii scripta; primo videlicet in SS. Petrum et Paulum AA. panegyricam orationem, quam veluti gemmulam in vaticano codice graecam reperi, brevique hora latinam feci; deinde typici quoddam fragmentum, sacris quos superius descripsi, hymnis quodammodo consonum, cum finalibus regi et sacrorum antistiti acclamationibus: nam officii quoque divini ordinem a S. Sophronio nostro fuisse instauratum, testatur auctor priscus Simeon thessalonicensis apud Allatium in dissert. 1. de ecclesiasticis Graecorum libris; quam nunc rem vaticanus codex confirmat.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΣΩΦΡΟΝΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΩΝ

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΓΙΟΥΣ ΠΕΤΡΟΝ ΚΑΙ ΠΑΥΛΟΝ ΤΟΥΣ ΜΑΚΑΡΙΟΥΣ ΑΠΟΣΤΟΛΟΥΣ Τῌ Δ΄ ΗΜΕΡᾼ ΤΩΝ ΓΕΝΕΘΛΙΩΝ.

1. Πάλιν ἡμῖν δυὰς ἀδιάλυτος ἔλαμψεν, πάλιν ἡμῖν συζυγία ἀδιάζευκτος ἤνθησε, πάλιν ἡμῖν συνάφεια ἀδιάτμητος ἔβρυσεν, ἀποστολικῶν ὁμοῦ πανηγύρεων εἰς μίαν συνδραμουσῶν ἑορτὴν καὶ πανήγυριν, καὶ διπλαῖς ἡμᾶς λαμπρυνουσῶν ταῖς φαιδρότησιν, ἐν μιᾷ φωτὸς ἡλιακοῦ φαινομένων λαμπρότητι· Πέτρος γὰρ τῶν ἀποστόλων ὁ κορυφαιότατος σήμερον, καὶ Παῦλος ὁ Πέτρῳ τὴν χάριν ἐφάμιλλος, καὶ τὴν ἀξίαν τῆς ἀποστολῆς παραπλήσιος, κἂν εἰ μὴ τῆς ἱερᾶς δωδεκάδος ἐκείνης τῶν φωτοφανῶν ἀποστόλων ἐτύγχανεν, ἧς τὴν ἐκλογὴν καὶ πρόκλησιν, οὐκ ἄνθρωπος τὶς ψιλὸς ἐτεκτήνατο, οὐ προφήτης, οὐ πατριάρχης, οὐ δίκαιος, οὐκ οὐράνιος καὶ ἀσώματος ἄγγελος· δοῦλοι γὰρ οὗτοι καθεστήκασιν ἅπαντες, καὶ ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις ὁμόδουλοι, κἂν εἰ ἀρεταῖς ἡμῶν καὶ πνευματικαῖς ἀξίαις καὶ χάρισι μέτρῳ πολλῷ διαφέρωσιν· ἀλλ' αὐτὸς ὁ Χριστὸς ὁ δεσπότης πάντων ὁμοῦ καὶ Θεὸς καὶ κύριος, ὁ τὴν φύσιν διπλοῦς καὶ μοναδικὸς τὴν ὑπόστασιν (1), ὁ ἐκ θείας τε καὶ ἀνθρωπίνης συγκείμενος φύσεως, καὶ ἐν οὐσίᾳ τε θείᾳ καὶ ἀνθρωπίνῃ φανερῶς γνωριζόμενος, καὶ οὐδαμῶς εἰς αὐτὰς διαιρούμενος, οὐδὲ τομὴν τὴν οἱανοῦν προσδεχόμενος, διὰ τὴν ἄτρεπτον καὶ ἀμέριστον ἕνωσιν· οὐδὲ γὰρ τὰ ἐξ ὧν ἐστι συνέχυσεν, εἰ καὶ ἀλλήλοις ταῦτα καθ' ὑπόστασιν ἥνωσεν· οὔτε τὰ ἐν οἷς ἐστιν ἀλλήλων διέστησεν, κἂν εἰ ἐν αὐτοῖς τελείως γνωρίζεται Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς καὶ ἐν αὐτῷ θεωρούμενος· ὁ καρδίας καὶ νεφροὺς ἐπιστάμενος, καὶ ψυχῆς ἀφανοῦς θεωρῶν τὰ βουλεύματα, ἅπερ ἕκαστος ἄνθρωπος ἐν καρδίᾳ κρυφαίως βουλεύεται, κἂν εἰ λανθάνειν δοκῇ λῃστρικώτατα τοὺς τῆς αὐτῆς ὑπάρχοντας φύσεως.

2. Οὕτως ἡμῶν τῆς σωτηρίας κηδόμενος, δι' ἣν καὶ πρὸς ἡμᾶς ἐξ οὐρανοῦ κατελήλυθεν, ἁλιέων ἐκλογὰς ἐποιήσατο, καὶ χάριν ἀποστολῆς αὐτοῖς κατεμέρισε, συναριθμουμένην μὲν αὐτῶν τῇ ποσότητι, οὐ διαιροῦσαν δὲ αὐτῶν τὸ ἀξίωμα, οὔτε τὴν τάξιν συγχέουσαν (2)· ἀλλ' ἐν τῇ ἑνότητι τῆς ἀποστολικῆς ἀξίας καὶ χάριτος, τὸ τῆς τάξεως τηροῦσαν διάφορον· καλὸν γὰρ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ δύναμις, καὶ ὁ λόγος ὁ πάντων γνωστῶν γνωστικώτατος, κέκρικε καὶ τῆς ἀποστολῆς τὴν ἀξίαν ἑνιαίαν φυλάττεσθαι, καὶ τῆς τάξεως τὴν διαφορὰν ἀσυγχύτως γνωρίζεσθαι, ὡς ἂν μήτε ἡ τάξις εἰς ἀταξίαν μετέρχηται· ἐξεχθρὸν

(1) Notemus S. Sophronii doctrinam contra monophysitas, monothelitarum fratres, quorum haereseos malleus ipse fuit.

(2) En ut S. Sophronius primatum Petri in apostolico ordine belle tuetur, etiam supra Paulum; quorum dignitatem neoterici aliquot, male erga sedem Petri romanam adfecti, aequare volebant: ita ut ipsorum doctrina inter damnatas merito propositiones relata sit.

γὰρ Θεῷ τυγχάνει τὸ ἄτακτον· μήτε τῆς ἀξίας ἡ χάρις εἰς ἀνίσους διατέμνεται χάριτας· ἀμεταμέλητα γάρ εἰσι τὰ χαρίσματα, καὶ τὸ ὅριον ὅπερ αὐτὸς διωρίσατο, οὐδαμῶς, ὡς ἡ μελῳδία φησι, παρελεύσεται· οὗτος ὁ πάντα ζυγῷ καὶ σταθμῷ διοικούμενος, καὶ ἑκάστῳ διδοὺς ἀπροσωπολήπτῳ βουλῇ τὰ χαρίσματα, μετὰ τὴν πρώτην ἐκλογὴν, ἣν ἐπ' ἀποστόλοις πεποίηται δώδεκα, καὶ τὴν δευτέραν, ἣν ἐπὶ μαθηταῖς δύο καὶ ἑβδομήκοντα τέτευχε· μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἐκ τῶν ἐπιγείων πραγμάτων ἀνάβασιν, ἥ τις διὰ τὴν σάρκα γεγένηται, ἣν ἐξ ἡμῶν προσελάβετο, ἄσαρκος γὰρ καὶ ἀσώματος. τὸ πρὶν ὡς ἡμᾶς καταβέβηκε, καὶ τρίτην ἐκλογὴν ἐπιδείκνυται, αὔξων τῶν ἀποστόλων καλῶς τὴν ἀρίθμησιν, οὐκ ἀποστολῆς διαφορὰν ἐργαζόμενος· ἐξουσίαν γὰρ ἔχει ὁ πάντων κεραμεὺς ἡμῶν Θεὸς, τοῦ πηλοῦ καὶ τοῦ πλάσματος σκευοποιεῖν, καὶ παράγειν ὡς βούλεται, μηδενὸς αὐτοῦ ταῖς βουλαῖς ἀντιπράττοντος· ὃς καὶ τὸν Παῦλον σαφῶς ἐκλεγόμενος, ἔφασκε πρὸς Ἀνανίαν τὸν Παύλου βαπτιστὴν καὶ διδάσκαλον· ἐκεῖνος γὰρ αὐτὸν καὶ τυφλωθέντα πεφώτικε, καὶ φωτισθέντα βεβάπτικε, καὶ βαπτισθέντα δεδίδαχε τὸ θεόπνευστον δίδαγμα· πορεύου πρὸς τὴν τούτου θείαν κατήχησιν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀνάβλεψιν, ὅτι σκεῦος ἐκλογῆς μοι ἐστιν οὗτος, τοῦ βαστᾶσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων υἱῶν τε Ἰσραήλ· ἐγὼ γὰρ ὑποδείξω αὐτῷ ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν· ἀλλὰ καὶ Παῦλος αὐτὸς ὁ θαυμάσιος, τῆς οἰκείας ἀξίας δεικνὺς τὴν προχείρησιν, ἔγραφεν· ὡς ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ εἰς τὴν περιτομὴν, ἐνήργησε κἀμοὶ εἰς τὰ ἔθνη.

3. Τῆς οὖν τοῦ σωτῆρος κατ' ἐκλογὴν προχειρήσεως, Πέτρῳ τῷ πρώτῳ τῶν ἀποστόλων καὶ κήρυκι Παῦλον συναρμοσάσης τὸν ἔνθεον, καὶ ἓν ἀμφοῖν δεδωρημένης ἀξίωμα, κἂν εἰ τὸν μὲν εἰς ἀποστολὴν τῶν ἐν περιτομῇ προεβάλλετο, τὸν δὲ ἀγέλαις ἐθνικαῖς προσεκλήρωσε· καὶ χάριν μίαν, καὶ θεόσδοτον ἀξίωμα, τὸ τῆς υἱοθεσίας φημὶ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν καὶ γεννήτορα, τοῖς δι' αὐτὸν ὡς Χριστὸν αὐτὸν ἐπιστρέφουσι δέδωκε, καὶ ὄνομα ἓν ἀμφοῖν προσκεχάρισται, τὸ ἀπ' αὐτοῦ Χριστοῦ χριστιανοὺς ὀνομάζεσθαι· εἰκότως καὶ ἡμεῖς οἱ τούτων μαθηταὶ καὶ ἀκόλουθοι, πίστιν τὴν αὐτῶν περιέποντες, καὶ δίδαγμα τὸ αὐτῶν ἀσπαζόμενοι, ἀλλήλοις τούτους συνήψαμεν, οὓς ἡ χάρις συνῆψε τοῦ πνεύματος· καὶ κοινὴν αὐτοῖς συνιστῶμεν πανήγυριν, ὡς κοινὸν λαχοῦσι καὶ ἰσοκλεὲς τὸ προχείρισμα· καὶ μίαν Χριστῷ ἑορτὴν ἑορτάζομεν, ὡς μιᾶς ἡμῖν πνευματικῆς αὐτῆς διὰ τῆς ἀμφοτέρων ἐπαστραπτούσης φαιδρότητος· οὓς γὰρ Χριστὸς αὐτὸς συνηρμόσατο, καὶ μιᾷ κατεκόσμησε χάριτι, τούτους ἀλλήλων διαιρεῖν οὐκ ἀκίνδυνον, οἱ εἰς Χριστὸν τετοκότες ἡμᾶς ἐψηφίσαντο· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ μίαν αὐτοῖς πανήγυριν ὥρισαν, ἵνα μὴ Χριστοῦ τῇ ψήφῳ φανῶσιν μαχόμενοι· οἷς καὶ ἡμεῖς οἱ ἐλάχιστοι, ἐν πᾶσιν ἀκολουθεῖν ἐπισπεύδοντες, καὶ κοινὴν αὐτοῖς συνδρομὴν συνιόντες ἀθροίζομεν, καὶ ταύτῃ φανώτατα τιμῶμεν αὐτῶν τὴν συνάφειαν· ἔνθα γὰρ Πέτρος ὁ κορυφαῖος κηρύττεται, ἐκεῖ καὶ Παῦλος εὐθὺς ὀνομάζεται· καὶ ὅπου Παῦλος ὁ ἔνθεος ἄνθρωπος φανεῖ, καὶ Πέτρος συναγελαζόμενος δείκνυται.

4. Οὕτως ἀλλήλων οἱ σοφοὶ καὶ θεσπέσιοι τὰς συνουσίας ἀῤῥήτους ἐργάζονται, τὸν χωρισμὸν οὐ βουλόμενοι, τὸν μερισμὸν ἐκτρεπόμενοι, τὰς διαιρέσεις ἐκκλίναντες, τὰς τομὰς ἀποφεύγοντες, τὰς διαστάσεις οὐ στέργοντες, ὡς μίσους ἐκγόνους, καὶ ἔχθρας οὔσας προβλήματα· διδάξαι διὰ τούτων ἡμᾶς ἐφιέμενοι, τὴν τῆς πνευματικῆς ἀγαπήσεως ὄνησιν, καὶ φιλίας τῆς κατὰ Χριστὸν τὸ ὠφέλιμον· τὸ γὰρ κατὰ Χριστὸν τὸν Θεὸν οὐ γινόμενον,

XXXXVIII. Si quis episcopus, aut presbyter secundum iussionem Christi non baptizaverit in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, sed in tribus ingenitis, aut in tribus filiis, aut in tribus paraclitis, deponatur. Si quis episcopus, aut presbyter non ter mersierit, sed unam mersionem fecerit, quae in morte Domini datur, deponatur (*Alias*: si quis episcopus, aut presbyter non tria unius mysterii baptismata perfecerit, sed unum baptisma etc. *Alias*: non trinam mersionem unius ministerii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte.) Non enim dixit nobis Dominus noster, in morte mea baptizate, sed ite, docete omnes

gentes, baptizate eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Discat itaque ille, qui baptizatur, quod Deus ille ingenitus non fuit crucifixus, neque subiit generationem humanam, eo quod non sit, qui dominetur ei, neque iussioni, et voluntati alterius subiectus sit: neque etiam Paraclitus homo factus est, et sic venit in hunc mundum: sed neque passionem pertulit ille qui non fuit caro factus, et liberavit mundum ab ira, quae supra eum erat; non enim est summus pontifex; sed solum ipse unigenitus filius homo quidem factus est, per assumptionem autem sibi ipsi ex Virgine corpus formavit: sapientia enim aedificavit sibi domum, tamquam creator; crucem autem pertulit voluntate sua, quia reliquit pater (*eum pati, et mori*) liberavit vero mundum ab ira ventura tamquam summus pontifex. Baptizamur itaque in nomine patris, non quod ille homo factus sit, non quod passus sit, neque quasi summus pontifex hominum sit, sed tamquam caput (*principium*) cui complacitum quidem fuit in generatione, reliquit autem etiam ad passionem, suscepit vero preces summi pontificis. In nomine autem Filii non tamquam principii, non tamquam qui iusserit, non tamquam qui reliquerit, sed tamquam qui subiit generationem, tamquam qui pertulit crucem, tamquam qui mortuus est, et resurrexit. In nomine vero Paracliti non tamquam Patris, neque tamquam Filii, sed tamquam testis; et beneplaciti Dei, eiusque derelictionis, et obedientiae unigeniti omnimodae. Illi autem, qui non ita baptizant, sed tamquam qui ignorant ipsum mysterium pietatis, deponantur. Ille enim, qui Patrem passum dicit, magis praevaricatur, quam Iudaei, quia cum Christo Patrem quoque crucifigit. Ille autem, qui Dominum negat propter nos hominem factum, et crucem pertulisse, contendit cum Deo (*adversatur Deo*) et pugnat cum sanctis. Ille vero, qui Paraclitum Patrem nominat, aut Filium, inscius est, quia ministrum unigeniti, qui aequalis est cum eo in creatione, et in gubernatione, ac legislatione, ac iudicicio, et mediator resurrectionis, illum, qui neque pontifex est, Patris, et Filii nomine insignit, aut duo scilicet principia collaudans, aut duos Patres asserens. Nec audivit, quod dictum est: dominus Deus tuus, dominus unus est. Haec autem Simon ille magus protulit nobis, eo quod attraxit, et suscepit spiritum illum malum in se seditiosum et deceptorem populi, et unum trinum in nominibus suis praecepit, et dixit impie esse Deum: aliquando autem passionem Christi, eiusque mortem tollebat.

XXXXIX. Vos itaque, o episcopi, in uno Patre, et Filio, et Spiritu sancto ter mergite, secundum voluntatem Dei, et secundum mandatum nostrum, quod in Spiritu sancto est. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex gradibus sacerdotii, a coniugio carnis, et vino, non propter continentiam, sed propter immunditiam (*abominationem*) recesserit (*abstinuerit*), eo quod erret (*oblitus*) quod omnia valde bona sunt, et masculum ac feminam fecit Deus hominem, sed litigiosus blasphemans creaturam (*sed blasphemans calumnietur opificium*);

aut emendetur (*corrigatur*) aut deponatur, et eiiciatur ab ecclesia. Similiter et laicus.

L. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus illum, qui convertitur a peccato, non suscipit, sed reiicit, deponatur, quia molestia adficit Christum, qui dixit: gaudium est in caelo super uno peccatore paenitentiam agente.

LI. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus diebus festis non manducat carnem, et non bibit vinum, deponatur tamquam infelix in sua conscientia, et causa scandali multis. (*Alias*: ut qui habeat iniustam conscientiam propriam, et sit multis offensionis causa).

LII. Si quis clericus deprehendatur manducare in caupona, separetur, praeter quam si in via (*fuerit*) et propter necessitatem diverterit in publicum diversorium.

LIII. Si quis clericus inique contumelia affecerit episcopum, deponatur. Dictum est enim: capiti (*principi*) populi tui non maledices.

LIV. Si quis clericus contempserit presbyterum, aut diaconum, separetur.

LV. Si quis clericus irriserit surdum, aut claudum, aut caecum, aut laesum in calcaneis (*Alias* vertebra, *alias* cui vitiosus est incessus) separetur. Similiter saecularis.

LVI. Episcopus, aut presbyter, qui negligit clerum, aut populum (*qui cleri, vel populi curam non gerit*), neque corripit eos in timore Dei (*et eos pietatem non docet*) separetur. Si autem perseveret in sua negligentia, deponatur.

LVII. Si quis episcopus aut presbyter unicuique clericorum indigentium non dederit ea, quae ei necessaria sunt, separetur. Si perstiterit, deponatur, ut is qui occidit fratrem suum.

LVIII. Si quis libros impiorum apocryphos tamquam sanctos in ecclesia publicet ad corruptionem populi, et cleri, deponatur.

LIX. Si quis fidelis accusatus fuerit de fornicatione, aut adulterio, aut alio opere abominabili, et arguatur, et ad clerum non provehatur.

LX. Si quis clericus propter metum humanum Iudaeorum, aut ethnicorum, aut haereticorum abnegaverit; si quidem nomen Christi, deiiciatur; si autem nomen clerici, deponatur: cum autem resipuerit, uti saecularis suscipiatur.

LXI. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut omnino ex ordine sacerdotali, carnem comedat in sanguine animae eius (*carnis*), aut laceram ab animalibus, aut morticinum, deponatur: cum autem, resipiscit, tamquam saecularis suscipiatur.

LXII. Si quis clericus inventus fuerit ieiunare die dominica, aut in sabbato, excepto uno (*sabbato scilicet, quod praecedit pascha resurrectionis*) deponatur: si autem saecularis (*id egerit*) segregetur.

LXIII. Si quis saecularis, aut clericus introierit in synagogam Iudaeorum, aut haereticorum ad orandum, deponatur, et segregetur.

LXIV. Si quis clericus in rixa dederit alicui alapam, et illo colapho occiderit eum, deponatur, propter temeritatem ipsius: si autem saecularis fuerit, separetur.

LXV. Si quis virginem desponsatam vi illata acceperit, separetur: non

autem ei conceditur aliam ducere, sed illam retineat, quam desideravit, licet pauper ea fuerit.

LXVI. Si quis episcopus, ant presbyter, aut diaconus chirotoniam secunda vice susceperit ab aliquo, deponatur tam ipse, quam ille a quo acceperit impositionem manus: nisi ostenderit, quod ab haereticis habuerit ordinationem. Ii enim, qui a similibus baptisma, aut chirotoniam acceperunt, neque fideles, neque clerici esse possunt.

LXVII. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor ieiunium quadragesimale non ieiunaverit, aut feria sexta aut quarta in hebdomada, deponatur, nisi propter corporalem infirmitatem impeditus fuerit; si autem saecularis fuerit, separetur.

LXVIII. Si quis episcopus, aut clericus ieiunaverit cum Iudaeis, aut festum cum eis egerit, aut receperit xenia ab eis quae sunt festorum, puta azyma, aut quidpiam simile, deponatur: saecularis autem segregetur.

LXIX. Si quis christianus deferat oleum ad domum (*templum*) idolorum ethnicorum, aut ad synagogam Iudaeorum, aut lucernam (*in festis eorum, ut lucernam accendat*) separetur.

LXX. Si quis clericus, aut saecularis ab ecclesia sancta abstulerit cereum, aut oleum, separetur, et quintuplum simile addat una cum re ablata.

LXXI. Vasa autem aurea, aut argentea, aut linea (*vela*) quae sanctificata fuerint, nemo in proprium usum accipiat (*convertat*): id enim praeter ius fit. Si quis autem deprehensus fuerit, feriatur sententia separationis.

LXXII. Episcopus, qui accusatur de aliqua re ab hominibus fide dignis, quique sint fideles, debet vocari ab episcopis, et si quidem venerit, ac confessus fuerit, dum obiurgatur (*convictus sit*) definiatur ei sententia (*statuatur ei poena*). Si autem vocatus non audierit, secunda vice vocetur, et missis ad ipsum duobus episcopis: si autem neque ita audierit, vocetur et tertia vice, ac mittantur ad eum (*rursus*) duo episcopi: si autem etiam hoc pacto contempserit, et non venerit, ipsa synodus iudicet de illo prout sibi placuerit, ita ut non existimet, sibi profuisse subterfugia.

LXXIII. Testimonium episcopi haeretici non recipiatur (*Alias* in testimonium adversus episcopum haereticus ne admittatur; sed nec unus solus fidelis) neque unus fidelis, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.

LXXIV. Non debet episcopus fratri suo, aut filio suo, aut alteri consanguineo suo conferre honorem episcopatus, dum ordinatos facit illos, quos vult: heredes enim sui episcopatus facere non est iustum, neque ea, quae sunt Dei, concedere affectu humano: haud enim aequum est, ut ecclesiam Dei ad hereditatis ius trahat. Si quis autem hoc fecerit, irrita sit chirotonia eius, ipse vero accipiat sententiam segregationis.

LXXV. Si quis sit oculo orbatus, aut pede vel femore laesus, dignus tamen sit episcopatu, fiat. Non enim damnum corporis ipsum coinquinat, sed error animae.

LXXVI. Surdus autem, aut caecus episcopus non fiat, non ut pollutus, sed ne ecclesiastica munera impediantur.

LXXVII. Si quis habeat daemonem, non fiat clericus, sed neque cum clericis oret (*Alias:* cum fidelibus precetur): quod si se purgaverit, suscipiatur; et si dignus fuerit, fiat.

LXXVIII. Ille, qui ex gentilitate veniens, baptizatus est, aut ex conversatione mala (*improba vivendi ratione*), non est aequum, ut statim commendetur ei episcopatus: iniquum est enim, quod ille, qui nondum subiit probationem (*sui experientiam ostendit*) aliis sit magister: nisi forte hoc gratia divina fiat.

LXXIX. Mandamus, quod non debeat episcopus se ipsum immittere in dispensationem saecularem (*ad publicas administrationes demittere*) ut aptius satisfaciat rebus ecclesiasticis: alias removeatur; neque enim unus potest duobus dominis servire, secundum effatum dominicum.

LXXX. Filios familias (*servos*) in clerum promoveri absque consilio dominorum suorum non permittimus, tamquam ad molestiam, et contemptum eorumdem dominorum: apostasiam (*eversionem domorum*) enim effecit talis res. Quod si aliquando filius familias (*servus*) dignus apparuerit gradu chirotoniae, uti Onesimus hic noster visus est, et concesserint domini eius, ac libertate illum donaverint, et e domo sua emiserint ipsum, fiat.

LXXXI. Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui in militia assiduus est, et utrumque simul efficere vult, obtinere scilicet magistratum romanum, et sacerdotium administrare, debet deponi: illa enim, quae sunt Caesaris Caesari, et quae Dei Deo.

LXXXII. Ille, qui contemnit regem aut principes praeter ius, poenam luat: et si quidem clericus est, deponatur; si vero laicus, segregetur.

LXXXIII. Sint autem vobis omnibus clericis, ac laicis libri venerandi, et sancti isti: veteris quidem testamenti Moysis libri quinque; Iosue Barnun liber unus (*in aliis exemplaribus* Iudicum unus) Ruth liber unus; regum libri quatuor; bini paralipomenon, quos vocant Syri debar iomin (*verba dierum*) libri duo; Esdrae duo libri: Esther liber unus: Iudith liber unus; Machabaeorum libri tres; Iob liber unus; Psalmorum liber unus; Salomonis libri quinque; XII. Prophetarum liber unus; Esaiae liber unus; Hieremiae liber unus; Ezechielis liber unus; Danielis liber unus. Ex exteris (*extrinsecus*) enim dicimus vobis, ut addiscant filii vestri sapientiam illius eruditissimi Sirach, quem Syri vocant Bar-Sira. Nostra autem, idest novi testamenti, sunt evangelia quatuor, sicut praediximus, Matthaei, Marci, Lucae, Iohannis: Pauli epistolae quatuordecim, Iacobi epistola una, Iohannis epistolae tres, Iudae epistola una, Petri epistolae duae, et Constitutiones, quae scriptae sunt manu mea Clementis vobis episcopis, quaeque editae sunt octo libris, quae tamen non debent manifestari omnibus propter mystica, quae in eis sunt; et actus nostri apostolorum. Haec autem de canonibus constituta sunt a nobis vobis, o episcopi; vos autem firmati in illis (*obtemperantes illis*) vivetis, et pax quoque erit super vos: at si non parueritis, cruciatibus afficiemini et pugna quoque perpetua erit vobiscum]

invicem: et exigetur a vobis iudicium congruum propter inobedientiam vestram. Deus autem ille, qui solus non factus, et omnium factor, per Christum omnes vos confortet; et uniat pacem in Spiritu sancto, et perficiat vos ad omnia opera bona immutabiles, inculpatos, indefectibiles, et dignos vos reddat vita aeterna per filium eius Iesum Christum Deum vivificatorem nostrum, per quem gloria est illi, qui super omnia Deus Pater cum Spiritu sancto et paraclito nunc, et semper, et in saeculum saeculorum. Amen.

Expliciunt canones conditi communi sententia ab Apostolis sanctis, qui traditi sunt per Clementem, ac numero sunt 83. Item canones, qui statuti fuere distincte ab unoquoque sanctorum Apostolorum.

Primum praeceptum Simonis Cananaei. A quot debeat impositionem manus recipere episcopus.

I. Simon cananaeus. Etiam ego praecipio vobis, a quot nempe debeat impositionem manus accipere episcopus. Episcopus a tribus, aut a duobus episcopis impositionem manus accipere debet. Si quis autem ab uno episcopo susceperit impositionem manus, deponatur tam ipse, quam ille, a quo susceperit impositionem manus. Si autem ob necessitatem contigerit, ut quis impositionem manus ab uno accipiat, eo quod plures convenire nequeant, quia scilicet forte persecutio est, aut alia similis causa, libellum consensus et permissionis afferat ab aliis episcopis.

Canones Apostolorum.
De chirotonitis, et de canonibus ecclesiasticis.

I. Episcopus benedicit, non benedicitur: imponit manum sacerdotii, imponit manum benedictionum; offert benedictionem; ab episcopo accipit (*benedictionem*) a presbytero autem nequaquam.

III. Episcopus deponit quemlibet clericum, qui meretur depositionem; praeterquam episcopum, quem solus non potest (*deponere*).

IV. Presbyter benedicit, non benedicitur, benedictionem accipit ab episcopo, et a presbytero socio suo: ipse quoque similiter dat presbytero (*benedictionem*,) imponit manum ad benedictionem, non autem manum imponit sacerdotii: nullum exuit presbyteratu: segregat autem eos, qui sub ipso sunt, si tali reatui subsint, et damnationi.

V. Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit autem ab episcopo, et a presbytero; non baptizat, non offert: cum autem episcopus offert, aut presbyter, ipse dat populo non ut sacerdos, sed tamquam minister sacerdotum.

VI. Nulli autem ex reliquis clericis licet opus facere, quod diaconus facit.

VII. Diaconissa non benedicit: sed neque illa, quae faciunt presbyteri, aut diaconus, facit, nisi quod custodit portas, et ministrat presbyteris, quando baptizant feminas, idque propter honestatem.

VIII. Diaconus segregat subdiaconum, lectorem, cantorem, ad ministerium, si quidpiam fuerit simile, absente presbytero.

IX. Subdiaconus non potest seligere (*destinare*) neque lectorem, aut cantorem, neque ad ministerium vel clericum, vel laicum: minister enim est diaconi.

X. *De primitiis, et decimis.*

Ego Matthaeus praecipio de primitiis et decimis, ut primitiae omnes offerantur episcopo, et presbyteris, et diaconis ad eos alendos. Omnes autem (*decimae*) cedant in substentationem reliquorum clericorum, et virginum utriusque sexus, et viduarum, eorumque qui in paupertate versantur. Primitiae enim sacerdotum sunt, et illorum qui ministrant eis.

XI. *De reliquiis oblationum.*

Item praecipitur de fragmentis illis, quae supersunt ex benedictionibus mysticis, ut nempe iussu episcopi aut presbyterorum, (*diaconi*) dividant clero: episcopo partes quatuor, presbytero partes tres, diacono partes duas, ceteris autem, scilicet subdiaconis, aut lectoribus, aut cantoribus, aut diaconissis partem unam: hoc enim pulchrum, et acceptum est coram Deo, ut quisque honoretur secundum ordinem suum: ecclesia enim non tumultus, sed directionis, est magistra.

XII. *Praeceptum Pauli apostoli.*

Omnis utriusque sexus fidelis ab aurora statim ac surgunt de somno suo, antequam quidquam operis faciant abluantur, et orent: si autem sermo aliquis exhortationis fiat, honorent prae opere ipsum sermonem timoris Dei (*pietatis*).

XIII. Fidelis utriusque sexus filios domorum suarum (*domesticos suos*) benigne respiciant, sicut olim praecepimus, et in epistolis etiam nostris docuimus.

XIV. *De cessatione ab operibus. Praeceptum Petri, et Pauli ut cessent ab operibus in omni hebdomada duobus diebus in sabbato scilicet, et in dominica, sintque assidui in ecclesia.*

Ego Petrus, et Paulus praecipimus, ut opera exerceant diebus quinque, sabbato autem, et dominica sint assidui in ecclesia propter institutionem pietatis. Sabbato quidem dicimus, quia verbum (*rationem*) creationis habet; dominica autem, quia resurrectio est.

Tota hebdomada maiori, et illa subsequenti cessent ab operibus, quia prima quidem est passionis, secunda vero est resurrectionis: necessum est autem addiscere (*alias* docere) quis sit ille, qui passus est, et resurrexit: item quis sit ille, qui reliquit (*qui mori permisit*) et suscitavit.

In Ascensione cessent, propter consummationem oeconomiae Christi.

Die Pentecostes cessent, propter adventum Spiritus sancti, qui datus est illis, qui crediderunt in Christum.

In festo Nativitatis cessent, quia in eo data fuit hominibus gratia illa, quam non sperabant (*praeter expectationem*) quod nasceretur ex Maria Virgine Deus verbum Iesus Christus pro mundi salute.

In festo autem Epiphaniae cessent, quia in eo fuit declaratio divinitatis Christi, et testatus est de eo Pater in baptismo, et Paraclitus manens in specie columbae ostendit adstantibus illum, cui tributum fuerat testimonium.

In diebus Apostolorum cessent: doctores enim vestri sunt in Christo, et Spiritu sancto dignos vos fecerunt.

In die Stephani martyris cessent, et in reliquis martyrum, quia honoraverunt Christum magis, quam vitam propriam.

XV. *De oratione statutis temporibus.*

Orationes perficite mane, tertia hora, sexta, et nona, vespere, atque ad galli cantum: mane quidem, ut confiteamini, quod illuminavit vos Dominus, cum noctem transire fecerit, et diem attulerit. Tertia hora vero, quia in ea accepit Dominus sententiam damnationis a Pilato. Sexta autem, quia in ea Christus crucifixus, et confossus fuit in suo latere, et sanguinem aquamque emisit. Nona porro, quia omnia mota et terrefacta sunt, cum Dominus omnium crucifixus fuit, quia horruerunt audaciam impiorum Iudaeorum, eo quod non expectaverint visitationem Domini. Vespere autem, ut confiteamini, quod vobis dederit quietem a laboribus diei et noctis. In galli cantu vero, quia tempus est, quod annunciat nobis adventum diei ad facienda opera lucis: quod si non possitis in ecclesia convenire propter infideles, domi collectam facite, si episcopus *aderit*, ut non intret fidelis in ecclesiam impiorum (*Alias*: quod si ad ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis, episcope, in domo aliqua, ne ingrediatur fidelis in ecclesiam impiorum), non enim locus sanctificat hominem, sed ipse homo locum. Si autem impii occupaverint locum, fuge ab eo, quia pollutus est ab eis; uti enim sacerdotes religiosi sanctificant, sic immundi polluunt. Si autem neque domi synaxis haberi possit, quisque solus psallat, legat, oret, aut cum duobus, aut cum tribus: ubi enim sunt (*inquit*) duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Fidelis ne in domo quidem oret cum catechumeno (*auditore*): non enim aequum est, ut cum haereticis domi oremus: quae enim societas lucis cum tenebris? Fideles utriusque sexus servis copulati (*qui matrimonium cum servis contraxerint*) vel separentur, vel eiiciantur.

XVI. *De diebus defunctorum, et quinam peragendi sint.*

Peragantur (*memoriae defunctorum*) die tertia cum psalmis, et precibus, propter eum qui tertia die a mortuis surrexit. Die nona ad recordationem eorum qui sunt superstites, et eorum qui defuncti sunt. Die trigesima secundum veterem typum, Moysen enim sic populus flevit. Item anno exacto ad habendam memoriam ipsius defuncti, et suppeditet ex bonis ipsius pauperibus ad recordationem eiusdem. Sed haec de fidelibus dicimus, infideles enim etsi omnia bona mundi dederint pauperibus (*alias* pro eis largiti fuerint) nihil omnino eis proderunt; ille enim, qui in vita sua inimicus fuit Deo, haud dubium, quod sit etiam quando hinc discesserit. Non enim iniquitas est apud eum, iustus quippe Dominus, et iustitiam dilexit, et ecce vir, et opus eius.

XVII. *De vocandis clericis in commemorationibus defunctorum.*

In commemorationibus autem eorum defunctorum cum invitamini, o clerici, ordine et cum timore Dei epulamini, ut possitis orare pro iis, qui defuncti sunt. Qui enim estis presby-

teri, et diaconi Christi, debetis semper esse vigiles et vobis ipsis, et aliis, ut possitis eos, qui incomposite, et inordinate vivunt, monere. Ait enim scriptura: fortes, iracundi sunt; ne bibant vinum, ne bibendo sapientiae obliviscantur, et incorrupte iudicare non possint. Episcopi ergo, presbyteri, et diaconi post Deum omnipotentem, et filium eius dilectum fortes ecclesiae sunt: sed hoc non eo dicimus ut non bibant, quum alioquin non liceat, quod a Deo factum est ad laetitiam, id vituperare, sed ut non fiant temulenti; non enim dixit scriptura, ut non bibamus vinum; sed quid dicit? non ad bibendum vinum ad ebrietatem. Et rursus: spinae crescunt in manu ebrii. Verum hoc non de iis tantum dicimus, qui sunt in clero, sed etiam de omni laico christiano, super quem invocatum est nomen Domini nostri Iesu Christi. Ipsis enim dictum est etiam: cui veh? cui tumultus? cui fastidium? cui nocumentum? cuius oculi lividi? cui confractiones in cassum? nonne iis, qui in vino multum temporis ponunt, et ubi convivia sint, speculantur?

XVIII. *De illis, qui persecutionem patiuntur propter fidem, et fugiunt propter fidem, qualiter opem implorent (sive mereantur adiuvari).*

Illos, qui persecutionem patiuntur propter fidem, et de civitate in civitatem fugiunt, quia meminerunt verborum Domini nostri, suscipite: quia enim sciunt, quod spiritus quidem promptus sit, caro vero infirma, fugiunt, et direptionem bonorum suorum sustinent, ut nomen Christi, quod est in eis sine abnegatione custodiant. Adiuvate itaque eos in iis, quibus egent: ut impleatis praeceptum Domini nostri Iesu Christi.

XIX. *Ne transgrediatur episcopus terminos sibi constitutos a Christo, neque presbyter, nec diaconus, nec subdiaconus, nec lector.*

Hoc autem omnes unanimiter praecipimus, ut unusquisque maneat in ordine illo, qui datus est ei, neque transgrediatur terminos, non enim nostri sunt, sed Dei; dixit enim Dominus noster: ille, qui audit vos, me audit, et ille, qui me audit, audit illum, qui misit me. Et ille, qui vos opprimit, me spernit (*opprimit*) et ille, qui me aspernatur, aspernatur illum, qui misit me. Etenim si elementa diversa, quae sunt sine anima, singula eorum constitutionem propriam servant, ut nox, dies, sol, luna, stellae, elementa, vicissitudines aëris, menses, hebdomadae, dies, horae; et subiiciuntur definitioni actus ipsis dati (*usui sibi constituto serviunt*) iuxta illud, quod dictum est, terminum posuisti, qui non transit. Et rursus de mari: posuisti autem ei terminum circumpositis claustris, et ostiis, et dixisti ei: usque huc pervenies, et non transibis; quanto itaque magis vos debetis nihil audacter commovere ex iis, quae vobis per voluntatem Dei a nobis definita sunt? Sed quia multi etiam hoc servitutem existimarunt esse, ad confundendos ordines, et commovendam chirotoniam singulorum audaces irruunt, usurpantes sibi ipsis gradus illos, qui dati eis non fuerunt, et sibi adiudicantes contumaciter potestatem in illis, quae dare non possunt, ex quo fit, ut irritent Deum, ut illi domus Core et Oziae, qui praeter or-

dinem, et sine Dei auctoritate, et praeter dignitatem summo pontificatu amicti sunt, ex quibus illi igne arserunt, hic lepra in fronte affectus est. Irritant praeterea Iesum, qui ordinavit (*constituit haec*) contristant vero Spiritum sanctum, cuius testimonio derogant auctoritatem. Idcirco nos iuste praevidentes periculum, quod instat iis, qui similia agunt, et contemptum qui sacrificio fit ac eucharistiae, ex eo provenientem quod ii illegitime ac impie offerant ipsum, ac lusum existiment honorem summi pontificatus, qui repraesentat summum pontificem magnum illum Iesum Christum regem nostrum, necessitas incubuit nobis, ut hoc etiam admoneremus. Iam enim aliqui conversi sunt ad vanitatem suam. Dicimus autem, ut Moyses ille, qui Deum placavit, quem Deus facie ad faciem allocutus est, ut homo qui loquitur ad amicum suum, cui dixit: novi te prae omnibus: cui in persona sua loquebatur Deus, et non per oraculum, aut per somnia, aut per angelos, aut per nutûs aenigmata. Hic Moyses legem divinam praecipiebat custodiendam, et distinxit quaenam deberent a summis pontificibus perfici, quaenam vero a sacerdotibus, quaenam autem a levitis; unicuique eorum exercitium proprium et debitum ministerio divino assignans. Et illa quidem, quae a summis pontificibus impleri iubebantur, ad ea sacerdotes accedere non permittebat; ea autem, quae sacerdotibus praescripta fuerant, levitae tangere non poterant, sed singuli ministeria accepta et praescripta custodiebant: si autem aliquis volebat attentare, praeter quam ipsi traditum erat, morte multabatur. Hoc autem maxime ostendit periculum illud, quod Saul expertus est, qui cum ausus fuisset sacrificare sine propheta et pontifice Samuele, inde peccatum et maledictionem inexpiabilem sibi hausit: neque prophetam movit, quod regem unxisset eum. Idem in eademque causa clarius ostendit Deus in Ozia, eo quod sine mora, et sine dilatione supplicium intulit ei ob praevaricationem legis: qui enim summum sacerdotium dure concupivit, etiam regno suo privatus est. Apud nos vero, quae sint, fortasse non ignoratis. Scitis enim plane et omnino episcopos, qui a nobis nominati sunt, et presbyteros, ac diaconos per orationem et impositionem manus differentia nominum differentiam rerum declarare. Apud nos enim non qui vult, is perficit impositionem manus, sicut in diebus vitulorum reprobatorum Hieroboam, in quibus scissum erat amputatumque sacerdotium; sed ille, qui a Deo vocatur. Etenim si non esset aliqua lex posita, et aliquod discrimen ordinum, satis erat, uno nomine denotatos, omnia haec ministeria perficere. Verum cum a Domino didicerimus ordinem rerum: episcopis quidem ea, quae summi pontificatus sunt, attribuimus; presbyteris vero ea, quae pontificatus (*fortasse* sacerdotii) diaconis autem quae ad ministerium utrisque exhibendum pertinent: ut caste fiant, quae ad ministerium pertinent. Non enim fas est diacono sacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem magnam sive parvam facere, neque presbytero chirotonias perficere. Siquidem ordinem haud licet invertere, cum non sit Deus confusionis; ut illi, qui inferiores sunt, contumaci-

ter sibi vindicent ea, quae sunt superiorum, novas leges in malum suum refingentes; ignorantes, durum esse sibi contra stimulum calcitrare. Neque enim huiusmodi homines nos, aut episcopum oppugnant, sed episcopum ommium, et summum pontificem maximum Iesum Christum dominum nostrum. A Moyse namque qui fuit carissimus Deo, constituti sunt pontifices sacerdotes, et levitae. A nostro autem vivificatore nos duodecim apostoli. Ab apostolis vero ego Clemens, et ego Iacobus, et alii qui nobiscum, ne omnes iterum recenseamus, communiter vero a nobis omnibus presbyteri, et diaconi, et subdiaconi, et lectores.

XX. *Quod primus summus pontifex est unigenitus filius Dei Iesus Christus.*

Primus igitur naturaliter summus pontifex ille unigenitus Christus non sibi honorem rapuit, sed a patre constitutus est: qui factus propter nos homo, et hostiam spiritualem offerens Deo patri ante passionem, praecepit nobis, ut nos solum hoc faceremus, cum essent nobiscum alii etiam ex eorum numero, qui crediderunt in eum: sed non protinus, et penitus quicumque credidit, factus fuit etiam pontifex (*alias* sacerdos) aut potestatem summi pontificatus promeruit: nos vero post ascensionem eius obtulimus secundum praeceptum eius hostiam puram incruentam: constituimus episcopos, et presbyteros, et diaconos septem numero, ex quibus unus fuit beatus Stephanus martyr, qui non est remotus a nobis per charitatem quae erga Deum, qui taliter fide sua pietatem erga Deum, et amorem erga dominum nostrum Iesum Christum ostendit, ut pro eo animam suam daret, a Iudaeis Christi interfectoribus lapidibus obrutus: et tamen talis ac tantus vir, qui erat spiritu fervens, qui Christum vidit sedentem ad dexteram Dei, et caelestes ianuas apertas, nusquam cernitur iis usus esse, quae ministerio eius non essent convenientia, neque sacrificium obtulit, neque imposuit manum alieni, sed potius diaconi ordinem usque ad finem custodivit; sic enim martyrem Christi decebat ordinem implere. Quod vero nonnulli Phillppum diaconnm, et Ananiam fratrem fidelem ostendunt, quod ille quidem eunuchum baptizavit, hic vero me Paulum, non intelligunt quod nos dicimus neminem sibi potestatem sacerdotii rapere posse, sed vel a Deo accipere, ut Melchisedech, et Iacob, aut a pontifice summo, ut Aaron a Moyse. Itaque et Philippus, et Ananias non se ipsos elegerunt, sed a Christo summo pontifice Dei (*alias* Deo) cum quo nemo comparari potest, electi sunt.

Expliciunt canones ecclesiastici sanctorum Apostolorum, scripti per Clementem. Et Deo gloria; *super me autem scriptore peccatore miserationes Dei effundantur. Amen.*

tutione et primatu, deque episcoporum per ipsum consecratione VIII. 9. IX. 5. Liber traditionum seu commentariorum V. 8. 9. Regulae scholae nisibenae VI. 3.

De Zachariae fragmentis historiae ecclesiasticae.

VI. Codicum orientalium utilitatem rursus nobis demonstrat Zacharias historicus in sua graeca lingua deperditus (locis iis exceptis quos citat Evagrius) sed in syriaca partim conservatus, in quam olim nescio quo interprete translatus fuit. Notitiam eius tradit Assemanus in B. O. T. II. p. 53, unde cognoscimus vixisse ipsum sub magno Iustiniano circa annum 540. et ultra; rhetorem professione fuisse, et deinde melitinensem in Armenia minore ad Euphratem episcopum (1), quam sedem numerat inter iacobiticas idem Assemanus eodem tomo in dissert. de Monophysitis. Igitur Guillelmus Cavaeus errat, qui hunc historicum ad annum 491. refert, eiusque in loco ad annum 536. Zachariam scholasticum ponit; vel potius duos ex uno homine facit. Ego vero quum inter editas a me Procopii gazaei epistolas (class. AA. T. IV.) nonnullas videam ad eruditum quemdam Zachariam missas, praetereaque inter ineditas Iohannis gazaei grammatici odas unam esse sciam in qua philologus Zacharias laudatur (qui duo, Procopius inquam atque Iohannes, aequales Zachariae historici fuerunt) mihi propemodum persuasi hunc eundem esse historicum et episcopum, qui antea rhetor in celebri Gazae urbis schola fuisset. Zachariae historia ecclesiastica, ut observat Assemanus, a Constantini magni imperio usque ad annum Iustiniani saltem vigesimum, Christi 546, decurrebat; eaque in tres partes distributa erat; quarum in prima Socratem, in secunda Theodoretum expilabat Zacharias; in tertia denique ipse marte suo loquebatur; sed tamen huius pretiosioris partis nihil aliud in syriaco codice vat. 146. superest, quam illa novemdecim capitula, quae nos syriace latineque vulgamus. Ex his duodecimum breve de Marino apamensi Assemanus T. II. B. O. dederat; itemque illud praelongum et praestantissimum de Homeritarum martyrio T. I. cap. 29, ubi de Simeone ab an. 510. ad 525. episcopo betharsamensi scribit, a quo illam praeclaram historiam sumpsit ipsis verbis Zacharias. Erat autem Simeon orthodoxus episcopus, ut demonstrat Assemanus; quare et hi admirabiles Homeritae pro

(1) Melitenen e magnis urbibus unam (praesertim post Iustiniani incrementa, Zachariae nostri aevo) christiano populo frequentissimam, cum sacris aedibus LVI, et ingenti sacerdotum numero, dicit biographus quidam apud Assemanum B. O. T. II. p. 149. De eadem sermo est in descriptione episcopatuum iacobiticorum; praeter dicta a geographis. Regio eius primum Cappadocia fuit, deinde minor Armenia. Indidem erat, teste Eusebio hist. eccl. V. 5, illa legio christiana, quae pluviam a Deo exercitui romano impetravit sub M. Aurelio imp.

*

fidei catholicae confessione tale tantumque certamen anno Christi 524. sustinuerunt, quod meo iudicio Machabaeorum et romanae matronae Felicitatis eiusque liberorum gloriam exaequat. Iam vero integra Zachariae historia certe in quadam byzantina bibliotheca erat, ut legebam partim in codice vat. reginae svecae, et partim in eodice mediolanensi, in quibus hi deperditi apud nos libri recensentur. 1. Zachariae rhetoris historia ecclesiastica. 2. Cyrilli monachi epitome et explicatio legum imperialium. 3. Iohannis ecclesiae romanae lectoris historia Constantini magni. 4. Iohannis papae romani explicatio in evangelia dominicalia totius anni. 5. Procli patriarchae constantinopolitani historia graecae theologiae. 6. Sabini monachi epitome omnium synodorum. 7. Symmachi hebraei interpretatio in psalterium, itemque in omnia Bibliorum volumina. 8. Dionis historia, desideratis tantummodo quatuor foliis. (Alter codex dicit initio, alter in medio.) 9. Menandri Comoediae integrae XXIV, explicatae a Michaële Psello. 10. Philemonis Comoediae. 11. Euripides totus. 12. Aristophanis omnia. 13. Sophoclis omnia. 14. Euclides totus. 15. Lexicon Iustiniani magni. 16. Lexicon Polydori. Salivam me commovere philologis scio; ceteroquin et hos eventus Deus moderabitur.

Praetermissa quaedam in Zachariae editione.

VII. Locum de Romae excidio a Gothis sub Iustiniano praetermiseram in editione, quia initium tantum narrationis erat ab ovo repetitum, ideoque nullius usus. Descriptionem item romanae urbis sine interpretatione reliqueram, quia vocabula quaedam in syriaco textu tam corrupta sunt, ut sensus nullus inde extricari posse videatur. Nunc tamen antiquitatum romanarum studiosos hoc orientali subsidio fraudare nolo; ita tamen ut in vocabulis desperatis coniecturas meas proponam, meliores deinde expectans a peritioribus. Opto autem ut conferatur otiosius haec descriptio cum regionum urbanarum scriptoribus, et praesertim cum vaticano apud Muratorium Inscript. p. 2126. seqq. edito, eiusque breviario p. 2134.

Cap. XIX. De Romae excidio, quae sub Iustiniano augusto expugnata a barbaris ac deleta fuit.

Tertio post Ilium captum anno (1), *sacerdotium gerentibus Eli ac Simeone Hierosolymae, Romae reges coeperunt emergere, quae antea dicebatur Italia: regesque qui in ea regnabant, proxime accedebant ad pri-*

(1) Ex Eusebii chronico, cuius vide nostram editionem T. VIII. p. 311.

mitivos homines. Ioatham autem et Achaz (1) *apud Iudaeos imperantibus, Romulus Romae imperavit, eamque nobilibus aedificiis construxit, dictaque fuit ab eiusdem nomine Roma: civium autem eius imperium, dictum fuit Romanorum, Ezeciae regis temporibus.*

De urbis Romae ornamentis.

Ornamentorum romanae urbis haec brevis historia est: in primis rerum copia atque tranquillitas, qua eius cives fruuntur, permagna ac multiplex est. Deliciae eiusdem et commoditates superbae atque magnificae, quales nimirum admirabilem urbem decent. Porro ornatuum eius praestantia (praeter ea quae in interioribus aedibus sunt, puta columnarum in atriis domesticis elegantiam ambitumque earum et excelsitatem) talis tantaque est, ut civitati quaquaversus admirabili prorsus congruat. Sunt in ea apostolorum ecclesiae XXIV. Basilicae duae magnificae, in quibus imperator habitat, conveniuntque coram eo senatores quotidie. Viae magnae atque spatiosae CCCXXIV. Capitolia duo. Signa aurea Deorum magna LXXX; eburnea item Deorum LXVI. Domus quadraginta sex mille sexcentae et tres. Palatia MDCCLXXXXVII. Fontes aquam eructantes MCCCLII. Pistores CCLXXIV, qui panem civibus suppeditant, praeter eos qui eundem panem vendentes urbem circumeunt (2). *Sepulcra VM, in quibus congesta sepeliuntur cadavera. Bases magnae marmoreae XXXI. Signa aenea MMMDCCLXXXV. imperatorum aliorumque ducum. Similiter alia aenea XXV. referentia Abrahamum, Saram, regesque de stir-*

(1) Confer rursus Eusabium p. 329.

(2) Marci Vergilii Eurysacis pistoris redemptoris, aiusque coniugis Atistiae, sepulcrum grande mirumque Romae detectum hoc anno est ante portam praenestinam iuxta Claudii aquaeductum. Panarium dicitur id monumentum in inscriptione, eiusque revera formam habet; et in ambienta opere anaglypho pulcra et ampla totius panificii, a molendino usque ad venalem panis distributionem, repraesentatio est. Singulare coniugum horum consilium! qui quum opes suas pistoriae arti acceptas referrent, in marmoreo panario sepeliri se iusserunt, apposita utrinsque insigni statua. In occidentali latera haec bonis litteris inscriptio legitur.

EST . HOC . MONIMENTVM . MARCEI . VERGILEI . EVRYSACIS
PISTORIS . REDEMTORIS . APPARET (apparitoris?)

In lapida autem iuxta idem monumentum reperto

FVIT . ATISTIA . VXOR . MIHEI
FEMINA . OPITVMA . VEIXSIT
QVOIVS . CORPORIS . RELIQVIAE
QVOD . SVPERANT . SVNT . IN
HOC . PANARIO

pe Davidis, quae Vespasianus imperator Romam detulit, post deletam Hierosolymam, cum eiusdem urbis portis aliisque monumentis. Colossi duo. Columnae cochlides duae. Circi duo. Theatra XXXI. Aedificia obstetricibus destinata duo; parturientibus autem, quatuor. Amphitheatra XI. Equi aenei grandes atque magnifici XXII. Balinea DCCCCXXVI. Arvilicon (*Arcus?* ἀψιστόλια, *rostra? bibliothecae? obelisci?*) *IV.* Tinon ankaphtrion (σίτων ἀποθῆκαι, *horrea? pistrina?* τῶν ὠνίων ἀγοραὶ, *fora rerum venalium?*) *XIV.* Phrenmapoli (τέθριππα, *quadrigae?*) *equorum peregrini aeris duo. Xysti XLV. Officinae aromatariae MMCCC. Carceres CCLXXXXI. Prope loca ludis publicis destinata latrinae CCLIV.* Amprochi (ἄγρυπνοι, *vigiles?* στενώπαρχοι, *vicomagistri?* ἀγορανόμοι, *aediles?*) *ob urbis custodiam DCLXXIII, quos inter praesident septem. Portae urbis XXXVII. Ambitus urbis XXIMDCXXXVI. pedes, quae sunt quadraginta passuum milia. Latitudo vero ab ortu ad occasum milia passuum XII; a septentrione ad meridiem milia passuum XIII. Utinam fidelis Deus prosperitatem eius futuram praeterita maiorem faciat, quandoquidem urbs haec universi romani imperii decus est!*

VIII. Zachariae notitiam curiose ex monumentis conquirens, haud negligendum putavi codicem vallicellianum, olim Allatii, in quo praeter alios graecos melodos, Iohannem quoque gazaeum grammaticum, cum sua inscripta Zachariae cuidam ode, connumerari cognoveram. Nam de alio quoque simili melodorum graecorum a me inspecto codice dixi olim in praefatione ad huius collectionis volumen primum; atque ut ille abs quovis erudito divulgaretur hortatus sum, quod tamen hactenus nemo attentavit; nunc idem fatum vallicelliano instare prorsus non iudico, quia vir industrius non deerit, a quo tamdiu muta dictorum melodorum cithara pulsetur. Igitur ut Zachariae mei notitiam indagarem, praedictum Allatii codicem adii, ubi hunc titulum odae legi: Ἰωάννου γραμματικοῦ Γάζης λόγος εἰς τὸν ὑπερφυέστατον Ζαχαρίαν τὸν δοῦκα τὸν ἀσκαλωνίτην· ἔχει δέ τινα καὶ εἰς τὸν μεγαλοπρεπέστατον Ζαχαρίαν τὸν γαζαῖον παρόντα τῇ ἀκροάσει. Duo igitur heic appellantur Zachariae, quorum primus nobilissimus ascalonensis *ducas*, id est mille militum dux, ut ait Mauricius apud Cangium τοὺς λεγομένους δοῦκας, ἤτοι χιλιάρχους. Reapse is in ode dicitur στρατηγός. Sic enim incipit: ὁ λόγος στρατηγικὴν λαβὼν ἐξουσίαν — θαῤῥῶν πρόεισι τῷ στρατηγῷ συντρέχων. Alter vero clarissimus Zacharias, patria gazaeus est: et priorem quidem Martem vocat poëta, alterum Phoebum, propter eius scilicet eruditionem:

πόθεν ἦλθε φοῖβος ἄνδρας
κράτος Ἄρεος κεράσσας;

ὁ δὲ φοῖβος ἄλλος ἐγγὺς
πάλιν εἴκελος φαάνθη.

Porro ex his utrum alteruter evaserit historicus atque episcopus melitinensis, an potius neuter, definire non queo: sed certe uni ex his Procopium ga-

EBEDIESU

COLLECTIO CANONUM SYNODICORUM.

Ope perpetua, et infinita Trinitatis sanctissimae ac beatissimae, ego humilis scribere aggredior Canones synodicos, quos collegit sanctus et Christum amans pater noster dominus Ebediesu metropolita Sobae et Armeniae. Domine noster corrobora et adiuva me, ac tua gratia et benignitate ad complementum adducito me.

PRAEFATIO EBEDIESU.

Tatianus quidam philosophus cum evangelistarum loquentium sensum suo intellectu cepisset, et scopum scriptionis illorum divinae in mente sua fixisset, unum ex quatuor illis admirabile collegit evangelium, quod et Diatessaron nominavit, in quo cum cautissime seriem rectam eorum, quae a Salvatore dicta ac gesta fuere, servasset, ne unam quidem dictionem e suo addidit. Similiter et mihi vilissimo servorum Dei visum est, cum a tenentibus gubernacula ecclesiastici regiminis stupenda et praeclara ac maxima, quique praeminent omnibus bonis officiis iussus fuissem, ut vitam hanc meam umbratilem et transitoriam in meditatione, quae mihi et universis prodesset, transigerem, nimirum ut in exercitatione simili, duo, quae diligentissime curanda sunt, prae oculis haberem, laetus humeros meos intellectuales imperio eorum subdidi, meque ad implenda eorum iussa paravi, quae eo spectabant ut collectionem brevem canonum synodicorum facerem, et per vestigia eorum in hoc spirituali labore incederem, et canones ac ordines, qui conveniunt cuique e gradibus ecclesiasticis, inquam, et saecularibus serie congrua contexerem pro mensura vilitatis meae, et partes plasmatis spiritualis ac semitam timoris Dei, quamlibet nimirum seiunctam, quae in canonibus patrum nostrorum continetur, et seorsum a cuiuslibet societate posita est, in unam collectionem et connexionem adducerem, unamque imaginem decori plasmatis constituerem, cuius visus dispelleret ab animabus ipsum intuentibus foedos ignorantiae morbos, quin pollucrem sanctitatem verborum patrum per sensus simplices, quos ex proprio cerebro confingerem, sed servatis serie et ordine convenientibus, ea quae illorum sunt, a mutatione et vicissitudine praeservarem, et nude absque ulla additione in proprio ipsorum charactere eadem exhiberem. Ubi vero necesse est recurrere ad canonem, nec hic inveniatur in illis oecumenicis, e synodis orientalibus acciperem, eumque rite collocarem. Si autem oecumenici canones fuissent obscuri, orientales vero per-

spicui ac lucidi negotium manifestassent, id quod magis clarum est, proponerem : illud porro curarem, ne res ulla, siquidem gratia me adiuverit, relinquatur sine canone (*ex quo ea definiri possit*) et ne unus et ipse canon reiiciatur ob synodorum diversitatem. Ceterum inter res intersero etiam tempora vera synodorum nominatarum cum verbis earumdem colligata. Et ubi necessitas postulaverit, in canonis initio indicabo eiusdem conditorem. Illarum vero (*synodorum*), quae omnibus notae sunt, nomina vix commemoraturus sum; nam scopus meus in hac collectione est brevitati et compendio studere, adeo ut superflua reiiciam, prolixa compendio exhibeam, et breviter ac summatim ea, quae desiderari possunt, comprehendam, quo lectori taedio non sit frequentia textuum et prolixtas ac multiplicitas verborum.

Primum itaque rogo, ac supplex obsecro omnes illos, qui in hunc laborem inciderint, ut sacrificium deprecatorium continens odorem charitatis in mentium suarum sanctuario offerant pro tenuitate mea Domino omnium, ut gratis recipiar, et quiescam in tabernaculis aeternis miserationum, quae ex mammona virium mearum feci, per orationes omnium sanctorum, quorum nomina scripturus sum, dum certissime scio, quod omnes illi, qui ab aestu invidiae commoti circumferuntur, et in mari criminationum adversus omnia merguntur, supercilium erecturi sint, et labia commoturi, in tres classes dividentur : nonnulli enim dicent, compositionem hanc novam recentemque esse, neque omnino recipi debere : alii vero philosophantes definient, quod hic inanem gloriam captaturus, in alienum introierit laborem : alii demum contendere non desistent, quod aequum non sit, eum qui ad gradum summi sacerdotii haud pervenit, ad haec mirabilia tractanda accedere. Verum stupidi hi homines scire debebant, vanas esse et futiles hasce opinationes. Et a prima quidem opinione sanandi erant per confessionem, quae praecessit, et per exemplum Diatessaron. Secundae opinionis homines infirmi sunt, nam monstrare non possunt in ecclesia talem collectionem compendiariam existere. A tertia demum opinione desistent, siquidem commemorent felicis recordationis beatum dominum Eliam patriarcham collectionem sententiarum de hereditatum divisione composuisse, cum adhuc sub capite esset subditus, et presbyter. Ego autem haec et similia praeteriens, ad ea, quae mihi proposita sunt, accedo, et ope illius, qui fidem dedit, dicens : quicumqué invocaveris nomen meum, veniam ad te, et benedicam tibi ; hac spe erectus illius clementiam supplex rogo, ut ipse doceat meditari ac legere, ipse erudiat ad intelligendum et investigandum, ipse dirigat ad ordinandum et disponendum, ipse det efficere, custodire, et operari id quod vitae ac quieti domesticorum ipsius prosit, ipsiusque dominationis voluntati placet ac satisfacit.

Quoniam vero in mundum primo ingredimur, eiusque negotiis implicamur, deinde vero ad ecclesiasticas hasce institutiones venimus, et quia ab hoc mundo gradatim promovemur ad elevationem in caelum ; hinc est, quod iuxta ordinem congruum describenda fuit primo series iudiciorum de nego-



tiis saecularibus: tum altera de negotiis ecclesiasticis. Quemadmodum vero in omnibus scripturis inspiratis a Spiritu sancto, natura praedicatur ante scripturam, ita in duos tomos divisi, uti aequum est, et distinxi canones omnes synodicos, qui religiosam piamque vitam ordinant. Et in primo quidem tomo omnia, quae communiter saecularibus praescribuntur, iisque canonice praecepta sunt, recto ordine digeram, sive illa pertineant ad sponsalia, ac matrimonia, sive ad hereditatum divisiones, et decisiones iudiciales circa ea omnia, quae inter eos accidere solent negotia; sive ea spectent ad fidem, morum pietatem, et conversationis ac disciplinae decorem. In altero vero tomo canones comprehendam, qui congruunt omnibus coetibus, qui ministerium in sancta ecclesia obtinent; ubi dissero de electione omnium ordinum, et chirotonia eorumdem, et ago de canonibus eo spectantibus, et convenientibus. Ministerium (*executio*) autem horum dignoscitur ex divisione capitum certorum, quae cuilibet tractatui praecedunt: illa enim ad uberiorem dilucidationem initio amborum tomorum scribo; quo sine labore quisque possit distinguere, et dignoscere id quod poscit; dum scilicet numerum tenet, qui ad latus rei in compendio positus est, et quaerit locum, in quo signatus est. Haec satis. Tractatus autem primi tomi sunt quinque, et haec est eorum descriptio, uti et capitum eorumdem.

INDEX TRACTATUUM.

TRACTATUS I.

De iis, quorum cognitio toti communitati necessaria est.

CAPITA EIUSDEM TRACTATUS.

I. Undenam nomen synodi desumptum, et quid significet.

II. Quod canones ab episcopo, aut doctore extra synodum conditi, synodales minime vocandi sint.

III. Historia oecumenicae (*hoc est* nicaenae) ex recensione Maruthae Maipheractae episcopi, rogatu Isaaci catholici.

IV. Fides 318. (*patrum nicaenorum*) cum brevi expositione synodi Iesuiabi.

V. Nomina episcoporum synodi oecumenicae, provinciarumque eorum, et civitatum, ut nobis invenire licuit.

TRACTATUS II.

De matrimoniis, et ritibus sponsaliorum christianorum, et quomodo haec peragenda sint, deque ceteris ad hanc rem pertinentibus.

CAPITA EIUSDEM TRACTATUS.

I. De personis, eorumque numero, quibus nubere nefas est.

II. De ordinibus, et canonibus desponsationis.

III. Si quis in regione fuerit, ubi

TRACTATUS III.

De divisione hereditatum.

CAPITA EIUSDEM TRACTATUS.

VI. De fratribus, et sororibus, et quantum hereditatis alteri ex altero contingat.

VII. De avis, et aviis, et quantum hereditatis eis contingat ex filiis filiorum.

VIII. De fratribus, et sororibus patris, deque fratribus, et sororibus matris; et qualis eis hereditas contingat ex filiis fratrum, sororumque suarum.

IX. Quod hereditas avis paternis cum fratribus sororibusque matris minime contingat, neque avis maternis cum fratribus et sororibus patris.

X. De viro, et muliere consanguineis, et quantum hereditatis alteri ex altero propter coniugium, et affinitatem contingat.

XI. De sponso, et sponsa, et quod nulla alteri ex altero hereditas contingat.

XII. De monacho, an possit consanguineorum heres esse, aut illos heredes instituere.

XIII. De testamento.

XIV. De dimissa et dimisso, et quod nulla ab invicem hereditas contingat.

XV. De apostata; et quod neque heres esse, neque heredes instituere potest, nisi paenitentiam egerit, et ad fidem redierit.

XVI. Quod qui heredes non habet, eius hereditas ecclesiae contingit.

XVII. De filio spurio.

XVIII. De filio, cuius pater ad aliam sectam transiit.

XIX. De filio, qui nascitur, patre longe absente.

XX. De filio ex baptismo, et ex educatione.

XXI. De filio contumace; et an hereditet, nec ne.

XXII. De filia, quae fornicatur vivente patre.

XXIII. De defuncto, qui relinquit mancipia manumissa, et non manumissa.

XXIV. De mancipiis defunctis tam manumissis quam non, cui nam hereditas eorum contingat?

XXV. De filiis illegitimis.

TRACTATUS IV.

De iudiciis, et causis, quae inter fideles contingunt.

CAPITA EIUSDEM TRACTATUS.

I. Quod nefas sit christianis adire extraneos iudices.

II. De christiano, qui socium percutit; deinde qui percussus est, iudicem adit vindictae causa.

III. De iis, qui in iudicio contendunt.

IV. De chirographo certo, et dubio.

V. De testimonio certo, et dubio.

VI. De possessione bonorum certa et dubia.

VII. De mutuo, et debito.

VIII. De usura, et foenore.

IX. De pignore.

X. De commodato, si forte perierit.

XI. De deposito, si id perire contigerit.

XII. De venditione, et emptione.

XIII. De societate mercaturae.

XIV. De aedibus multiplici contignatione constantibus, de via, de foro, de aquae ductu et aedificiis.

XV. De participatione in rebus inventis cum sociis.

TRACTATUS V.

De iis, quae canonice praecepta sunt omnibus universim christianis, quae, et qualia sint.

CAPITA EIUSDEM TRACTATUS.

Expliciunt capita tractatuum tomi primi.

TRACTATUS I.

DE IIS QUAE COMMUNIA SUNT.

I. *Undenam nomen synodi desumptum, et quid significet?*

Nomen hoc synodi desumptum est ex ratione luminarium; significat autem perfectionem congregationis, idest collectionem, quae habetur cum principibus, qui simul coëunt. Terminus (*definitio*) autem eius est conventio stellarum cum luna et sole. At si iuxta ecclesiae acceptionem definiatur, est congregatio christianorum cum capite eorum episcopo. Attamen concilium dicimus, episcoporum, et metropolitarum cum catholico (1). Quod si fuerit collectio capite destituta, etsi omnes communiter complectatur, non dicitur synodus.

II. *Quod canones ab episcopo, vel doctore conditi extra synodum, synodales minime vocandi sint.*

Iam vero si episcopus aliquis aut doctor sanciant canones aliquos, dum non sunt in concilio synodice congregati, canones isti non debent recipi ab omnibus, neque synodales vocari. Si autem catholicus eos receperit, et ipse patriarcha propter eos concilium cogat, in quo recipiantur, tunc synodici appellantur, uti sunt iudicia Timothei, et Iosue Barnun, quae recepta fuere a synodo patrum, et synodica nominata sunt.

III. Historia oecumenicorum (*concilii scilicet nicaeni*) ex recensione Maruthae (2), Maipheractae episcopi, rogatu Isaaci catholici.

Cum beati Apostoli in mundum profecti sunt, ut annunciationem evangelii gloriae Christi praedicarent, haudquaquam cum sua annunciatione docuerunt ordines, et canones; sed hoc eorum studium fuit, ut omnes homines ab errore idololatriae revocarent ad Crucifixi triumphatoris adorationem; utque initiati, seu catechumeni, custodirent se ipsos a fornicatione, et foeditate idolothitorum, a sanguine, et suffocato. Ex quo vero in omnem terram exivit annunciatio eorum, et in fines orbis verba eorum, atque per eos fides Christi in toto mundo promulgata fuit, eamque receperunt, eique se se subdidere populus iudaeus, et populi gentiles, debellatus fuit Satanas cum angelis suis, ac diffamati pudorem confusionemque induerunt. Ubi autem malignus perspexit, quod in primo certamine nihil proficeret (3), sed tremorem et confusionem lucratus esset;

(1) Quinam apud Chaldaeos et Nestorianos sint episcopi metropolitae, catholici, et patriarchae, et quando ita vocari coeperint, videsis apud Asseman. iun. in commentar. histor. de catholicis Chaldaeorum, ac Nestorianorum, ubi a pag. 89. de Timotheo agit, et a pag. 90. de Iosue Barnun. (2) De Marutha egit Asseman. sen. in biblioth. orient. tom. I.. Et de Isaaco catholico videndus est Asseman. iun. in comment. cit. pag. 12. Fabulosa videtur aliquibus historia, et Maruthae supposita. Illud certe dolendum, acta integra concilii nicaeni fuisse deperdita in romano potissimum imperio; idque, nisi coniectura me fallit, opera Arianorum, et Semiarianorum, qui ipsiusmet concilii memoriam ex hominum mentibus abolere studuerunt. (3) Loquitur de persecutionibus in Christum, et Christianos motis ab Hebraeis, et ethnicis, in quibus contigit, ut sanguis martyrum semen fieret Christianorum.

tunc aliud certamen priore amarius instituit: schismata itaque, ac divisiones iniecit, ac multiplicavit perturbationes, contentionesque in populo ad caelum vocato; ex quo multas haereses invexit in ecclesiam, ipsosque christianos inter sese commisit, adeo ut quot numero episcopi essent, tot haereses recenserentur, unde et veritas in iniustitia detenta fuit, ac iustitia oppressa, fideles vero imminuti sunt, haeretici autem multiplicati creverunt.

Tunc, quemadmodum radii solis adparent inter densas nebulas, illuxit diadema fidele regni victoris, dignus bona memoria Constantinus Caesar. Hic zelo compulsus, quo pro fidei veritate flagrabat, ad clarissimum orthodoxiae lumen Alexandrum episcopum hierosolymitanum, et martyrem (*scripsit*): « (1) Sic etenim didici ex libris sanctis, qui dicunt: ex Sion exit lex, et verbum Domini de Hierusalem. Ergo statim ac recipies epistolam regni nostri, velociter ad nos ascende: iustum quippe est, ut ecclesiae sanctae ex his templis sanctis veritas fidei in Christum prodeat. Mihi enim sunt episcopi duo in regionibus, qui me quotidie conturbant, et quaestione vocum futilium molestiam creant nostro auditui: quia et proelia multa fuerunt nobis in regionibus, quae nos circumstant: potissimum autem a Iudaeis, et gentilibus, qui alieni sunt ab omni ordine religionis nostrae, prohibiti fuimus quominus haec diligenter curaremus. Sed nunc, cum rex Christus quietem nobis dedit ab omnibus, qui nos circumdant, ac invicti regni nostri potestati subiugavit subiectos, et non subiectos, alia iam nobis cura non est, nisi ut haec ac similia sollicite curemus: et en tantummodo expectamus adventum tuum, ut a te veritatem discamus, moxque ad opus sine mora incumbamus. Fac itaque, sicut scripsimus, et ora pro regno nostro. »

Cum igitur beatus Alexander accepit epistolam, qua ascendere iubebatur, se ipsum accinxit, et illico profectus est: quia vero timuit ob haereticos terrestre iter arripere, ascendit navim, ac maritimum iter suscepit, et eadem die, qua navim conscendit, apparuit ei in somnio vir, qui dicebat ei: faciem regis terreni haudquaquam videbis, quia velociter duceris ad videndam faciem regis caelestis. Tunc scripsit epistolam de veritate orthodoxae fidei, quam rex addiscere cupiebat, eamque obsignatam tradidit Macario presbytero suo, atque eam misit terrestri itinere ad regem. Ipse vero beatus iter suum maritimum prosecutus, ad insulam Patram dictam pervenit, ubi haeretici eum apprehenderunt, ac multis ingentibusque promissionibus pellicere eumdem studuerunt, et trahere in suam sententiam; ast cum blanditiis illum sibi obsequentem habere non potuissent, flagris acerbis, et saevis animam eius ad Dominum nostrum miserunt. Martyrio itaque coronatus pro Christi fide, ex hoc saeculo aerumnoso exiit.

Id ubi audivit Constantinus rex, mirum in modum contristatus est. Ex quo autem pervenit in manus

(1) Fragmentum epistolae Constantini magni ad Alexandrum episcopum.

eius epistola beati viri per Macarium presbyterum, inflammatus zelo divino scripsit prostagma (*edictum, sive litteras encyclicas*) ad omnes mundi episcopos, in haec verba. « Constantinus Caesar Augustus auctocrator, rex, victor, universae ecclesiae, quae sub caelo est, subditis, et non subditis in Christo rege nostro pax. Excitamini omnes sollicitudine impigra ad accedendum ad synodi coetum in regione Bithyniae, in civitate Nicaea pro fidei verae ventilatione. Nulli autem sive qui coniunctim sive qui seorsum versantur, accedere impediantur; nemo rursus violenter ducat socium suum, nec impediat eum ab accessu ad synodum, et a tuenda fidei suae professione in synodo in conspectu omnium episcoporum: ita ut una sit confessio, unum vinculum, et una coniunctio inseparabilis, totaque ecclesia consistat in una fide absque divisione per unum corpus perfectum, et conformem integramque voluntatem. Nemo transgrediatur, et contemnat iussum sacerdotii, et imperii. Tempus propterea concedimus, quod itineri absolvendo sufficiat, annum scilicet unum, et menses duos. Mense itaque octobri conveniant omnes episcopi in civitate Bithyniae Nicaea, quae sita est prope Metropolim nostram fidelem. Valete in Domino nostro. »

Quoniam vero omnes episcopi tam subditi, quam non subditi, expetiti fuere, etiam S. Simeon Bar-Sobae, catholicus Seleuciae et Ctesiphontis, vocatus fuit atque expetitus(1). Ast propter turbationem regionum finitimarum non ascendit (*ad concilium nicaenum*) sed scripsit epistolam per Saadostum suum presbyterum in haec verba. « Nisi ethnici, qui sanguinem nostrum sitiunt, impedirent, vehementer optabam venire (*ad synodum*), benedictionemque accipere ab illo concilio sacerdotali, et a regia invicta maiestate vestra; verum omne id, quod fecerit universitas episcoporum, qui pro adserenda veritate persecutionem passi sunt, etiam ego suscipio, et laetus eis consentio. » Cum igitur congregati fuissent episcopi iuxta iussionem regis, rex legit capitula fidei, quae scripserat Alexander episcopus Hierusalem per manum Macarii sui presbyteri; lectis autem iis coram 2048. episcopis, soli 318. illa receperunt (2).

Tunc ipse rex tulit suum annulum, sceptrum, et gladium, deditque eis, dicens: en datur vobis potestas (3) super totam ecclesiam, super sacerdotium, et super regnum, et super om-

(1) De Simeone hoc vide cit. commentar. Asseman. iun. p. 2: cumque Persidis, et orientis provinciae non essent subditae romano imperio, et omnes etiam non subditi ad concilium vocati fuissent, colligitur concilium auctoritate ecclesiae fuisse indictum: neque enim Constantinus potuisset sine ecclesiae auctoritate episcopos non subditos suo imperio convocare. (2) Unde hauserit Ebediesu hanc historiam nescio; omnes hactenus opinati sunt, solos 318. patres convenisse Nicaeae, ast Sobensis conventum fuisse 2048. episcoporum dicit, et solos 318. fuisse, qui capitula fidei, utique contra Arianos, susceperunt, eisque subscripserunt. En ergo ex Sobensis sententia sequitur numerum etiam exiguum episcoporum cum romano pontifice consociatorum satis esse ad firmandas regulas fidei. (3) Potestas ecclesiae non provenit a regia laica potestate, sed a Christo: ast cum principes essent infideles, ecclesiam vexabant, neque ista poterat commode ac publice suam exercere potestatem, contradicentibus principibus saeculi: ecclesiae nempe status erat ab initio depressus, uti et religio ipsa, ac Dei cultus. Ex quo autem reges ipsi, pro debito obsequii iure sese ecclesiae aggregaverunt, hanc matrem magistramque promovere conati sunt.

nes coetus, qui subsunt sacerdotio, et imperio; facite, quod vultis auctoritate herili (*propria*), et Dominus requiret ex manibus vestris perditionem, et inventionem omnium filiorum ecclesiae. Tum cum synodus oecumenica accepisset potestatem a rege, dixerunt patres, ut ordinarentur gradus, et sederent episcopi, quisque in suo throno, prout conveniens erat. Constitutis autem sedibus, rex quoque intravit, et sedit apud eos, et osculabatur illa corporis eorum loca, in quibus stigmata Christi praeferebant. Non enim erat episcopus inter illos 318. patres, in quo cicatrix non appareret, si undecim patres exceperis, quorum haec sunt nomina: Absalama episcopus Edessae nepos ex sorore S. Ephremi, Ionas Circassii, Maras Darae, Georgius Singarae, Iacobus Nisibis, Maruthas Maipheractae, Iohannes Gustrae, Simeon Amidae, Adaeus Aghal, Eusebius Caesareae, Ioseph Nicomediae; reliqui vero omnes ex tribulationibus, et persecutionibus haereticorum, nonnulli oculo carebant, aliis maxillae et dentes avulsi erant, aliis manuum ac pedum ungues praecisi fuerant; aliis latera compressione et flagrorum percussione livida erant. Uno verbo nemo, praeter undecim recensitos, extitit immunis a cicatrice: sed maxime horrendus fuit, ac visu deformis Thomas Marcas (*Germaniciae*) episcopus, cuius aures, nares, ac labia praecisa erant, dentes et maxillae avulsae, et ambo pedes uti et brachia eiusdem amputata fuerant, eo quod per annos XXII. vinctus detentus fuerat ab Armenithis (*fortasse Arianis*), qui quovis anno membrum aliquod abscidebant ei, ut scilicet blasphemiae ipsorum consentiret: at miles fidelis victus non succubuit. Hunc veluti in triumphum fidelium, et opprobrium dogmatis haereticorum, adduxerunt patres ad concilium, quem, ubi vidit rex, in terram procidens adoravit, dicens: adoro te, martyr Christi, qui multis coronis ornatus existis.

Gesta autem synodi, qualiter nempe coeperit, et qua ratione absoluta fuerit, et quid ibi actum fuerit, operosum est dicere: nam tribus annis sederunt patres in disputatione contra omnes haereses, et oratio multa habita fuit inter eos, ac plurimas quaestiones commoverunt invicem, et capita grandia (*controversiarum*) scripserunt adversus se mutuo, et ediderunt confutationes omnium haereseon, ex eorumque actis quadraginta prophetae fiunt (*scilicet acta eorum integra exaequant volumen quadraginta prophetarum*) praeter canones, et causas eorum, quae sunt tres prophetae (*qui tribus prophetarum libris aequiperantur.*) Sed universa haec doctrina in vernacula Syrorum lingua non legitur, sed eius pars tantummodo. Verumtamen non eos solum canones, qui ad syriacum sermonem translati sunt, constituerunt nicaeni patres, sed de regno quoque eiusque ministris (*militibus*), et de magistratibus ac iudiciis plura sanxerunt, et de urbium gubernatione, de ecclesia eiusque antistitibus, deque eius cunctis ordinibus, de mercatoribus, de itinerantibus, de satellitibus ac nautis, et de omnibus artibus, gradi-

bus fornacariarum, et de musicis, neque quidpiam magni, aut parvi momenti omiserunt sine definitione, et sanctione. Verum apud nos non extant, nisi illi 73. canones, quos transtulit Maruthas, et illi viginti alii, qui ab antiquo prodierunt. Huiusce rei ratio est, quia in oriente non erant reges christiani, qui ecclesiasticis canonibus dirigerentur: ii autem, qui apud nos prodierunt, haudquaquam sufficientes sunt ad omnes omnino ordines ecclesiasticos constituendos: quemadmodum et olim in ecclesia simile quid obtinuit, nam erant canones apostolici, qui in omnibus rebus sufficientes non erant ad ecclesiae ordines componendos.

Congregata porro fuit haec sancta synodus anno 636. Alexandri, mense iunio eiusdem anni, die 19. ipsius, in civitate Nicaea metropoli Bithyniae, et sanxerunt primo hanc veritatis fidem, tum coeperunt constituere canones, atque omnes haereses ad examen vocare: et quia summo compendio hanc apologiam (*fidei professionem*) fecerunt, cuius intellectus cuilibet homini haud facilis est, adiungemus ei expositionem Iesuiabi (1), quam ipse ac synodus, quae cum ipso habita fuit, scripsit.

IV. Fides (*symbolum fidei*) patrum 318, una cum expositione brevi synodi Iesuiabi.

Initio itaque canonum disposita fuit fides veritatis, eo quod sit, ut ita dicam, principium omnium partium timoris dei (*religionis divinae*), et per ipsam insigniti emicant omnes iustitiae et sanctitatis pulcherrimi modi. Hanc fidem primum praedicavit Dominus noster, et tradidit per discipulos suos duodecim hominibus, qui discipuli facti fuere, et fient evangelii eiusdem (*Domini nostri*): hanc integre praedicarunt, ac docuerunt patres in suis aevis, hanc verbis perfectis et brevibus sententiis, quae multa concludunt, docuerunt, scripserunt, ac miserunt ad ecclesias, quae ubique sunt, patres sancti, qui Nicaeae convenerunt 318, et ii, qui Byzantii congregati sunt 150. ad destructionem impietatis Armenitharum (2) (*Arianorum*), et Dyscolorum, qui audaces effutierunt de essentia filii, et Macedonianorum, ac Semiarianorum, qui audaces blasphemarunt contra Spiritus sancti essentiam. Conservatur autem haec fides catholica sine ulla macula, et proclamatur inter nos in omnibus ecclesiis usque in saeculum, uti iam notum facimus, ponentes ipsam fidem patrum, qualis est. Adiungemus vero unicuique e sententiis sensum suum, et expositionem congruam, summa tamen brevitate. Interim humillimis precibus oramus et obsecramus creaturarum Dominum, ut suum nobis donet adiutorium, quo convenienter et utiliter perscribamus.

(1) Iesuiabus nestorianus catholicus, seu patriarcha anno Christi 588. synodum celebravit, in qua canones 30. condidit, quorum primus est, ut recipiatur fides nicaena, et canones apostolorum, et reliquorum patrum. Vide Assemanum iuniorem in commentar. histor. chronolog. de catholicis chaldaeorum, et nestorianorum a pag. 33. (2) Armenithae et Dyscoli sunt Eunomiani, vel Anomoei; et Ariani.

5

PRINCIPIUM FIDEI (*symboli*).

» Credimus in unum Deum patrem « omnipotentem, et in unum dominum Iesum Christum filium Dei, « et in unum Spiritum sanctum qui « a patre procedit « . Licet enim series lectionis sententiarum expresse posuerit nomina Trinitatis divinae propter adhaesionem eorum, quae ipsa nomina proprie et speciatim consequuntur, verus sensus et virtus ipsius substantiae divinae simili connexione requirit, ceu ad intelligentiam Trinitatis illius, quae supra numerum est, ut nempe notum sit τὸ « unum, unum, unum « unam naturam demonstrare, iuxta illud, quod dictum est « dominus Deus tuus, dominus unus est. Τὸ autem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, denotat distinctionem personarum essentiae, secundum traditionem evangelii Christi vivificatoris nostri. Ite siquidem (*dixit*), docere omnes gentes, et baptizate eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quod vero addiderunt patres, Deum, et dominum, et spiritum, et subnexuerunt nominibus communibus nomina singularia Patris, et Filii, et Spiritus sancti, manifestum facit, quod nomina sunt communia, et unumquodque eorum, idest ipsa tria, extenduntur ad tres personas : liquet enim, quod pater Deus sit et dominus, ac spiritus; et Filius dominus sit, et Deus, et spiritus; et Spiritus sanctus spiritus sit, et dominus, et Deus. Ac brevissime dixerunt patres nostri confessionem Trinitatis, in qua et docuerunt sapienter ac plene aequalitatem naturae, et aequalitatem essentiae, et distinctionem personarum, et nnitatem deitatis : Coëssentialem itaque, et consubstantialem praedicarunt ad obstruendum os Arii blasphemi, qui impie moliebatur scindere aequalitatem essentiae (*consubstantialitatem*) Trinitatis: distinctionem vero personarum Trinitatis proclamarunt patres nostri ad destruendam opinionem Iudaeorum perfidorum, qui putabant unam personam esse Deum. Nomina porro, quae extensa sunt, ac sunt communia, et consequuntur nomina quae singularia sunt et non extensa, idest unam deitatem, unam dominationem, unam spiritualitatem, praedicarunt patres nostri ad destruendam, et confundendam doctrinam ethnicorum, qui existimabant et profitebantur deitates diversas, et dominationes distinctas.

Cumque hac ratione destruxissent impietatem Arii blasphemi per proclamationem consubstantialitatis, et silentium imposuissent etiam Iudaeorum pueritiae (*imperitiae*)per distinctionem personarum, et obturassent quoque errorem ethnicorum per unitatem dominationis; tunc superaddiderut confessioni suae ea, quae congruebant fidei ipsorum, et adiunxerunt τὸ unum Deum patrem omnipotentem; et dixerunt » factorem omnium visibilium, « et invisibilium « : nam ipse est factor, et ordinator omnium in omnibus. Et similiter τῷ « unum dominum « subiunxerunt τὸ « Iesum Christum « et demonstrarunt, quod τὸ unum » commune esset personis Trinitatis, uti dictum est supra. Porro non addiderunt « et in unum dominum Filium » iuxta illud « unum Deum patrem » sed transposuerunt positionem verborum suorum, ac dixerunt » in unum domi-

num Iesum Christum ». Rectos haudquaquam latet, quod humanitas, quam assumpsit Deus verbum, maxime demonstratur, et sapienter praedicatur in una unitate deitatis et humanitatis Christi, quamvis errent Eutychiani, et opprimant ipsam humanitatem Filii Dei. Nomen enim Christi sine controversia significat deitatem eius ex patre, et humanitatem eius ex matre virgine, licet Eutyches cum sui erroris asseclis, audaces errent, dum negant assumptionem primitiae nostrae, aut dicunt deletionem humanitatis Christi (*quod scilicet humanitas assumpta suam naturam amiserit, et in divinam conversa fuerit*).

Addunt autem patres consequenter, et dicunt » unicum primogenitum omnium creaturarum « hoc est unicum sine fratribus in deitate, et primogenitum fratrum multorum, hoc est primogenitum omnium creaturarum. Et addiderunt « per quem condita « sunt saecula, et omnia creata sunt » quo designarent, quod ipse una cum suo patre secundum suam divinitatem causa esset, et conditor omnium. Tum ipsius essentiam (*aeternitatem*) ostendunt per illa » ex patre natum ante o« mnia saecula, et non factum; lumen « de lumine, Deum verum de Deo vero, « Iesum Christum in sua divinitate«. Postea ad confusionem impietatis Arii addiderunt, ac posuerunt vocem« homousios, idest hic est consubstantialis, et coaeternus patri « per quem omnia facta sunt » Iesus Christus in sua divinitate: cumque decertarent scuto inexpugnabili doctrinae veritatis, quo induti erant, contra phantasmata, et aestus doctrinarum erronearum et fraudulentarum Simonianorum et Manichaeorum » dixerunt, qui « propter nos homines, et propter « nostram salutem descendit de cae« lis, et incarnatus est de Spiritu « sancto, ex Maria virgine, et ho« mo factus est «. Iesus Christus per unionem suarum naturarum, et per revelationem suam in carne, et in sua incorporatione. Unionem enim naturae deitatis, et humanitatis designat τὸ descendit, et incarnatus est, et homo factus est; et assumptionem primitiae nostrae indicat absque controversia: idque ut undique appareat delirium Simonianorum, et Manichaeorum in negotio incarnationis, et incorporationis Dei verbi. Verbum, quod assumpsit humanitatem nostram, et habitavit in ea, ut dixit evangelium: Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: ut magis inclarescat magnitudo gratiae illius, qui descendit, et habitavit in nobis. Arius enim impius, eo quod in natura deitatis Verbi posuit altiora et inferiora, nec scivit ea unice, et coniunctim, prout ipsa veritas requirit, adserere, idcirco illaqueatus fuit, et cecidit, erravit, et decepit, et reprobus fuit, ac eiectus. Patres itaque addiderunt, et tradiderunt perfecte ipsum sermonem dispensationis.

Post doctrinam de natura divina unigeniti, et post institutionem de unione naturarum Christi, idest divinitatis eius incommutabilis, atque immortalis, et humanitatis eiusdem, quae non opprimitur neque deletur, adiunxerunt doctrinam de humanitate ipsius: et sicut aperte, et dilucide declararunt divinitatem eius, manifeste demonstrant humanitatem ipsius, quae suscepta fuit propter nos, et propter

nostram salutem, et propter innovationem omnium creaturarum, et dicunt » et crucifixus est pro nobis diebus Pontii Pilati, et passus est, et mortuus, ac sepultus est, et resurrexit tertia die, uti dicunt scripturae sanctae «. Iesus Christus in sua humanitate hoc est, ut vere dicamus, in sua incarnatione suscepit pro nobis mortem crucis; nam manifestum est omnibus orthodoxis, quod sicuti natura divinitatis eius nec passionem, nec mortem subiit, ita neque anima eius suscepit sententiam mortis, eo quod impossibile sit, naturam animae subdi decreto mortis; quod et testatur ipse Dominus noster dicens: ne timeatis eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere nequeunt; quod et facto comprobatum fuit: nam postquam crucifixus fuit Dominus noster et mortuus, ac sepultum eius corpus s. fuit, anima ipsius vixit in paradiso (1).

Addunt praeterea patres beati » et ascendit in caelum, seditque ad dexteram patris sui Iesus Christus «. In humanitate namque sua accepit exaltationem, sessionem ad dexteram, minime vero in divinitate sua, in qua perpetuo et indissolubiliter dictum honorem habet una cum Patre suo. « Et veniet cum gloria ad iudicandos vivos et mortuos, cuius regni non est finis « Iesus Christus in sua divinitate, et sua humanitate.

Postquam patres nostri dixerunt adversus sectas eiectas damnatasque dissidentium, convertuntur ad praedicandum adversus impietatem Macedonii, qui blasphemavit in Spiritum sanctum. Dicunt ergo » et in unum Spiritum sanctum dominum vivificantem, qui ex patre (2) procedit, et cum Patre, ac Filio adoratur, qui locutus est per prophetas, et apostolos «.

Patres itaque sua doctrina divina magnifice praedicarunt de Spiritus sancti persona, et demonstrarunt ipsum esse coaeternum, et consubstantialem Patri, et Filio, secundum quod dictum est, quod omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Haec est incorrupta fides, et haec est sententia ipsius in summa iuxta versuum eius connexionem, in qua plene proclamarunt πρόσωπον Christi, et naturas deitatis, ac humanitatis eiusdem, contra eos, qui confitentur deitatem eius, et negant humanitatem eiusdem; et contra eos qui negant deitatem eius, et confitentur eum hominem simplicem aut istorum cuipiam similem eum faciunt. Quoniam vero baptizatis hereditandas tradunt ipsas divitias fidei suae, idcirco patres nostri beati addiderunt: » et in unam ecclesiam sanctam catholicam et apostolicam, et unum baptisma in remissionem peccatorum, et resurrectionem mortuorum, ac vitam novam saeculi futuri «.

Ubi vero ita perfecte, ac diffuse praedicarunt veritatem, convertuntur deinde ad anathematizandum Arium, eiusque erroris filios. » Eos autem, qui dicunt, fuit aliquando, quando non erat, aut ex nihilo factus est, aut ex persona, aut ex essentia alia ipsum praedicant; si mutabilem aut con-

(1) Alludit ad illa verba Christi bono latroni dicta in cruce: *hodie mecum eris in paradiso.*
(2) In recentiori codice ad latus superius lineae recentiori manu additum legitur: *et filio.*

» vertibilem existimant ipsum Filium » Dei, hos anathematizat ecclesia ca- » tholica et apostolica ». Haeretici scilicet sua perfidia, naturae et personae ipsius verbi eiusque divinitati audacter ac temere attribuerunt proprietates et passiones naturae humanae Christi, quae aliquando propter unitatem (*unionem*) perfectam, quae fuit humanitatis Christi cum eiusdem divinitate, praedicantur de Deo dispensatorie et non naturaliter.

Haec est fides patrum, per quam confunditur ethnicismus, iudaismus, et haeresis, et per quam crescit ac glorificatur christianismus. Et qui ei non consentit, animam suam laedit, veritatemque in iniustitia detinet.

V. *Nomina episcoporum synodi oecumenicae, et provinciarum, ac civitatum, sicuti invenimus.*

Servi autem Dei, quibus cura est de omnibus, quae ad religionem pertinent, maxime solliciti fuere, ut haberent nomina occidentalium: quoniam orientalibus quaestio mota non fuit, neque ullam fidei divisionem subierunt.

Nomina episcoporum. (1)

Hosius episcopus civitatis Cordu-

(1) Episcoporum dioecesumque sequentium nomina in Aloisii Assemani latino exemplari ita misere sunt corrupta, partim syri partim latini interpretis supina inscitia, ut ad sanitatem aliquam nullis coniecturis possint a me revocari, praesertim quia syriaci codicis copia adhuc careo. Itaque externa auxilia quaerens, consului prae ceteris catalogum Patrum nicaenorum in ecclesiastica Theodori lectoris historia perscriptum, et a cl. Iacobo Morellio in descriptione codicum bibliothecae venetae S. Marci p. 225. vulgatum, qui ceteris mihi rectior visus est: namque eum ipsum, quem apud Ballerinios opp. S. Leonis T. III. p. 503. iustelliano emendatiorem dicit Morellius, ego quidem permultis mendis inquinatum videbam, et quidem eiusmodi, ut a doctis Balleriniis toleratos mirarer. Neque alios neglexi in Conciliorum collectionibus impressos catalogos. Notum eruditis est, Theodori lectoris duos priores libros a vicesimo Constantini anno usque ad Constantii obitum deductos, numquam lucem aspexisse, tum propter codicum raritatem, tum praecipue quia nonnisi compendium quoddam ex Sozomeno, Socrate, ac Theodoreto visi sunt. Reapse ego in codice vat. 1455, unicum fragmentum Theodori observavi de diversis fidei editis professionibus et de gotho Ulphila, quod ipsismet verbis apud Socratem lib. II. cap. 41. legitur. Sed enim compluribus abhinc annis duos illos integros Theodori libros apud heredes scriptorum Leonis Allatii vidi, eamque rem mihi sedulo in adversariis adnotavi: etsi autem, dum haec scribo, allatianum Theodori exemplar non queo inspicere, spero tamen me ex dicto codice atque opere pleniorem postea fructum doctis hominibus allaturum. Ceterum multo pretiosior erat pars altera Theodori historiae, liber videlicet tertius et quartus, quibus narrationem usque ad Iustini senioris regnum deduxerat, qui libri nusquam apparent, praeter nobilia quaedam excerpta a Nicephoro Callisto conservata, quae ego in vaticano quoque codice 1759. legebam, ἀπὸ φωνῆς Νικηφόρου Καλλίστου τοῦ Ξανθοπούλου, nimirum *dictata vel excerpta* per Nicephorum Callistum Xanthopulum; sic enim significat locutio ἀπὸ φωνῆς, eaque in aliis codicibus adhibetur ad denotanda auctorum excerpta quae in bibliotheca photiana fiunt; v. gr. Δεξίππου ἀπὸ φωνῆς Φωτίου. Ex qua re ignorata mirus extitit Miraei de Theodori aetate error, a Guilielmo Caveo recte irrisus, qui tamen ipse causam miraeani erroris non agnovit. Et quoniam in rebus nicaenis versatus, concilii eius historiam ac subscriptiones apud Gelasium quoque cyzicenum inspexi, facere non possum quin adversus Caveum expostulem, qui tertium Gelasii librum a pontificiis editoribus pravam ob causam suppressum, eiusque loco tres tantummodo Constantini imp. epistolas fuisse editas, iuste se suspicari dictitat. *Parcius ista viris tamen obicienda memento*. Etenim unicum ego consului Gelasii cyziceni in bibliotheca certe vaticana superstitem codicem, otthobonianum scilicet 261, isque adamussim post secundum librum nihil habet aliud quam tres illas editas Constantini epistolas: quare pontificii editores summa cum fide Gelasium dederunt. Eiusmodi alias suspiciosi Cavaei iniustas adversus litteratorum catholicorum honorem calumnias, alibi me in his tomis coarguere memini.

bae subscripsit ita : credo, quidquid suprascriptum est. Et ita reliqui omnes obsignarunt.

Romanorum.

Biton (*Victor*) et Vincentius presbyteri Romanorum.

Aegypti.

Alexander alexandrinus. Harpocration (alphocratiensis) Adamantius cynopolites. Arbition Pharbuthi. Philippus Panyphcos. Potamon Heracleae. Secundus Ptolemaidis. Dorotheus Pelusii. Caius Tmueos. Antiochus Memphcos. Tiberius Tentyrites.

Thebaidis.

Atthas Schediae. Tyrannus Antinoi. Lysianus lycopolites.

Libyae superioris.

Dachis Berenices. Zopyrus Barcae. Serapion antiphrensis (antipyrgensis). Secundus Tauchae. Titus Paraetonii.

Palaestinorum.

Macarius Hierosolymorum. Germanus Neapoleos. Marinus Sebastenorum. Eusebius Caesareae. Sabinus gadarensis. Longinus ascalonensis. Petrus nicopolitanus. Macedonius Iamniae. Maximus Eleutheropoleos. Paulus Maximianopoleos. Ianuarius hierichuntius. Heliodorus zabulonites. Aetius Lyddae. Silvanus Azoti. Patrophilus Scythopoleos. Asclepius Gazae. Petrus Ahilae. Antiochus Capitolinae.

Phoenicum.

Zeno Tyri. Aeneas Ptolemaidis. Magnus Damasci. Theodorus Sidonis. Hellanicus Tripoleos. Philocalus Paneadis. Gregorius Beryti. Marianus Palmyrae. Adoneus Alali. Anatolius Emesae.

Syriae.

Eustachius Antiochiae. Zenobius Seleuciae. Theodotus Laodiceae. Alphius Apameae. Bassianus rhaphaneusis. Philoxenus Mabugi. Salomon Germaniciae. Piperius samosatensis. Archelaus dolychenus. Euphration Balanceusis. Paulus chorepiscopus. Zoilus gabalitanus. Bassus Zeugmatos. Gerontius. Larissae. Monicus epiphaniensis. Eustathius arethusius. Paulus Neocaesareae. Syricius Cyri. Seleucus chorepiscopus. Petrus gandarensis. Pelagius Arabcadmae. Bassonus Gabalae. Nicomachus bostrensis. Cyrion Philadelphiae. Gennadius Abulthae. Severus Sodomorum. Sosipater bethaunensis. Severus Dionysiadis.

Mesopotamiae.

Absalama Edessae. Iacobus Nisibis. Antiochus Rhesinae. Maraeas Byrtae. Simeon amidensis. Maruthas Maipheractae. Georgius Singarae. Iohannes Beth-Persarum.

Ciliciae.

Theodorus Tarsi. Amphion Epiphaniae. Narcissus Neroniadis. Moyses kastabalensis. Nicetas Flaviadis. Eudaemon chorepiscopus. Paulinus Adanorum. Macedonius Mopsuestiae. Tarcodemantus aegiensis. Hesychius Alexandriae minoris. Narcissus Hierapoleos.

Cappadociae.

Leontius Caesareae. Eupsychius tyanensis. Erotrius colonaeus. Timotheus cybistrensis. Elpidius comanensis. Stephanus chorepiscopus. Gorgonius chorepiscopus. Eudromius chorepiscopus.

Armeniae minoris.

Eulogius Sebastae. Evethius satalensis.

Armeniae maioris.

Arethas Armeniae. Euretes Diophantae. Eutychius amasenus. Helpidius comanus. Heraclius zolonensis.

Ponti polemoniaci.

Longianus Neocaesareae. Domnus Trapezuntis. Stratophilus Pithyuntis.

Paphlagoniae.

Philadelphus Pompeiopoleos. Petrus Iuniopoleos. Hesychius Amastridis.

Galatiae.

Marcellus Ancyrae. Dicasius Tabiae. Archesilaus Garmanae. Gorgonius cinensis. Philadelphus Iuliopoleos.

Asiae.

Theonas Cyzici. Menophantus Ephesi. Orion iliensis. Eutychius smyrnensis. Mithres popensis (hypyrpensis.) Marcianus Ilionis. Paulus Anausidis.

Lydiae.

Artemidorus sardiensis. Soron thyatirensis. Hetimasius philadelphiensis. Pollion peperensis. Agogius Tripoleos. Philarethus Ancyrae ferreae. Antiochus Aurelianopoleos. Marcus standitanus. Nunechius Laodiceae. Flaccus sanensis. Procopius synnadensis. Athenodorus Dorylaei. Paulus apamensis. Eugenius eucarpiensis. Flaccus hierapolitanus.

Pisidiae.

Eulalius iconiensis. Telemachus hadrianopolitanus. Hesychius Neapoleos. Eutychius Seleuciae. Uranius limenensis. Tarsicius apamensis. Patricius ambladensis. Polycarpus Metropoleos. Eudaemon Paphi. Heraclius. Bareos. Theodorus uzelensis.

Lyciae.

Adon Lyciae. Eudemus patarensis.

Pamphyliae.

Callinicus pergensis. Euresius termissensis. Zeuxius syarbensis. Domnus aspendius. Quintianus seleuciensis. Patricius Maximianopoleos. Aphrodisius magidensis.

Insularum.

Euphrasius rhodius. Meliphron cous. Strategus lemnius. Apollodorus corcyraeus.

Cariae.

Eusebius Antiochiae. Ammonius Aphrodisiadis. Eugenius Apolloniadis. Letodorus cybiritanus. Eusebius milesius.

Isauriae.

Stephanus barthensis. Athenaeus. Gorpissi. Aedesius Claudiopoleos. Agapius Seleuciae. Silvanus Metropoleos.

Syriae.

Faustus Phanemotichi. Antonius Antiochiae. Nestor syadrensis. Hesychius chorepiscopus. Tiberius lystrensis. Aelius chorepiscopus. Cyrillus umandrensis. Theodorus Vastrae. Hesychius chorepiscopus. Eusebius Paroeciae isauricae. Paulus larandensis. Quintus chorepiscopus.

Cypri.

Cyrillus paphius. Gelasius salaminius.

Bithyniae.

Eusebius nicomediensis. Theognius nicaenus. Maris chalcedonensis. Cyrillus Cii. Hesychius prusensis. Evethius hadrianensis. Theophanes chorepiscopus. Rufus caesariensis. Eulalius chorepiscopus.

Europae.

Phaedrius Heracleae.

Daciae.

Protogenes sardicensis. Marcus calabriensis.

Mysiae.

Pistus Marcianopoleos.

Carthaginis.

Caecilianus Carthaginis.

Macedoniae.

Alexander thessalonicensis.

Dardaniae.

Decius Macedoniae.

Achaiae.

Pontius atheniensis. Marisus Euboeae. Strategius ephaestiensis.

Thessaliae.

Claudianus Larissae. Burius stobensis.

Pannoniae.

Domnus Pioniae.

Galliarum.

Nicasius divionensis.

Gothiae.

Theophilus Gothorum.

Bosphori.

Marcus Bosphori.

EXPLICIT TRACTATUS PRIMUS.

TRACTATUS II.

DE MATRIMONIIS, ET CANONIBUS, AC RITIBUS SPONSALIUM CHRISTIANORUM, ET QUOMODO HAEC PERAGENDA SINT, DEQUE CETERIS AD HANC REM PERTINENTIBUS.

I. *De personis, eorumque numero quibus nubere nefas est.*

Quemadmodum ex ipsis divisionibus cognoscimus; quinque supra sexaginta in feminino genere, totidemque sunt in masculino gradus, quibus interdicitur communicatio in re coniugii. Et hi sunt.

1. Vir non coniungatur cum matre sua.

2. Neque cum matris suae matre.

3. Neque cum matre patris sui.

4. Neque cum uxore patris sui.

5. Neque cum uxoris patris sui matre.

6. Neque cum matre vitrici sui, seu mariti matris suae.

7. Neque cum filia matris uxoris patris sui.

8. Neque cum filia mariti matris suae.

9. Nequecumsororeuxorispatrissui.

10. Neque cum uxore patris patris sui.

11. Neque cum matre uxoris patris sui.

12. Neque cum matre uxoris patris patris sui.

13. Neque cum filia uxoris patris patris sui.

14. Neque cum filia uxoris patris sui.

15. Neque cum sorore patris sui.

16. Neque cum sorore uxoris patris patris sui.

17. Neque cum uxore fratris patris sui.

18. Neque cum matre uxoris fratris patris sui.

19. Neque cum sorore uxoris patrui sui.

20. Neque coniungatur cum matertera sua.

21. Neque cum uxore avunculi sui.

22. Neque cum matre uxoris avunculi sui.

23. Neque cum matre mariti materterae suae.

24. Neque cum sorore uxoris avunculi sui.

25. Neque cum sorore mariti materterae suae.

26. Neque coniungatur cum sorore sua.

27. Neque cum sorore sua filia patris sui.

28. Neque cum sorore sua filia matris suae.

28. Neque cum filia fratris sui.

30. Neque cum filia sororis suae.

31. Neque cum uxore fratris, sive vivus sit, sive obierit.

32. Neque cum matre uxoris fratris sui.

33. Neque cum matre mariti sororis suae.

34. Neque cum filia uxoris fratris sui.

35. Neque cum filia mariti sororis suae.

36. Neque cum sorore uxoris fratris sui.

37. Neque cum sorore mariti sororis suae.

38. Neque cum filia fratris uxoris fratris sui.

39. Neque cum filia sororis uxoris fratris sui.

40. Neque coniungatur cum filia sua.

41. Neque cum filia filii sui.

42. Neque cum filia filiae suae.

43. Neque cum nuru sua.

44. Neque cum socru sua.

45. Neque cum socru filii sui.

46. Neque cum socru filiae suae.

47. Neque cum filia nurus suae.

48. Neque cum filia sponsi sui (*rectius socrus suae*).

49. Neque cum filia fratris nurus suae.

50. Neque cum filia sororis nurus suae.

51. Neque cum filia fratris sororis suae.

52. Neque cum filia sororis socrus suae.

53. Neque cum nuru filii sui.

54. Neque cum nuru filiae suae.

55. Neque cum matre nurus filii sui.

56. Neque cum matre nurus filiae suae.

57. Neque cum sorore nurus filii sui.

58. Neque cum filia nurus filii sui.

59. Neque cum filia nurus filiae suae.

60. Neque cum filia fratris nurus filiae suae.

61. Neque cum filia sororis nurus filiae suae.

62. Neque cum filiabus fratrum nurus filii sui.

63. Neque cum legitime dimissa.

64. Neque accipiat duas, aut multas mulieres.

65. Potestatem autem habet dimittendi uxorem suam a christiana fide deficientem.

Similiter autem et feminae coniungi non licet

1. Cum patre suo.

2. Neque cum patre patris sui, neque cum patre matris suae.

3. Neque cum marito matris suae.

4. Neque cum patre uxoris patris sui.

5. Neque cum patre viri matris suae.

6. Neque cum filio matris uxoris patris sui.

7. Neque cum filio patris uxoris patris sui.

8. Neque cum filio patris viri matris suae.

9. Neque cum fratre uxoris patris sui.

10. Neque cum viro matris patris sui.

11. Neque cum patre uxoris patris patris sui.

12. Neque cum filio uxoris patris patris sui.

13. Neque cum filio viri matris suae.

14. Neque cum fratre uxoris patris patris sui.

15. Neque cum fratre patris sui.

16. Neque cum marito matris amitae suae.

17. Neque cum patre mariti amitae suae.

18. Neque cum fratre mariti amitae suae.

19. Neque cum avunculo suo.

20. Neque cum viro materterae suae.

21. Neque cum patre uxoris avunculi sui.

22. Neque cum patre viri materterae suae.

23. Neque cum fratre avunculi sui.

24. Neque cum fratre viri materterae suae.

25. Neque copuletur cum fratre suo.

26. Neque cum fratre suo filio patris sui.

27. Neque cum fratre suo filio matris suae.

28. Neque cum filio fratris sui.

29. Neque cum filio sororis suae.

30. Neque cum viro sororis suae sive superstitis sive defunctae.

31. Neque cum patre mariti fratris sui.

32. Neque cum patre mariti sororis suae.

33. Neque cum filio uxoris fratris sui.

34. Neque cum filio mariti sororis suae.

35. Neque cum fratre uxoris fratris sui.

36. Neque cum fratre viri sororis suae.

37. Neque cum filio fratris uxoris fratris sui.

38. Neque cum filio sororis uxoris fratris sui.

39. Neque coniungatur cum filia sua, neque cum filio filii sui.

40. Neque cum filio filiae suae.

41. Neque cum filio sororis uxoris fratris sui.

42. Neque cum filio suo.

43. Neque cum filio filii sui.

44. Neque cum filio filiae suae.

45. Neque cum genero suo.

46. Neque cum socero suo.

47. Neque cum socero filii sui.

48. Neque cum soecro filiae suae.

49. Neque cum filio nurus suae.

50. Neque cum filio socrus suae.

51. Neque cum filio fratris nurus suae.

52. Neque cum filio sororis nurus suae.

53. Neque cum filio fratris socrus suae.

54. Neque cum filio sororis socrus snae.

55. Neque cum genero filii sui.

56. Neque cum genero filiae suae.

57. Neque cum patre generi filii sui.

58. Neque cum patre generi filiae suae.

59. Neque cum fratre generi filii sui.

60. Neque cum filio generi filii sui.

61. Neque cum filio generi filiae suae.

62. Neque cum filio fratris generi filii sui.

63. Neque cum filio sororis generi filiae suae; neque cum filiis fratrum generi filii sui.

64. Neque cum viro legitime dimisso.

65. Neque cum non christianis; potestatem autem habet dimittendi virum apostatam. Omnia ista matrimonia hominum affinitatem habentium divina lex prohibet, quominus revelent nuditatem (1).

II. *Ordines, leges, et canones desponsationis.*

Porro patribus nostris spiritualibus ita dictum legitur. Quoniam vero Deus ab initio constituit Evam ex Adami costa, ante eiusdem Evae formationem Deus dixit; non est rectum, Adamum esse solum, faciam ei adiutorium simile ipsi: et per haec, pactum praesignavit sponsalium, quod homines inituri essent. Idcirco christiani filii convivii Iesu sponsi caelestis pactum sponsalium ineant, antequam conveniant; et sicuti sanctae ecclesiae sponsae regis caelestis desponsatio facta fuit in Iordane pronubo Iohanne sacerdote et sacerdotum filio, per illapsum spiritus, et vocem patris de caelo factam, et filium cui testimonium tale redditur: hic est filius meus dilectus: simili ratione etiam desponsatio filiorum ecclesiae sponsae gloriosae in medio templi sancti, et coram sanctuario, intervenientibus sacerdotibus, ministris, et fidelibus peragatur, et quidem ritu ac orationum ordine praescriptis cum benedictione sponsalium, et cruce, annulo, atque hanana (*sic vocant aquam benedictam*). Sacerdotes itaque annulum sponsi ad sponsam praemittunt matutino tempore per quatuor mulieres castas, aut filias foederis (*virgines sacras*), quae sint bonae famae, et quibus nota sit puella, ut apprehendant manum eius et in eam inserant annulum, dicentes: hic est annulus *talis* filii *talis*, cui te despondit pater tuus, *aut* frater tuus, *aut* avus tuus, *aut* mater tua, *aut* avunculus tuus, *aut talis* sponsor tuus. Si itaque abhinc voluntas tua acquiescit ei, tace, et sile; quod si vero non acquiescit, proiice annulum. Siquidem autem abiecerit annulum, cesset negotium; si vero recipiat illum et taceat, perficiatur desponsatio per orationem sacerdotalem, et benedictionem calicis, et hananae, et annuli, et crucis; et bibant ex eo (*calice*) sponsus et sponsa ieiuni, et cruce consignentur patrinus et matrina. Presbyteri porro et ministri, quorum ministerio desponsatio consummatur, vocent, ut iustum est, ceu ad maiorem cautelam plures fideles, et ad minimum quinque fide-

(1) Ex codice antiquo supradictam enumerationem latine vertimus, quae in ipso codice extat pag. 32. 33. 34. Eamdem Assemanus senior exhibet tom. 4. a pag. 317, ubi plura de matrimoniis Nestorianorum eorumque impedimentis.

*

les, praeter affines sponsorum et desponsantium. Ubi autem mutuum sibi invicem consensum dederint adolescens et adolescentula, scribatur consensus amborum in duabus tabulis; una quidem tabula in testimonium sit sponso, ceu ore ac voce ipsius ita: voluntate mea desponsavi *talem* filiam *talis*; et dotem *sic* et *sic* constitui ei. In alia vero nomine sponsae sic scribatur: voluntate mea desponsavi me ipsam *tali* filio *talis* per sponsores meos *talem*, et *talem*; zebda (1), data est mihi e domo patris mei *sic* et *sic*. Et ambae tabulae confirmentur testimonio sacerdotum et invitatorum, et unicuique ex eis detur scriptura sua.

Quaevis desponsatio, quae extra praescriptum modum ineatur, nulla reputatur a nobis: nam in hoc distinguimus desponsationem christianorum ab illa ethnicorum, et crucifigentium (*Iudaeorum*). Itaque siquis testimonio externorum, et domesticorum suorum desponsatiouem sibi ipsi fecerit, ac edant, bibant, honoremque sibi invicem exhibeant, et sibi complaceant in eo, quod faciunt, absit vero ab eis sacerdos, et oratio non fiat, arceantur ab ecclesia, et increpentur a rectore, et illa desponsatio penitus rata non habeatur.

III. *Si quis in regione fuerit, ubi nullus est sacerdos, quid ei agendum sit, cum feminam sibi desponsare voluerit.*

Ille, qui existat in regione, in qua sacerdotes non reperiantur, ex fidelibus convocet quatuor aut quinque, qui testimonium perhibeant, et accipiant crucem, et annulum, ac hananam, et alta voce recitent orationem: pater noster, qui es in caelis: et sanctus Deus: et hoc pacto perficiatur desponsatio, donec ad sacerdotes accedant (*veniant*), aut sacerdos ad eos veniat, et suppleat id, quod defuit desponsationi quam inierunt. At si non pervenerit ad eos sacerdos ante tempus thalami (*nuptiarum*) simili etiam modo perficiant thalamum (*nuptias per verba de praesenti, uti vulgo dicitur contrahant*).

IV. *Quot annorum debeat esse sponsa.*

Decreverunt autem sancti patres nostri, ne viro tradatur puella, quando infans fuerit, sed cum attingit ac pervenit ad mensuram (*statum*) mulierum: id contingit si filia sit quatuordecim annorum, ad minimum vero duodecim annorum. Minor autem aetate dicta omnino non tradatur viro neque a parentibus ipsius, neque ab aliis sine eiusdem voluntate, et iussione. Quod porro contra fit, sententia est exterorum, et quidem multum aliena ac remota ab ecclesia (*ecclesiae sententia*).

V. *Quis mulieris fideiussor desponsatorque debeat esse.*

Dum pater est superstes, ipsius potestati id relinquitur: patre vero deficiente, fratres potestatem habent, ab ipsa sorore sua talem potestatem accipientes; et cum non sint fratres, avi (*patrui*) potestatem habent illam filiis suis, vel aliis tradendi, uti ipsa voluerit, et iusserit: deficientibus au-

(1) Vox haec significat dotem, sive dona, quae sponsus dat sponsae, sive monilia, sive vestes, sive servos, sive iumenta, et remanent in eius potestate.

tem fratribus, et avis, mater eiusdem potest illam dare viro illi, quem ipsa filia voluerit, id quod non potest mater patris ipsius (*feminae*).

VI. *Quomodo desponsanda sit puella, quae propinquos vel affines non habet: idem de viro extraneo.*

Nulla porro femina, aut puella, quae non habeat consanguineum, et filium generis, debet desponsari sine patre et curatore: neque etiam permittimus, ipsam puellam revelare velum (*vultum*) suum, et desponsari coram communitate, cum hoc sit damnabile et abominabile; sed id, quod specie recta et ordine convenienti timori Dei congruit, facimus. Pater harum, presbyter ecclesiae sit; et pater patris earum sit, episcopus. Presbyter itaque inquirat de ea, et discat ex filiis generis eius (*consanguineis ipsius feminae*), an propinqua sit sponso suo propinquitate, quae non permittat desponsationem. Quod si illa extranea fuerit, et in locum venerit; inquirat, et addiscat ex loco, in quo commoratur, et ab hominibus, cum quibus habitat, de fide eius, et de qualitatibus, ac moribus ipsius: ubi autem certo, et sincere haec omnia noverit, illam tamquam filiam, et sororem habeat, uti dixit Paulus, in omni castitate, et ipse impleat locum patris eius, et curatoris, et ipse illam desspondeat viro pacifico, et operario navo, qui eidem (*feminae*) similis sit in timore Dei. De viro porro extraneo, siquando petierit mulierem, necesse est inquiratur, an iustus sit et rectus, et an christianus sit et orthodoxus. Item inquiratur de eo, num forte habeat uxorem aut sponsam in alia regione. Quod si extiterint homines, qui eum noverint ab his quaestionibus (*vitiis*) immunem, et iuste testimonium dent, perficiatur simpliciter (*absolute*) eius desponsatio. At si occulta fuerit eius historia oculo, et lateat auditum, liber (*syngrapha*) obligationis suae mulieri ipsius adversus eum scribatur (1) cum testibus fidelibus per manus hominum fidelium, et rectorum, qui mediatores sunt. Et post annum, et biennium siquidem appareat ex notitia eius, quod rectus sit, restituatur illi chirographum hoc, et mulier eius accipiat dotem suam pro more solito. At si reus et fraudulentus inventus fuerit, debet persolvere, quod in chirographo continetur, non quidem pro more ovis furto sublatae quadruplum, sed et magis magisque pro mulieris praestantia supra iumentum: quin et omnino et absque ulla mora ab eo dimittenda est, utpote quae illegitime egerit per dolum et amaritudinem cordis viri sui, qui anathemata et maledictiones pro viatico (*dono*) inducit.

VII. *An liceat post rite celebrata sponsalia sponsis separari ab invicem, et sponsalia solvere* (2).

Quod si contigerit, ut post celebra-

(1) In veteri exemplari haec subdita leguntur, quae in recentiori desunt: " in quantitate, „ quae non sit minor mensura quatuor dotium, uti diximus, et ponatur syngrapha in manibus homi- „ num veracium, et rectorum, qui sunt mediatores „. (2) Ex antiquo codice avulsa sunt aliquot folia, cum quibus omnia sequentia huius tractatus secundi capita desunt usque ad caput decimum; nam praedicta capita usque ad caput 27, quod tamen mutilum est, leguntur a pagina 94. codicis usque ad pag. 102. exclusive, unde liquet, male compactum fuisse talem codicem.

ta secundum canones ecclesiae sponsalia, velit unus ex eis (*sponsis*) vel ambo (*velint*) separari ab invicem, hoc certe fieri haud permittimus, nisi forte causae concurrant, propter quas christiani separantur a communicatione (*coniugio*, *nuptiis*) quas (*causas*) descripturi sumus; et sane absque iis causis neque ante thalamum, neque post thalamum solutio fieri debet. At vero Iesuboctus (1). dicit, quod si post decennium res (*sponsalia ac nuptiae*) difficultatem patiatur, neque ad effectum adduci queat, praecipimus eis, ut separentur ab invicem ante communicationem; ubi tamen eosdem pluries, pro opportunitate, correxerimus, et increpaverimus. At si contigerit, quod aliqui verba sibi invicem dicant simpliciter de filiis suis adolescentibus utriusque sexus, cum tamen desponsationem sub testimonio sacerdotum, et fidelium sodalium suorum non celebraverint, neque crucem ac annulum, quos iam tradiderant, cum benedictionibus, et orationibus sacerdotii dederint; postea tamen recedant, neque amplius velint, et consentiant in id, quod dixerunt, damnationem non incurrunt, nec sententia aliqua iudiciali tenentur.

VIII. *Quantum temporis exspectare debeat sponsa, cuius sponsus abiit in regionem longinquam.*

Cum itaque vir desponsaverit feminam, et profectus fuerit in regionem longinquam; ita debet sponsa suum sponsum expectare absque expensis (*a sponso faciendis pro ea*) per triennium, cum expensis vero (*quas sponsus pro sponsa faciat*) per septennium. Quod si autem tempore, quo desponsata fuerit, aetate minor erat, remaneat cum exspensis sponsi sui per decem annos; si autem ob inopiam suam sponsus eam accipere non possit, rector debet determinare et definire, ut sponsus pro facultate sua ei (*sponsae*) constituat dotem; neque parentes eius (*sponsae*) imponant ei (*viro*) onus grave xeniorum, et expensarum (*alimentorum*).

IX. *De eo, qui feminam desponsavit repugnantibus parentibus eius* (sponsae).

Quod si adolescens aliquis sibi sufficiens (*ad discretionis aetatem provectus*, *vel etiam sui iuris*) desponsaverit sibi feminam, et parentes eius non consenserint, non potest ullo pacto dimittere sponsam suam: at si puer fuerit, nec sibi sufficiens, et illectus, atque attractus fuerit a parentibus puellae, parentes vero ipsius (*pueri*) non consenserint, voluntas parentum eius (*pueri*) comprobetur, rataque sit.

X. *De eo qui feminam desponsavit, deinde eam cogitat dimittere sub obtentu vitae monasticae; qua demum abiecta, aliam ducit sponsam.*

Si quis autem desponsavit feminam, et postea cogitat eam dimittere, dicens; monachus fio: et postquam eam dimisit, coniungitur alteri (*feminae*), arceatur ab ecclesia longo tempore, donec per poenitentiam sui geminati mendacii, quod dixit in sponsam suam, et in monasticum institutum, remissionem obtineat. Hoc idem

(1) De Iesuboetho, eiusque aetate, et scriptis vide Assemanum seniorem biblioth. oriental. tom. 3. pag. 194. et alibi. Fuit autem metropolita Persarum.

pariter iudicium subeat sponsa, quae simili pacto fraudulenter egerit in sponsum suum. At siquidem ipse voluerit monasticam vitam profiteri, et illa voluerit fieri sanctimonialis, permittitur eis suam implere voluntatem. Quod si vero unus ex eis velit, alter vero minime consenserit, det (*zuze*) denarios 400., et tria indumenta (*more*): pauper autem iuxta suam paupertatem (*contribuat*), ut scilicet rata sit vitae institutio, quam sibi eligit, et servetur honor, quem separavit (*contulit*) socio suo, qui nimirum suus vocatus fuerat in sua desponsatione.

XI. *De monachis et sanctimonialibus foedus professionis suae violantibus.*

Monachus aut sanctimonialis si a proprio instituto exciderint, et ad coniugium ob fragilitatem venerint, absque episcopi iussu nullatenus desponsentur, et in ecclesia ac in medio coetus minime benedicantur: sed si episcopus iusserit, privatim domi (*desponsentur et benedicantur*). Si autem constiterit, pactum initum fuisse inter virum et feminam a tempore monachatus, omnino non benedicantur, et coniugium eis non permittatur, donec publicam ac diuturnam, consistentes in cilicio et in cinere, poenitentiam egerint, vir quidem inter viros, ac femina inter feminas, sicuti rector eisdem constituerit. Sed et anachoreta, qui a statu suo exciderit, orare non praesumat in capite ecclesiae, neque sacrum peragere, nisi iubente episcopo.

XII. *De feminis sponsabus quae vi rapiuntur.*

Sponsae, quae ab aliis vi rapiuntur, ad sponsos suos absolute et omnino redeant. Haud enim iustum est, eas oppressionem pati a sponsis suis, et a raptoribus. At si nondum desponsatae viro rapiantur, et mulier eiusque parentes consentiant coniugio cum raptore, poterit vir eam ducere in mulierem. Si autem constiterit, facinus hoc fuisse admissum consentiente femina, sive sponsa fuerit, sive coniugata, eius vero sponsus aut maritus nolit eam accipere; viro illi, qui eam corrupit omnino non detur; et hoc ideo, ne aperiatur via et occasio huic facinori; ipse vero raptor congruam suae audaciae correctionem subeat una cum mulcta, quam dabit feminae illi.

XIII. *De mulieris dote, eiusque quantitate.*

Ambrosius episcopus et martyr, ac imperatores graeci statuerunt, iuxta mensuram dotis, quae a viro (*datur*), fore et viaticum (*dona, et alia, quae a parentibus dari solent feminae, cum desponsatur*) ab eius (*feminae*) parentibus. Catholici autem orientis Timotheus, et Iosue Barnun, ac reliqui iusserunt, ut pro dote pauperes, et mediae conditionis homines dent denarios a 100. usque ad 300. Divites autem possint addere doti suarum feminarum ultra 400. denarios. Xenia quibus comitantur feminam parentes eius, si mulieri dos 700. denariorum constituatur, a parentibus eius 150. denariis aequentur. Ita iuxta additionem dotis fiat etiam additio xeniorum. Divites autem illi, qui affluunt copiis, non possunt superaddere xeniis mulieris plusquam 1000. drachmas (*denarios*): terras vero, et

domos ne scribant filiis suis, neque sponsi sponsabus suis. Quicumque autem haec praetergressus fuerit, conculcabit mandata patrum, et canones ecclesiasticos.

XIV *Quod aequum sit fideles ducere sibi uxores ex quovis cultu.*

Possunt itaque fideles ducere sibi feminas ex omni cultu sub spe institutionis (*catechumenatus*) sive mulieris, sive filiorum eius, sive amborum simul, aut manifestationis verbi.

CANON SYNODI OECUMENICAE.

Placuit synodo oecumenicae, ut homines christiani possint accipere sibi mulieres ex omnibus populis, et ex omnibus cultibus, utque curam earum gerant, easque doceant (*fidem christianam*). Filias vero suas, quae sunt fideles, non possunt dare iis, qui sunt infideles, cuiuslibet cultus fuerint, ne propter imbecillitatem suam traducantur in sententiam suorum maritorum, et a christianitate deficiant, et ad ethnicismum, ac iudaismum transeant. Et is, qui haec transgreditur, anathema sit.

XV. *Quod nefas sit dari christianam* (in uxorem) *non christiano.*

Christianam tradi non christiano omnino nefas esto; nam vel ipsa, vel filii eius, vel ambo simul a christianitate deficiendi occasionem habebunt. Quod si vero a parentibus suis tradita fuerit, aut voluntate sua, sententia iudicialis in eos prodeat secundum canonem oecumenicum (*nicaenum*). Placuit synodo oecumenicae, quod omnis vir fidelis, cuius filia aut soror in aetate puerili constitutae sunt, neque discretionem habent, si traditae fuerint viris non fidelibus, illae quidem non repellantur ab ecclesis; parentes vero earum, aut fratres eiiciantur ex universa fidelium communitate; et si haud resipuerint, nec revocaverint filias suas, aut sorores ab infidelibus, accipiant capitalem sententiam, quae conveniat insipientiae quam perpetrarunt, prout a sacerdote in eos lata fuerit, et tunc demum iis venia concedatur. Et ille, qui haec transgreditur, anathema sit.

XVI. *Quanto tempore mulier servare debeat honorem viri sui defuncti, antequam ab alio* (in uxorem) *ducatur; et idem de viro respectu mulieris.*

Secundum Ambrosium episcopum, et martyrem, et secundum canonem imperatorum graecorum ita statutum legitur. Vir, cum obiit uxor eius, siquidem ante expletos decem menses commisceatur cum alia muliere, ingenuitatis honore non decoretur, neque dignus habeatur, qui cum hominibus liberis et primariis sedeat, neque sit consiliarius sapientis, non praeficiatur negotiis magistratus, non habeatur dignus qui actionibus regiis praesit, non promoveatur ad gradus sacerdotales. Idem etiam de muliere; si enim ante expletos decem menses ab obitu mariti sui adhaereat viro alteri, privetur omni honore, qui ex viro suo ipsi accesserat; et haec quidem iuxta horum (*graecorum scilicet*) iudicia; verum in nostra ecclesia non extat definitio, et canon (*de casibus nimirum praedictis*).

XVII. *Quot ob causas dimittatur uxor a viro, et sponsa a sponso.*

Causae porro ob quas dimittitur uxor a viro, aut sponsa a sponso suo, tres sunt iuxta Iosue Barnun; at Timotheus, et reliqui alii quatuor enu-

merant. Prima quidem est ad servandam puritatem dum neque vir convertitur ad aliam mulierem, neque mulier ad alium virum. Altera vero est fornicatio corporalis, et adulterium. Tertia est fornicatio animalis (*spiritualis*) quae consistit in magia, et abnegatione Christi (*apostasia a fide*). Quarta demum est homicidium. Addit etiam, quod si sponsus, aut sponsa, aut ii qui semel adhaesione naturali sibi mutuo adhaeserunt, aliquam maculam, aut aegritudinem, aut dolorem in corporibus suis prae se tulerint, vel in altero ex iis apparuerit, puta daemon, aut castratio, aut viro sit laesum membrum genitale, femina autem sit masculus femina (*hermaphroditus*); ii vero conscii huiusmodi doloribus (*vitiis*) se laborare, adhaeserint sibi mutuo, non possunt separari neque in desponsatione, neque post communicationem (*copulam*). At si non sciebant, neque revelarunt sibi mutuo hos morbos ante communicationem, et ipse morbus, vel aegritudo, vel macula sanabilis iudicio medicorum reputetur, debent expectare, et operam dare, ut sanetur; quod si morbi insanabiles sunt, possunt ab invicem separari, ob fraudem quae inter eos contigit, et quisque eorum tollat quod suum est. Si autem post coniunctionem qualicumque temporis spatio contigit alicui eorum quidpiam ex dictis (*vitiis*), quo tempore coniunctionis haud laborabant, in saeculum sibi cohaerentes erunt.

Imperatores graeci addunt has etiam causas, nimirum si dormierit mulier in domo non sua praeter mandatum sui mariti, aut iverit in theatrum ad videnda ea quae non decent, aut ex oppido in oppidum processerit, non habens secum patrem suum, aut maritum, aut filium, potest eam (*vir*) dimittere, quia non permittimus mulieri, ut eat in viam desertam, nisi comitem habeat unum ex quatuor viris designatis.

XVIII. *De muliere contentiosa et viro contumelioso.*

Quidam ex patribus celeberrimis de muliere contentiosa, et viro contumelioso haec sanxerunt. Spatio annorum decem plus minus directionem, reprehensionem, et admonitionem istis adhibeamus, ut curationem obtineant, evadantque quieti, ac tranquillitas fiat in habitaculis eorum, et desistant a contentionibus et iurgiis; et toto hoc decennii spatio nullam mutationem admittat tam ille qui contumeliosus est, quam illa, quae contentiosa est. Quod si autem filios non habeant a se procreatos, iudex eis separari permittat; et ille qui cum alio coniugari voluerit, non prohibeatur (1). Si autem filios habuerint a se procreatos, non permittatur eis solvere coniugium suum. Sufficiet ipsa consolatio, ex filiis ipsorum ad sanandas passiones, quas invicem sustinent: praeter quam quod filii quoque eorum dolorem quemdam contritionis paterentur ob dissolutionem coniugii parentum suorum.

(1) Heic et infra doctrina horum canonum de solutione vinculi coniugalis, ab illa orthodoxa regula prorsus aberrat, quam sancta romana ecclesia firmitsime retinet. Editor.

XIX. *Quot modis deprehendatur adulterium, et quot testes ad id probandum requirantur.*

Tribus porro modis cognoscitur crimen hoc adulterii, scilicet vel per mulieris conceptionem, cuius maritus diuturno tempore in longinqua regione constitutus aberat: vel per fornicationem et divulgationem, quae aliquoties accidit aperte: denique etiam per fideles testes, qui proposito sibi timore Dei, testimonium dent. Et in omnibus quidem causis acceptionis, et solutionis, ac emptionis, et venditionis, ac similibus, duos tantummodo, aut tres testes requirimus: adversus adulterum autem et adulteram sex testes, et ut minimum, saltem quatuor. Quodvis peccatum enim voluntate unius, non duorum perficitur; haud enim occisus vult occidi, aut oppressus opprimi vult. At fornicatio voluntate perfecta adulteri et adulterae exercetur; unde opus est, ut causa, et sermo de ipso comprobetur per sex testes, et ut minimum per quatuor, quoniam de duabus personis testimonium proferunt.

XX. *De viro testante, se vidisse uxorem suam adulterium patrantem, testes vero adducere nequeunte.*

Cum itaque vir dicit de uxore sua; vidi eam adulterium committere, aut cum aliis lascive conversari, certe necesse non est, nec expedit, ut absolute, et indubie fides ei adhibeatur: nam fieri potest aliquando, ut similes causas adversus suam uxorem producat vel ex odio, vel ex eo quod nolit amplius eam habere. Verum si mulier praedicetur tamquam fornicaria ac lasciva ex ore multorum vicinorum virorum ac feminarum, qui nec propinquitatem generis habeant, neque communicationem, neque adulterium, nec ullam adfectionem cum marito eius (*mulieris*) gerant, vir iussus a rectore iuret per Dei altissimi verbum tremendum ante altare in sancta ecclesia, et quidem in conspectu mulieris suae, eorumque, apud quos mulier de his impudentiae modis accusatur, atque ita per maledictiones sacerdotii separentur ab invicem (*vir ac mulier*). Si autem non adsint talia indicia contra mulierem, neque testes, uti praescriptum est, vir vero dicat: in crimine adulterii eam vidi, et addat, dicens: vidi in ea moechiae signa; admoveatur mulier ad amaras aquas probationis christianitatis, idest maledictiones (*adiurationes imprecatorias*), quae a sacerdotibus fiunt, et iuramenta, quae coram Dei vivi throno, et codice evangelii sacerdos ei comminabitur his verbis: si hanc impudentiam admisisti, sic et sic tibi fiat Dei veracis iudicio, et occultorum scrutatoris: si autem innocens es ab hac impudentia expiaberis (*expiata esto*) a iuramento, quod iurasti, per propitiationem miserationum Dei adorandi. Et ex eo tempore sint absque ulla haesitatione coniuncti invicem, cum mulier remota sit ab omnibus indiciis, quae ex suspicione adversus eam adducit vir eius.

XXI. *De viro et muliere, quorum alter captivus abducitur.*

Vir et mulier, quorum unus in captivitatem ducitur, non debet illico spem mutuam praescindere, sed magis caute vir, aut femina, tale signum ostendant castitatis et amoris erga proprium consortium: at si nequeant

vel solo tempore triennii definito a nobis sic permanere, tunc ille, qui voluerit coniugium inire, ineat.

XXII. *De eo, qui corrumpit sanctimonialem aut matrimonio iunctam.*

Si quis corrumpat sanctimonialem, aut pelliciat matrimonio iunctam, ut, relicto proprio marito, ipsi adhaereat, ambo alienentur ab ecclesia; sanctimonialis quidem quia fornicata est, quum Domino nostro desponsata esset; et ipse (*vir*) quia corrupit sponsam Domini nostri; et si mulier viro iuncta fuerit, quia ambo (*idest mulier, et vir adulter*) aeque conculcarunt regulas iusti ac legitimi coniugii.

XXIII. *De statuendo poenitentiae tempore utriusque sexus fornicariis, iisque qui illegitimo matrimonio foedantur, deinde resipiscunt.*

Qualis sit modus poenitentiae eorum, ex canone oecumenico cognoscitur.

SYNODI OECUMENICAE.

Placuit synodo oecumenicae, ut is qui duas mulieres simul duxerit, ab ecclesia eiiciatur. Et siquidem mulier fidelis fuerit viro iuncta infideli, eiiciatur ab ecclesia. Quod si resipiscant, haud simpliciter probandi sunt, sed instar apostatae, qui resipiscit; saccus, cinis, ac oratio, atque continentia iis praescribantur, prout iustum est. Et tunc versentur cum fidelibus, et sumant mysteria sancta. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica anathemati subiicit.

XXIV. *De eo, qui ancillam suam ducere vult in uxorem.*

Is, qui ancillam suam in uxorem ducere voluerit, debet in primis illam libertate donare idque coram multis: et postea sibi eam desponset tamquam liberam, per crucem, et sacerdotes, ac fideles.

XXV. *De matrimonio christianorum servorum et ancillarum.*

Sane si non est in Christo nec servus nec liber, ordo servorum et ancillarum distinctus non est ab illo liberorum hominum: solum itaque cum permissione dominorum suorum fiat desponsatio: nam sine permissione dominorum ipsorum sacerdotes nequeunt esse mediatores huiusmodi (*servorum et ancillarum*); neque enim ipsi servi ac ancillae possunt venire ad coniugium legitimum, sive matrimonium contrahant cum liberis, sive illud contrahant cum filiis servorum et ancillarum, sine permissione dominorum suorum. Ubi vero cum concessione dominorum suorum coniugium inierint, non habent potestatem domini eorum ipsos ab invicem separandi; neque si quispiam eorum emitur ab ipsis, potest ille, qui emit, aut qui vendit eos (*servos*) compellere, ut ab invicem separentur. Verum si in regionem longinquam abit unus ex his, qui emti sunt, etiam similiter coniugium ineant cum permissione dominorum suorum, et ille qui secessit, et ille qui mansit. Si autem prope, et in una civitate maneant, non separentur ab invicem. De filiis vero, qui procreantur ab eis, iuxta conditionem, quae fuit inter emptorem, et venditorem tempore, quo venduntur, fiat.

XXVI. *Quantum temporis sustinere debeat mulier, quam vir relinquens in regionem longinquam proficiscitur.*

Si expensis certe viri sui vivit, ea quae castitatem servat, perpetuo sustineat. Illa antem, quae aliter postulabit sibi concedi, decem annis sustineat: sine expensis vero, et sine cura, per septem annos solum sustineat: interim censuris coarctetur vir, ubicumque extiterit, ut redeat ad suam mulierem. Si autem filios habeat ex ipso susceptos, et ille non obediat ut domum suam repetat, adigatur a rectore illius regionis, in qua moratur mulier; scribatur ei, ut mittat expensas ob mulieris et filiorum suorum victum. Si autem filios non habeat, nec acquiescat, immo recuset repetere domum suam post totum hoc tempus, vir quidem ille anathematizetur, et alienus fiat ab ecclesia: mulieri vero permittatur, ut quem voluerit accipiat (*in maritum*).

XXVII. *De sententia et poena ferenda ab ecclesia in eos, qui illegitimis coniugiis polluuntur, et perseverant in peccato suo usque ad mortem sine poenitentia.*

Cum itaque in congregationibus synodicis positae sint censurae, et maledictiones in eos, qui illegitime coniugium ineunt, sive viri sint, sive mulieres, nos brevitatis studiosi, ea, quae in synodo magna et sancta sub Maraba constituta sunt, ponemus. Sic itaque se habent.

SYNODUS MARABAE (1).

Clare ac aperte innotescit ex divinis scripturis, et ex iis quoque scriptis, quae a nobis exarata sunt de negotio coniunctionis viri cum muliere, quantis scilicet peccatis inquinentur illi, qui huic operam dant, quando illegitime coniunguntur. Si quis ergo ex monachis, aut ex saecularibus praesumpserit audax in hoc peccato deprehendi, voluntate nimirum sua, et contempserit sanctionem hanc, quam in eum fecimus, atque deinceps communicaveritt illegitime in aliquo ex his modis divisionum, quas fecimus, sciat quod verbo vivo et divino, quod tenet altitudinem et profunditatem, et omnia condita gubernat, ligatus et anathematizatus est in caelo, et in terra, et quidem arcetur ab ingressu in ecclesiam, et perceptione sanctorum sacramentorum, et permixtione cum fidelibus, donec suam insipientiam emendet per conversionem a peccato, hoc est per discessum a foedo coniugio. Postquam vero abscissus et anathematizatus fuerit, quisquis eius abscissi permixtionem non abominatus fuerit, ac vitaverit, sive in occulto, sive in publico, tam voluntate, quam opere, sub anathemate erit, et instar eius, qui anathematizatus est, anathematizetur, et ira Dei sit de caelo super illum, qui censura innodatur, et non resipiscit, et super illos, qui praesumunt, et communicant cum eo per amen (*orationem, consensum, votum*) totius ecclesiae. Et nemo ex monachis, aut saecularibus fidelibus potestatem habeat comitandi eos in die, quo moriuntur, aut procedendi ante feretrum eorum cum ministerio sive clam, sive palam: sed

(1) De Maraba eiusque synodo vide Asseman. iunior. in commentar. chronolog. a pag. 25.

sicuti se ipsos separarunt per sua opera ab operibus supernis christianitatis, seque polluerunt luto foetido coniugii illegitimi, tamquam animalia sine prudentia, similiter et in morte sua separentur, et repellantur ab omni communione fidelium; et sepultura asini sepeliantur tamquam animalia, et iumentum, quae imitati sunt per suas actiones. Et si quispiam extiterit ex rectoribus ecclesiasticis, qui ob personae acceptionem, humaniter se gerat cum illis, qui his criminibus alligati sunt, et respiciat ad emolumenta immunda, quae ab his proveniunt, et homines magis, quam veritatem Dei revereatur, claudatque oculos suos ab castigatione actionum huiusmodi, ipse quoque particeps erit sententiae, et definitionis canonicae, quae super hos constituta est.

Haec itaque a nobis definita sunt, et confirmata in synodo hac sancta, et virtute Patris, et Filii, ac Spiritus sancti, est quae una Trinitas gloriosa, credentibus quoniam nobiscum, et in medio nostri est Iesus Christus secundum promissionem ipsius, quae frustrari non potest, quam promisit nobis ecclesiae suae, ac dixit; ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Fiant autem miserationes, et pietas adorandi domini et Dei nostri super illos, qui mandata eius vivifica custodiunt, et corpora sua emundant ab immunditiis, et foctoribus coniugiorum impurorum, et illegitimorum; et habitet in eis Spiritus ipsius sanctus, tamquam in templis sanctis, in quibus voluntas eius requiescit, amen.

Scriptoris (*idest Ebediesu sobensis*).

Atque hic finiatur et quiescat sermo de negotio matrimoniorum: sufficiunt enim haec, quae dicta sunt, quamvis quantitate pauca, ad denotanda plura alia diffuse a quibusdam scripta; in his vero, ceu in quodam signo omnia illa collecta continentur, et canonice disposita:

EXPLICIT TRACTATUS SECUNDUS

TRACTATUS III.

DE DIVISIONE HEREDITATUM.

Quum sponsalium, ac matrimoniorum res divisionem hereditatum naturaliter antecedat, merito illam huic praemisimus. Sed quoniam leges circa divisionem hereditatum a patribus, qui canones condiderunt, eorumque successoribus in plurima capita digestae fuere, hinc perperam putant indocti ordinem dividendarum hereditatum in sancta ecclesia confusum ac perturbatum fuisse. Recta quippe divisio unam sequitur regulam. Propterea operae pretium erit indicare, quinam fuerint legum conditores, quinam vero collectores et tractatores, qui illarum inter se discordiam et contradictionem conciliare atque componere studuerunt, ut una totam orientis ecclesiam regula contineat. Patres itaque ecclesiastici, qui statuta, et leges post sanctos apostolos scribere aggressi sunt, trecenti et decem octo oecumenici fuerunt (1), sicut Maruthas episcopus Maipheractae tradit: pauloque post consecuta synodus centum quinquaginta patrum Constantinopoli congregata. Sequiori adhuc aevo alias adiecit leges Ambrosius mediolanensis episcopus ab imperatore Valentiniano iussus scribere statuta, et ordinem iudiciorum praefectis locorum (2). Ex christianis praeterea principibus leges et iura scripsere Constantinus ille magnus, Theodosius, et Leo; idque sicut nobis traditum est, in occidente praestitere.

In oriente vero nostro, id ipsum aggressi sunt Iesubochtus metropolita Persidis, Timotheus, es Iosue Barnun catholici; nec non Simeon Persidis, et Ebediesu Assyriae metropolita. Et hi quidem composuere atque scripsere iudiciorum leges ampla et universali methodo. Fuerunt porro alii, qui summatim, et per compendium eamdem materiam pertractarunt, quemadmodum videre est in canonibus Marabae, et Iesuiabi, ac Iohannis, atque in epistola Mar Anaiesu catholici. Et hi quidem legum et canonum fuere auctores, sicut ex libris synodicis didicimus. Prisci autem canonum, legumque collectores fuere Gabriel Bassorae metropolita, qui praedictorum auctorum omnium sententias uno volumine collegisse contentus, canones usu receptos ab exoletis et antiquatis minime distinxit: alter vero religiosissimus Mar Elias patriarcha beatissimus extitit, qui idem opus aggressus, praedictorum sententias unico eoque admirabili tractatu fuse retulit: deinde postquam decretorum varietatem et contradictionem demonstravit; veluti sapiens pictor ex variis diversisque coloribus

(1) Ante nicaenos patres in conciliis ancyrano, et neocaesariensi, quae apud orientales nota sunt, communiterque recepta, canones conditos fuisse Sobensis ignorare non potuit. (2) Unde nam id hauserit Sobensis, incertum. Leges, quae Valentiniani nomen praeseferunt, non alia videntur ratione Ambrosio tributae, quam quod ei aequalis fuerit et aliqua negotia iussu Valentiniani suscepisse Ambrosium, ex historia ecclesiastica compertum sit. Ceteroquin eruditionis studiosi hanc notitiam fortasse non contemnent.

unicam pulcherrimam atque elegantissimam imaginem efformat ; sic beatus hic splendoribus et radiis ex illorum sanctorum patrum doctrina micantibus lucidissimam lampadem conflatam, super ecclesiae candelabro collocavit, quae per devia errantes in hac materia de divisione hereditatum, ad hanc regiam et offendiculis praepurgatam viam deduceret: adeo ut etiam religiosissimo Eliae Sobensi, viro nempe accuratissimo et acutissimo visum fuerit praecipere, ut, omissis ceteris de divisione hereditatum tractatibus, omnes, qui veritatem amarent, hanc unam sequerentur semitam.

Ego vero, ut lectorem inutili labore liberem, definitiones illas describam, quas religiosissimus Elias Sobensis diligenter et accurate collegit ex opere sanctae memoriae Eliae patriarchae, ipsamque eiusdem epistolam, quae in viginti quinque capita dividitur, integra fide in syriacum sermonem ex arabico vertam : ita ut harum rerum veritas certa et stabilis innotescat prudentibus, iudiciaque haud ex arbitraria deliberatione perturbatoque iuris ordine peragantur. Ad rectam quippe rationis regulam, et certam iuris normam iudiciorum ordo exactus est ; atque ita in posterum exigendus in universa orientis ecclesia. Studio itaque diligentiaque geminorum horum beatorum patrum, utriusque inquam Eliae, requiem accepere ecclesiarum rectores, ne in posterum ob sententiarum varietatem anxii haererent, neve a recto tramite aberrarent. Quae, ut planiora fiant, Sobensis (*Eliae*) verba hic attexenda duximus.

Si quis, inquit, leges olim constitutas circa divisionem hereditatum examinaverit, quae videlicet a maioribus nostris inventae sunt, ab Ananiesu, inquam, Timotheo, Iosue Barnun, et Iohanne catholicis, atque a Simeone, et Iesubochto, et Ebediesu metropolitis; vel eas, quae a Constantino, Theodosio, et Leone, romanis imperatoribus, latae fuerunt, atque easdem accurate expenderit; animadvertet profecto collatione facta eas in pluribus variare, seque invicem oppugnare et convellere: cum nimirum nec naturae, nec rationis ordinem sequantur. Quare necesse est, lectorem inde perplexum, anxiumque manere, et in varios errores impingere, dum ignorat, quamnam ex illis teneat et sequatur, quamnam vero deserat et reiiciat. Cum vero Deus spirituali patri Mar Eliae patriarchae, cuius animae requiem precamur (1), hanc contulisset gratiam, is istorum beatorum patrum de ea materia sententias exploravit, et diligenter expendit; divina mox virtute fretus, post diligentissimum earum examen, atque singulorum inter se textuum collationem, praedictas leges ad rationis normam exegit, et singulas coordinavit, prout iustum et aequum visum fuit, et naturali spiritualique legi consentaneum, ac praesentibus temporibus accommodatum, prudentiam intelligentibus adiiciens, et sapientiam quaerentibus semitam demonstrans. Illam itaque legum prolixitatem intra unius tractatus compendium contraxit, quod sanctae ecclesiae thesaurus praestantissimus censetur. Id porro quanta cum veritate dicatur, is plane intelliget,

(1) Hunc ergo tractatum composuit Elias Sobensis post obitum Eliae patriarchae.

qui laudati auctoris librum semel inspexerit: ex quo simul deprehendet eiusdem acumen, magnam eruditionem, speculationum profunditatem, sensuum et sententiarum gravitatem, doctrinae, et sapientiae amplitudinem, et copiam, ceteraque divina charismata a Spiritu sancto eidem collata, nec non sublime donum ecclesiae concessum, cum talem praesulem accepit. Ego vero cum eiusdem tractatum accurate, et multo studio evolvissem, atque examinassem, liquido perspexi, quam oppido rationi consentaneum esset, universa illius decreta sequi, omnesque canones in eo scriptos in praxim deducere. Quamobrem praedictum Eliae tractatum huic meae elucubrationi velut fundamentum subieci, eumque in varia capita distinxi, ut doctis quidem commentarium, discentibus vero institutionem, thesaurum postremo, ad quem tuto confugerent, nostris pararem.

I. *De heredibus, eorumque ordine juxta affinitatem, et consanguinitatem.*

Heredes dividuntur in septem ordines. Et ordo quidem primus concludit filios masculos, et feminas, et filios filiorum eorum in infinitum descendentes. Secundus patres. Tertius fratres, et sorores, et filios eorum, quotquot descendunt. Quartus seniores utriusque sexus patrum, qui sunt quatuor personae, pater scilicet patris, mater patris, pater matris, mater matris. Quintus patruos, et amitas, avunculos, et avunculas (*materteras*), et filios eorum ac filios filiorum eorum, quotquot descendunt. Sextus parentes seniorum (*avorum*), qui sunt octo personae; pater senioris patris (*avi paterni*) mater senioris (*avi*) patris: pater senioris (*aviae feminae*) patris: mater senioris (*feminae*) patris: pater senioris (*avi*) matris: mater senioris matris: mater senioris (*feminae*) maternae: et mater senioris (*feminae*) matris. Septimus patruos, et amitas patrum, et avunculos, ac avunculas (*materteras*), et filios eorum, ac filios filiorum eorum, quotquot descendunt.

Sciendum est autem, quod series heredum dispositorum in ordine 2. 3., et 6., scilicet patres, avi (*seniores*), et aviae (*seniores feminae*), et patres avorum (*proavi*), ac aviarum, quotquot ascendunt, necessariae propinquitatis sint; impossibile est enim existere hominem sine parentibus senioribus (*utriusque sexus*), et senioribus (*utriusque sexus*) parentum. Series vero dispositae in ordine 1. 3. 5., et 7., scilicet filii, fratres, patrui, avunculi, et patrui parentum, ac avunculi eorum, quotquot descendunt, possibilis (*contingentis*) propinquitatis sunt; nam potest aliquis habere filios, fratres, patruos, et avunculos, et patruos parentum, ac avunculos eorum, et potest illos non habere. Iterum sciendum, quod ubi extat ordo primus, scilicet filii, et filiae, cum his non hereditent ii, qui pertinent ad secundum ordinem, qui sunt patres; et ubi extat ordo secundus, scilicet parentes, non hereditent cum ipsis filii tertii ordinis, qui sunt fratres et sorores. Quod si unus e parentibus superstes sit, alter vero obierit, defuncto vero fuerint filii, filii eius hereditant portionem ipsius, idest fratres defuncti. Et ubi superstes sit ordo tertius, scilicet fratres,

et sorores, non hereditant cum eis filii ordinis quarti, qui sunt avi, et feminae aviae. Et ubi superstes sit ordo quartus, scilicet avi, et aviae, cum his quarti ordinis non hereditant filii ordinis quinti, qui sunt patrui, et amitae, avunculi, et avunculae; quod si vero unus ex eis obierit, huius filii hereditant portionem eius. Ubi autem superstes sit ordo quintus, scilicet patrui, et amitae, et avunculi, ae avunculae (1), non hereditat cum eis ordo sextus, scilicet parentes avorum. Ubi demum superstes est ordo sextus, scilicet parentes avorum, non hereditat cum eis ordo septimus, scilicet patrui, et amitae, avunculi, et avunculae parentum. Si autem aliquis ex sexto ordine obierit, filii eius portionem ipsius hereditent. Et ita in omnibus ordinibus res perficietur, eo quod eum propinquo non hereditet remotus, et homines necessariae propinquitatis non hereditant cum hominibus contingentis propinquitatis et existentiae. At contingentis propinquitatis homines hereditant ex necessitate partem parentum suorum. Maritus vero, et uxor hereditant cum omnibus his ordinibus, quemadmodum demonstraturi sumus.

II. *Enumeratio eorum qui non hereditant.*

Illi autem, qui non hereditant, viginti quatuor personae sunt: sunt vero isti: maritus matris: uxor patris: filius mariti: filius uxoris: filia mariti, et filia uxoris: frater filii, et soror eius: frater, et soror filiae: pater fratris, et pater sororis: mater fratris, et mater sororis: uxor fratris, et maritus sororis: socer, et socrus: frater uxoris: soror uxoris: frater mariti, et soror mariti: uxor filii, et maritus filiae.

III. *De marito, et uxore, et quantum hereditatis alteri ex altero contingat.*

Maritus autem hereditat ex coniuge sua, cum haec non habet filios, et filias, neque horum natos, neque proximos genere; et quidem duas tertias partes, tertia vero pars ecclesiae erit. Cumque filios quidem, et filias non habet, habet vero propinquos, et affines, dimidium (*hereditat maritus*): cum filia autem, quae ex ipso prodierit, aut ex alio viro suscepta sit, duas quintas partes: cum filio, si ab ipso fuerit, aut a viro alio, quintam partem; idem dicendum etiamsi plures fuerint filii, et filiae; non enim debet ei quidpiam diminui ex quinta parte, neque eidem accrescere supra duas tertias partes.

Uxor hereditat ex marito suo cum hic non habet filios, et filias, neque horum natos, neque parentes, neque proximos carne, et genere, tertiam partem, duae autem tertiae partes ecclesiae erunt. Cumque habet proximos genere, non autem filios, quartam partem (*hereditat uxor*); et cum filia, si ex ipsa fuerit, aut ex uxore alia, quintam partem: et cum filio, si ex ipsa sit, aut ex alia uxore, unam ex decem. Et ita hereditat cum filiis, et filiabus, quotquot fuerint,

(1) Vox syriaca significat tam parentes parentum, quam fratres, ac sorores parentum patris, ac matris, sive patruos, amitas avunculos, et materteras in remotiore gradu.

non sustinens diminutionem unius; neque suscipiens augmentum supra tertiam partem.

IV. *De filiis, et filiabus, et quantum hereditatis eis contingat ex parentibus suis.*

Pater quidem, cum solus est superstes, totam hereditatem obtinet a filio suo, aut filia sua; similiter etiam mater. Si autem ambo parentes superstites fuerint, pater quidem hereditat duas partes, mater vero unam partem. At si unus ex eis decesserit, et reliquerit filios, aut filias, hi hereditant partem eius ita, videlicet: vir decessit, et reliquit patrem, et fratres, ex patre, et matre, et fratres ex patre, et fratres ex matre, mater autem ipsa etiam decessit: pater quidem accipit pro sua portione duas tertias partes; fratres vero ex patre, et matre, et frater ex matre tertiam partem, portionem scilicet matris eorum, et dividunt aequaliter. Fratres ex patre non hereditant quidquam eum patre suo. Et ita pariter si obierit quispiam relinquens matrem, et fratres ex patre, et matre, et fratres ex matre, eum pater et ipse defunctus fuerit, accipiet mater pro sua portione tertiam partem, et accipient fratres ex patre una cum iis, qui ex patre, et matre duas tertias partes, quae est portio patris eorum. Fratres autem ex matre nihil hereditant cum matre sua.

V. *De fratribus, et sororibus, et quantum hereditatis alteri ex altero contingat.*

Frater, si solus fuerit, et defuncto non fuerint filii, neque parentes, neque uxor, totam hereditatem, quam frater eius reliquit, accipit, sive fuerit filius patris sui, sive filius matris suae, sive frater eius ex utroque; similiter etiam et soror. Si vero superstites fuerint et frater et soror, frater quidem accipit duas tertias partes, soror vero unam tertiam partem. At si pater superstes sit, accipit pro portione sua duas tertias partes, et fratres accipiunt unam tertiam partem, quae est portio matris ipsorum. Si vero ipsa mater sit superstes, accipit pro sua portione tertiam partem, fratres autem accipiunt duas tertias partes, quae sunt portio patris eorum. Porro si ambo parentes simul superstites fuerint, totam hereditatem accipiunt, nec datur fratri defuncti pars, sicuti diximus in antecedenti capite. Si vero ambo parentes obierint, defuncto autem superstites sint fratres ex patre, et fratres ex matre, illi, qui ex patre sunt, accipiunt duas tertias partes, et ii, qui ex matre, unam tertiam partem, illi scilicet portionem patris sui, et isti portionem matris suae. Pariter si defuncto superstites sint fratres ex patre, et matre, et fratres ex patre, et fratres ex matre, accipient omnes fratres ex parte duas tertias partes, portionem nimirum patris sui, et omnes fratres ex matre unam tertiam partem, portionem matris suae, hoc fere modo. Vir obiit, et reliquit fratres ex patre et matre: et fratres ex patre, et fratres ex matre, et reliquit, exempli gratia, sexcentas drachmas. Accipiunt fratres, qui ex patre, omnes, dico autem fratres ex patre et matre, et fratres ex patre duas tertias partes sui patris, quadringentas scilicet drachmas, unusquisque ex utroque latere, bis centum drachmas. Et ac-

cipiunt etiam fratres ex matre omnes, scilicet ii, qui ex patre, et matre, et ii, qui ex matre tertiam partem, portionem matris suae bis centum drachmas: unde habent ii, qui ex patre, et matre, dimidium hereditatis, quod est tercentum drachmarum: bis centum drachmas ex portione patris sui, et centum drachmas ex portione matris suae; et ii, qui ex patre solum, tertiam partem hereditatis (*habent*) quae est bis centum drachmarum, et cum his, qui ex matre solum, sextam partem hereditatis, quae est centum drachmarum.

VI. *De avis, et aviis, et quantum hereditatis eis contingat ex filiis filiorum suorum.*

Pater patris cum solus est, et defuncto non fuerint nec filii, nec parentes, nec fratres, nec parentes matris, accipit totam hereditatem; similiter etiam mater patris, quando fuerit sola: si autem exsistant pater, et mater patris: avo quidem duae tertiae partes (*dantur*), aviae vero tertia pars: si autem sint etiam pater, et mater matris, non sint vero pater et mater patris, illius (*rectius* illorum) sit tota hereditas: et ita etiam mater matris, quando praeter ipsam nullus heres existit, totam hereditatem accipit: si autem fuerint pater et mater patris, et pater ac mater matris; parentibus quidem patris, duae tertiae partes contingunt, quae portio est patris: illis vero, qui ex matre, una tertia, quae est portio matris. Masculo quidem duae partes, feminae autem una pars.

VII. *De fratribus et sororibus patris, et fratribus, ac sororibus matris, et quantum hereditatis eis contingat ex filiis fratrum suorum, et filiis sororum suarum.*

Patruus cum solus est, et defuncto non sint filii, nec parentes, nec fratres, nec avus paternus neque avunculi neque materterae, totam hereditatem accipit, si fuerit frater patris eius, qui obiit, ex patre: at si fuerit ex matre, aut ex ambobus simul, et si ambo patrui fuerint unus ex patre, et alius ex matre, dentur illi, qui ex patre, duae tertiae partes; ei autem, qui ex matre, una tertia pars: si autem tres patrui fuerint, quorum unus sit frater patris eius ex patre, et matre, alius vero sit ex patre solum, et alius item ex matre; datur ei, qui ex patre, et matre, dimidium; ei, qui ex patre solum, tertia pars; et qui ex matre solum, sexta pars: et ita perage etiam negotium patruorum, et amitarum. Avunculus autem cum est solus, et defuncto non fuerint filii, nec parentes, nec fratres, nec avi paterni nec patrui et amitae, accipit totam hereditatem, si fuerit frater matris ex patre, etsi frater eius (*matris*) sit ex matre, aut ex ambobus simul. Et siquidem duo avunculi fuerint, quorum unus frater sit matris ex patre eius (*matris*) et alter ex matre (*matris*); accipit ille, qui ex patre duas tertias partes, et ille, qui ex matre, tertiam. Si autem tres avunculi fuerint, quorum unus frater sit matris ex eius (*matris*) patre, et matre; alius vero ex patre eius (*matris*); tertius demum ex matre eius (*matris*) solum: detur ei, qui ex patre, et matre, dimidium; ei autem, qui ex patre solum, tertia pars; ei autem, qui ex matre solum, sexta pars. Et ita perage etiam negotium avunculorum,

et avuncularum. Cum autem sunt patrui, et amitae, avunculi, et avunculae; accipiunt patrui, et amitae duas tertias partes, portionem patris; et avunculi, ac materterae tertiam partem, portionem scilicet matris. Si autem ex patruis, amitis, et avunculis utriusque sexus quispiam mortuus fuerit, et filios reliquerit, eius filii hereditabunt partem eius (*patris defuncti*).

VIII. *Quod maiores non hereditant cum fratribus, sororibusque matris, neque maiores matris cum fratribus sororibusque patris.*

Quando quispiam obierit, et reliquerit fratres ex patre, et matre, et fratres ex sola matre, et seniores, patruos, et avunculos; fratres eius (*defuncti*) accipiunt totam hereditatem ipsi soli; et seniores, patrui ac avunculi non hereditant una eum eis quicquam. Similiter et quando aliquis obierit, ac reliquerit patruos, amitas, avunculos, et materteras; soli patrui, et amitae defuncti accipiunt totam hereditatem, maiores vero materni nihil hereditant, uti neque filii eorum, qui sunt patrui, et amitae, avunculi, ac materterae ipsius matris; et propterea collocati fuere in ordine quinto ex ordinibus heredum; et maiores patrum in ordine sexto; et patrui parentum, ac avunculi eorum positi sunt in ordine septimo. Non enim hereditant hi, qui in ordine sexto et septimo sunt cum illis, qui in ordine quinto collocati sunt. Similiter etiam ubi obiit quispiam, et reliquit avunculos, ac materteras, et seniores ex patre, et filios eorum, qui sunt patrui, amitae, et avunculi, ac materterae patris; soli avunculi defuncti hereditant ex ipso; neque enim seniores, patrui, amitae, avunculi, et materterae patris eius hereditant eum iis, qui sunt avunculi ipsius defuncti, propter propinquitatem fratrum, ac sororum in consanguinitate, uti in serie patruorum, ac amitarum, qui hereditarunt absque senioribus. Similitudine id declaramus ex ipsa natura desumpta. Quemadmodum itaque aquae moventur naturaliter deorsum, et non moventur sursum, nisi violenter, et cum vi adiguntur, ut sursum moveantur in omne latus sibi proximum, et quod offenderint, moventur sensim, neque moventur in locum superiorem, nisi post commotionem suam in proximis fretis hinc inde sitis; simili ratione constituta est etiam divisio hereditatum in propinquos, qui sensim, et gradatim tales sunt: cum itaque reperitur ille, qui proximior est, non attenditur ille, qui remotus est.

IX. *De viro, et muliere consanguineis, et quantum hereditatis alteri ex altero propter coniugium, et consanguinitatem contingat.*

Cum itaque obiit unus ex ambobus coniugibus, nec reliquit filium, aut filiam, aut natos horum, et coniux superstes consanguineus fuerit defuncti, idest filius patrui eius, aut filius avunculi eius, aut unus e propinquis ipsius; vivus hereditat ex defuncto primo portionem, quae contingit communicationi (*matrimoniali societati*), sic et reliquam iuxta proximitatem consanguinitatis: si non est defuncto aliquis consanguineus, hereditat ex consanguineo suo magis, quam ex coniuge suo, fere hoc pacto. Mulier

obiit, et reliquit maritum, qui est filius patrui sui; et defunctae non sunt filii, neque parentes, nec fratres neque seniores, sed patrui, et avunculi, horumque filii; accipit maritus portionem sibi competentem ex coniuge sua dimidium (*hereditatis*), et accipit postea portionem eum heredibus illa quantitate, quae ad ipsum spectat; et si alius cum ipso heres non extiterit, accipit totam hereditatem, dimidium quidem, portionem sibi contingentem ex matrimonio, dimidium vero aliud propter consanguinitatem. Id ipsum contingit mulieri, cum obit eius maritus, qui sit consanguineus ipsius.

X. *De sponso, et sponsa, et quod alteri ex altero hereditas non contingat,*

Sponsus, et sponsa non succedunt sibi invicem in hereditate, nec alter ex altero hereditat, eo quod inter eos permixtio, et communicatio non fuerit. Si autem sponsus aliquando sponsae suae, seu ad honorem, dederit quicpiam, aut parentes sponsae simile quicpiam dederint sponso; siquidem id fuerit ex auro, vel argento, aut ex re, quae conservatur, hoc redit ad illum, qui dedit ipsum. Indumenta autem, quae gestantur, et atteruntur vetustate (*ac usu*), et cibaria', non veniunt in recordationem (*scilicet* non considerantur). Reliqua vero, quae supersint, voluntati eorum, qui ea attulerunt, permittuntur, et hi possunt ea sumere, aut relinquere.

XI. *De monacho, an possit heres esse, sive heredes instituere consanguineos suos.*

Si quis monachus habitat cum monachis, habetque cum eis communicationem, et partem; hi hereditant ex ipso, et ipse ex eis hereditat; ex saecularibus autem consanguineis suis nec hereditat, nec heredes instituit. Si autem deserat coenobium, et convictum eum fratribus, et habitet in civitate, aut oppido, quamvis non exuat schema suum, et solvat continentiam suam, hereditatem suorum propinquorum, et consanguineorum consequitur, et hi ipsius hereditatem accipiunt. Similiter etiam, siquidem schema exuerit, et continentiam solverit, hereditatem propinquorum, et consanguineorum suorum accipit, et hi ipsius hereditatem consequuntur. Similiter rursus si desponset feminam et coniugium ineat, ac redeat omnino ad negotia saecularia.

XII. *De testamento.*

Si autem heredes fraudaverit defunctus, et scripserit testamentum iniustum, irritetur, et annulletur illud testamentum, et hereditatem capiant heredes, quemadmodum adiudicant eis canones. Iustitia praecipit, ut comprobemus iudicia recta, et non respiciamus ad iram (*inimicitiam*), et conditionem (*affectionem, passionem*) humanam: et ideo non debet subsistere illud testamentum, eo quod multoties homines inique agunt, et adhibent dolos propter iram, et praeiudicia. Et idcirco debemus diligenter inquirere de testamento, et considerare, atque discutere: et si iuste, et iuxta rectitudinem factum fuerit, illud confirmemus, et stabile faciamus: si autem nec iuste nec recte conditum est, ne ad illud confirmandum malae voluntati acquiescamus; et siquidem nulli penitus sint heredes, confirmetur testamentum, quando cum sanitate, et

rationis usu conditum fuerit. Si autem sint heredes, et confessus fuerit defunctus ante suam mortem, dum sanus esset corpore, et compos suae mentis, se alieno homini debitorem esse, recipiatur eius confessio, et comprobetur: et similiter si fateatur agrum talem, aut talem supellectilem, aut vestem vendidisse tali, et accepisse pretium eorum: aut tale aliquid esse uxosis suae, nec sibi in eo esse quidquam, admittatur confessio eius, et confirmetur sive verax, sive mendax.

TIMOTHEI.

Puer filius duodecim annorum, cum obiit, acceptetur omne mandatum, quod sive scriptura, sive sine scriptura facit de possessione sua.

EIUSDEM.

Si homines obierint, et testamentum scriptum non condiderint, solo autem sermone mandaverint Deo separari possessionem ipsorum, interrogentur ii, qui audierunt eos, sive filii foederis (*religiosi*) fuerint, sive fideles (*laici*) per verbum Dei (*iuramentum ab eis exigatur*), et iuxta testimonium, quod edunt, defunctorum mandatum stabile habeatur, si de domibus suis praeceperint, ut sint monasteriorum, et si possessiones suas dederint in administrationem eorum (*sive in utilitatem dictorum monasteriorum*). Qui contradixerint, arceantur sacramentis ecclesiae, donec corrigant violentiam, quam intulerunt.

XIII. *De dimissa, et dimisso, et quod nulla invicem hereditas eis contingat.*

Cum igitur unus ex ambobus coniugibus obit, sive vir fuerit, sive aut mulier, et soluti erant antea ab invicem ob causam liquidam, quae solutionem eorum iustam fecerit, et postea nullatenus communicaverint secum; neuter horum hereditatem socii sui obtineat, verumtamen filii eorum, et consanguinei ipsorum sint eorumdem heredes.

XIV. *De apostata; et quod neque heres esse, neque heredes instituere potest, nisi poenitentiam egerit, et ad fidem redierit.*

Ille, qui fidem suam negavit, et apostata factus, uni ex sectis vanis accessit, neque hereditatem transmittit, neque heres esse potest; si autem poenitentiam agat, et ad fidem redeat, heres esse, et heredes instituere potest.

XV. *Quod eius, qui heredes non habet, hereditas ecclesiae contingat.*

Cum autem defuncto non fuerint heredes, non uxor, non filii, non parentes, non fratres, non consanguinei ex patre, neque consanguinei ex matre, omnino ecclesia heres eius est, quia eum non reperitur proximitas in consanguinitate naturali, redit hereditas necessario ad consanguinitatem spiritualem.

XVI. *De filio ex muliere fornicaria suscepto.*

Filius itaque, quando ex muliere fornicaria fuerit, si maritus mulieris persenserit hanc rem, et neglexerit neque ostenderit, se illam advertisse, ac puerum domi suae reliquerit tamquam filium suum naturalem, et ratum, neque mulieris negotium publice innotuerit, sed latuerit; cum obierit vir ille, heres ipsius fit ille filius. Et si habeat (*maritus hic*) alios filios, hereditatem capit instar ceterorum fi-

liorum eius (*mariti*); et si filia fuerit, similiter dicendum.

XVII. *De filio, cuius pater ad alia religionem* (sectam) *transiit.*

Filius sane orthodoxae fidei cultor, cuius pater alienus factus fuerit a veritatis confessione, et aliquam haeresim earum, quae adversantur christianitati, amplexus sit, hereditatem accipit seniorum, patruorum, et omnium consanguineorum patris sui. Similiter etiam si mater deserat fidem, heres fit eius filius parentum ipsius (*feminae*) fratrum, et omnium filiorum suae familiae. Si autem filia sit ea, quae superfuit, hoc idem iudicium de ea feratur.

XVIII. *De filio, qui nascitur, dum vir est in regione longinqua.*

Cum autem femina parit filium, marito suo longe absente, et regressus vir e via sua, non sivit, ut mulier eum puerum educaret in domo sua (*viri*); quando decesserit vir ille, hic filius nihil hereditatis capiat cum filiis illius viri, sed heredidet ex matre sua una cum fratribus suis; idem iudicium esto etiam de filia.

XIX. *De filio ex baptismo et educatione.*

Filius spiritualis, qui est filius baptismi, et filius educationis, uti pupillus, qui educatur, non habeant partem in hereditate. Si autem adoleverint, hereditant ex possessione viri aliquid, puta benedictionem. Et si fuerit educatio ob aliquam causam, et aliquid in occulto datum fuerit ab educatore, aut mandaverit, ut ei (*educato*) sit pars in agris, et domibus; etiam ita heres sit.

XX. *De filio contumace.*

Iesuboctus metropolita Persidis dicit: si pater iusserit, filium suum contumacem non esse heredem una cum aliis filiis suis, ita fiat; iustum est enim eius (*patris*) mandatum exequi: quod si minime id caverit, praecipit eum (*filium*) heredem esse, uti sunt ceteri filii eius (*patris, qui id non cavit*). Similiter et Timotheus ita dicit. At beatus Mar Elias patriarcha (1), cuius animae requiem concedat Dominus noster, non consentit huic *statuto*), ac dicit: si pater odio habuerit filium suum ob aliquam causam voluntariam, ligamen naturale, quod inter eos est, non dissolvitur per hoc (*odium*). Verumtamen si vir habuerit duos filios, quorum unus sit obediens, alius vero contumax, et voluerit dare aliquid obedienti (*filio*), et contumacem prohibeat a parte sua; aut dederit filio obedienti aliquid, cum adhuc sanus est (*pater*) corpore, et suae compos rationis; aut emerit ei vineam, sive agrum, sive quicpiam aliud, et scripserit ei chirographum de emptione, accipitur hoc (*factum*) ab eo, neque potest filius contumax solvere id. In reliqua omni possessione (*patris*) eius dimidium accipit (*contumax*).

XXI. *De filia, quae fornicatur vivente patre.*

Iesuboctus dicit: filiam, quae fornicatur vivente patre, aut in patris sui domo, si eam ab hereditate excluserit,

(1) Elias iste patriarcha primus decessit saeculo XI. Asseman. iunior. in catal. pag. 145. Iesuboctus Persidis episcopus floruit circa IX. saeculum, ac scripsit librum de iudiciis ecclesiasticis. Vid. Asseman. senior. tom. III. biblioth. pag. 194. Timotheus patriarcha obiit anno Christi 820. Vid. Asseman. cit. a pag. 158. et seq.

iussio eius recipiatur, et confirmetur: si autem non iusserit, hereditatem accipiat. Mar Elias patriarcha dicit: debet heres esse, sive pater eius iusserit, sive minime mandaverit.

XXII. *De illo, qui decessit, et reliquit servos manumissos, et non manumissos.*

Si aliquis igitur decessit, et reliquit servos manumissos, et non manumissos, et heredes nullatenus habet, debet dari manumissis pars hereditatis illius viri, quasi benedictio quaedam: Et ii, qui sub iugo sunt, manumittantur. Si autem reliquit agrum sativum, et voluerint servi illum colere, alantur ex eius fructibus uti unus ex pauperibus. Filii autem servorum nihil hereditatis accipiunt. Si vero defuncto fuerint heredes, ii potestatem habent in servos.

XXIII. *De servis manumissis, et non manumissis decedentibus, et cuinam hereditas eorum contingat.*

Cum moritur servus non manumissus, dominus eius heres ipsius est. Et si condiderit *(servus)* testamentum, eiusdem dominus potestatem habeat confirmandi, aut infirmandi ipsum. At si fuerit servus manumissus, habeatque filios, istis hereditas eius contingit: si autem filios quidem non habeat, habeat vero consanguineos servos, puta matrem, patrem, et fratres, iis non contingit hereditas illius, sed domino ipsius contingit hereditas, aut filiis eius (*domini*), aut filiis filiorum eiusdem. Idem iudicium feratur etiam de ancilla.

XXIV. *De filiis illegitime natis.*

Si pater, cum nascitur ei filius ex ancilla sua, eum filium suum esse non confitetur, sed serviliter tractat, huic nihil hereditatis contingit cum filiis illius hominis; sed si fuerit puer minorennis, detur ei aliqua benedictio, ceu ad educationem. At si si vir confessus fuerit, illum (*servum*) filium suum esse, et iusserit, eum hereditate potiri una cum filiis suis, etiam in tali casu non hereditet ille, qui natus est ex ancillà, aut muliere non legitima, uti filii, qui ex legitima, sed dimidium partis filii legitimi hereditatem capiat, et filia dimidium partis filiae legitimae hoc modo. Homo decedens filios legitimos, et filias relinquit, item et filios illegitimos, et filias. Detur unicuique e filiis illegitimis dimidium partis filii legitimi, et unicuique ex filiabus illegitimis dimidium partis filiae legitimae, ut diximus: si autem homo habeat solum filios illegitimos, ac filias illegitimas, sive unus fuerit, sive plures, dimidium possessionis hominis illius detur eis, reliquum vero heredibus propinquioribus: quod si non extiterint heredes, nec propinqui, nec remoti, ecclesiae sit (*illud dimidium*), ac pauperum, et hoc ad expiationem peccati hominis illius.

ELIAS SOBENSSIS DICIT.

Collegi itaque canones decretorios (*alias* compendiarios) quin commemorarem diversitatem canonum antiquorum in quovis ex his capitibus, neque disquisitiones (*scholia*) et considerationes (*explorationes*) atque directiones (*emendationes*), quas memoravit Mar Elias patriarcha, ne longius protractus sermo scopum excederet; ille autem,

qui haec scire cupit, fusius expressa poterit legere in illius compositione: ibi enim causas, et fundamenta horum (*statutorum*) cognoscet, si voluerit. Domino nostro gloria, et adoratio. Amen.

EXPLICIT TRACTATUS TERTIUS.

TRACTATUS IV.

DE IUDICIIS ET CAUSIS SAECULARIBUS, QUAE INTER CHRISTIFIDELES CONTINGUNT.

Canones equidem iudiciorum, quae de negotiis saecularibus inter Christifideles contingentibus peraguntur, sparsim, et disseminate, nec in una serie constituerunt patres nostri sancti, pro causis emergentibus: ideo multi e doctis nostri temporis neque sciunt, hos esse in ecclesia. Necesse est igitur, ut laboremus, et colligamus, atque coniungamus eos, et ordine connexioneque convenienti eosdem exhibeamus, ut plana fiat semita, et recta sit via ambulantibus, utque ipse iudex liberetur a labore, et a propriae conscientiae morsibus; is autem qui iudicium subit, evadat oppressionem, et controversiae futilitatem.

I. *Quod nefas sit Christifidelibus adire extraneos iudices.*

Timotheus dicit: si Christifideles sunt, quomodo adeunt extraneos? Ait enim Deus ad eos per os servi sui Eliae prophetae: numquid non est Deus in Israel, quia abitis ad interrogandum Beelzebub Deum Accaron? Iam vero si adeunt iudices, qui foris sunt, quomodo christiani sunt? Dicit namque Paulus ad eos: audet aliquis ex vobis habens iudicium cum fratre suo, iudicare (*contendere*) coram iniquis, et non coram sanctis? An ignoratis, quod sancti mundum iudicabunt: et si mundus per vos iudicatur, digni ne estis, qui iudicetis iudicia minutissima?

Ex synodo Johannis Bar-Abgar (1), quae congregata fuit anno 1212 Graecorum (*Christi* 900 *circiter*). Placuit Spiritui sancto et praecepit, ut Christifideles illi, qui trahunt fratres suos in Christo ex baptismo ad iudicium principum, et iudicum extraneorum, et tradunt eos potestati, quae extra ecclesiam est; et eunt isti voluntate sua extra violentiam, quae eis infe-

(1) Iohannes Bar-Abgar electus patriarcha Nestorianorum saeculo decimo (Asseman iunior in comment. a pag. 110.) synodum habuit, cui adfuerunt viginti metropolitae et episcopi.

ratur, sub anathemate sint, et maledictionibus, et condemnatio in eos prodeat a iudicibus ecclesiae, quanto tempore exiget contumacia eorum stulta, quia reliquerunt fontem aquae vivae, et abierunt ac foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas: his scriptura bene exprobrat, et dicit, dum testatur: numquid non est Deus in Israel, quia itis ad interrogandum Beelzebub? Paulus autem ad eos clamat: an ignoratis, quod angelos iudicabimus, quanto magis, quae sunt huius saeculi? Haec in verbo Domini nostri definiverunt patres sancti.

II. *De christiano qui percutit fratrem suum, et is, qui percussus est adit potestatem* (saecularem) *vindictae causa.*

Timotheus dicit: haud equidem christianus est, neque, ut christianum decet, agit, nec ille, qui percussit, neque ille, qui percussus est, eo quod non sustinuerunt, et malum pro malo reddiderunt: et primi quidem delictum multiplex est; secundi vero duplex est: primo quidem quia praeceptum Domini nostri transgressus est, quo iubemur percutienti maxillam alteram praebere; et pro pallio, tunicam dare. Secundo vero quia reiecit iudicium Dei, aestimavit autem, et adamavit iudicium extraneorum, et hominum; quare ambo debent removeri ab ecclesia, et sacramentis; ille quidem, qui primus deliquit, per duos menses, is autem alter per tres menses; et in sacco, ac cinere consistant in omni dominica die, dentque eleemosynas pauperibus ea quantitate, quae ipsis possibilis est, et postea expiationem accipient.

III. *De iis qui simul in iudicio contendunt.*

Iesuboctus dicit: litigantem non habentem chirographum certum aut dubium iudices extranei haudquaquam audiunt, neque detinent eius adversarium in iudicio. Nos autem, quia scimus, et advertimus quod plures mutuo sibi aliquid in occulto dant, nemine id sciente quando non cognoscit litigator primus mendacium, et iniquitatem accusationis, et pruritum accusandi alios, etiam quando non habeat chirographum et testes, ipsius verba audimus, et prout iustum est, iudicium ei facimus. Et quando iudex ex provocatione primi vocat alium, et citat, atque percutiunt, sibique mutuo maledicunt, aut ignominia afficiunt iudicem, aut repugnant, et non obediunt, propter haec delicta non damnamus delinquentem, neque pervertimus eius iudicium, sed pro quantitate, et qualitate delicti eius cum ipso agimus, increpatione scilicet, et vinculis, et interdicto, ac correctione. Cum aliquis iudicium habet cum socio, siquidem unus eorum tempus petit coram iudice, quacumque demum de causa si ante tempus (*determinatum*) primus litigator (*actor*) constituat pro se aliquem, cui auctoritatem in suo iudicio dederit, ita ut is adeat iudicem, et iudicium sustineat pro ipso (*actore primo*), et scribat ei libellum de iudicio suo (*lite sua*) ille primus, et dederit ei iudicium suum, velut alteri, potest iudicium agere cum suo adversario; et si alter litigator illo tempore, quod habuit, non it, vincitur. Et si adversarius alter accusaverit adversarium primum coram iudice, ille qui accusatur, do-

nec terminetur, et decidatur iudicium illud, propter quod accusatus fuit, non potest aliud iudicium prosequi cum hoc suo adversario; et si accuset eum, non est audiendus: et ubi evacuatum fuerit iudicium primum, audiatur, et fiat eius iudicium. Et si quispiam accusaverit suum adversarium, et paret viam remotam, aut vicinam tenere, si quidem scit tempus decisionis illius iudicii, non debet impedire illum virum ab ipsius itinere, sed detur ei tempus ad id iudicium, quantum possibile est. Si vero alter adversarius dicat: propter multiplicitatem negotiorum meorum non possum quavis hora comparere in iudicio cum adversario meo, non admittitur haec excusatio, sed detur ei tempus congruum, et fiat iudicium eorum quemadmodum convenit.

Si quis accusat de possessione aliquem, et adversarius adducit in medium id, quod ab eo emit, et ille, qui vendidit conveniens cum eo iudicem, vincitur, possessio datur primo adversario (*actori*); et adversarius secundus (*reus*) pretium possessionis, et iacturam (*damna emergentia*) ab illo, qui ipsam sibi vendiderat, accipiet. Et cum alter litigator non profert in medium rem venalem, sed ipse iudicio comparet, et vincitur, neque ob iacturam (*damnum*), quae ei acciderit, neque ob illam possessionem habet viam (*ius*) contra venditorem; et si innotuerit, illam rem fuisse furto sublatam a venditore, aut per fraudem (*vim*) sublatam fuisse illam possessionem; iacturam (*damnum*) ei inferant uti contra fures, et oppressores, et solvat. Et si ille, qui emit, conscius fuerit furti eius possessionis, etiam ipse eiusdem rei reus habeatur instar venditoris illius furis et latronis.

Cum vir habet iudicium (*litem*) cum socio suo, et adversarius eius adducit rem venalem in medium, et adversarius primus nolit iudicio contendere cum ipso, potest emptor iudicium evadere, et adversarius primus eum re venali subeat iudicium.

IMPERATORUM.

Si quis voluerit mandare servo suo ut agat in iudicio pro se, id lex prohibet, neque in eius erit potestate: non enim aequum est, servum, et liberum iudiciis contendere inter se.

IOSUE BARNUN.

Si quispiam accusaverit socium suum de actionibus malis, et ostenderit, se veracem esse in eo, quod accusavit, aut per testes, aut per aliquid aliud manifestum, suscipiat quidem accusatus congruam sententiam: at si appareat, quod vera non sit accusatio, sed mendax, et iniqua, illam sententiam, quae parata erat accusato, subeat accusator, eo quod se ipsum mancipaverit mendacio et accusaverit inique.

IV. *De chirographo certo, et dubio*.

IESUBOCHTI.

Chirographum(*instrumentum*)certum est illud, quod sigillo illorum munitum est, qui ab ecclesia, aut a regibus, et potestatibus eliguntur, et constituuntur. Illud vero dubium est, quod sigillo testium signatum est. Chirographum certum cum adducitur in iudicium vere, certe eo utimur; de illo autem,

quod testium sigillo firmatum est, examen instituimus, atque inquirimus. Et siquidem testes illi, qui signarunt chirographum, fideles, et timore Dei noti in ipsa regione aut ecclesia omnibus sint, habeantque testimonium rectum, chirographum ratum habemus; at si secus res se habeat, dubitamus de illo. Et si puer adducat in iudicium chirographum certum, et adversarius eius disputet, ac dicat: vendidi hanc possessionem, sed pretium eius non accepi: si quidem habeat chirographum certum, aut dubium, aut testes, audiatur, et fiat iudicium eius, prout iustum est. Si vero non sint testes, neque chirographum, non audiatur. Similiter etiam cum mutuum accepit, ac dicit: persolvi: si quidem non sint testes, veraces, et argumenta, non audiatur: at si habeat argumenta et testes dubios, audimus eum, et facimus iudicium eius, prout iustum fuerit.

EIUSDEM.

Cum aliquis habet chirographum debitorum, et dicit, non esse persolutum quidquam, illud chirographum irritum facimus, et ita illum audimus, sicuti audimus eum, qui non habet chirographum.

EIUSDEM.

Chirographum, quod versutia, et astutia fit, ubi haec innotuerit, nullius est momenti: et illos, qui fecerunt ipsum, et illum, in cuius manibus est, in ecclesia increpamus, redarguimus, et etiam ligamus, ac interdicimus. Et qui asseruerit chirographum, quod est in manibus adversarii sui, fraudulenter et cum astutia factum esse, siquidem nequiverit ostendere veritatem, et certitudinem suae assertionis, non audiatur. Si autem habet indicia, et testes veraces, eum audimus, eique iudicium verum, prout iustum est, facimus.

V. *De testimonio certo, et dubio.*

Iesuboctus dicit: in scripturis divinis habemus, quod in ore duorum, et trium testium stat omne verbum; idque apertum est, quod de hominibus veracibus, ac timentibus Deum talia praedicantur; si autem non quomodo dictum est in scriptura divina: ne eas post multos (*sequaris plures*) ad faciendum malum; et ne vituperes iudicium (*alias* respondeas, sollicitus, curiosus sis in iudicio), ut declines ad plures, qui praevaricantur. Itaque manifestum est, scripturam divinam loqui de hominibus veracibus, ac timentibus Deum, cum dicit in ore duorum, et trium testium stabit omne verbum; et ideo dicit scriptura divina: virum fidelem quis inveniet? et sane vir hic fidelis, quamvis unus sit, credendum est testimonio eius. Talis autem vir debet esse is, cui omnes testimonium dent, quod fidelis sit, timens Deum, rectus, minime intemperans, et personas non accipiens, et quod non habeat inimicitiam cum illo, de quo testimonium edit, neque declinet (*a veritate*) propter consanguinitatem. Viro autem tali, quamvis unus sit, credendum est, cum testatur: et si his omnibus non fuerit notus, ob rectitudinem autem, ac temperantiam notus fuerit omnibus, vel pluribus, cum duo, aut tres fuerint, recipiatur eorum testimonium: et illius, qui mendacio, et falso te-

stimonio ac violento (*iniquo*) notusfuerit, nequidem tamquam dubium recipiatur. Testimonium autem hominis, qui testatur cum damno suo, et utilitate adversarii sui, certum habeatur.

VI. *De possessione bonorum certa et dubia Iesubochtus dicit.*

Bonorum possessor sit ille, qui notus est, et fama ea est, quam omnes homines, vel homines boni et famae rectae habent. Si autem ille dubius est, et non notus; ipse iudex, vel homines fide digni coram utraque parte litigante, aut clam iis, interrogent homines illius ruris, aut oppidi, et inquirant, et quemadmodum ex inquisitione innotuerit, fiat iudicium. Si vero neque hoc pacto liquide res innotuerit, ille, qui magis innotuerit possessor bonorum, si quidem voluerit, adiuret adversarium suum.

TIMOTHEUS.

Illi, qui possident bona aliorum, et testimonium non habent aut per scripturam, aut per assertionem veracis alicuius, quaeratur de illis, qui provocant contra eos et si fuerint, qui testentur, bona fuisse patrum eorum, oppressi hereditent; at si non adsint, qui id asserant, neque scripturis id comprobari possit, neque testes pro his existant, iurent oppressi, possessionem esse patrum suorum, et ipsi debent illam obtinere.

IESUBOCHTI.

Possessio autem si fuerit plus quam quinquaginta annorum aut ex tribus patribus (*a tertia scilicet generatione quis possessionem habuerit*) pervenerint illa bona ei homini, et adversarius eius interim videbat, et sciebat et praesens possessor bonorum, ac ii, ex quibus pervenerunt, ignari erant de fraudulentia, aut potentia, aut fortitudine (*possessores nempe sint bonae fidei, quibus ignotum sit, rem iniuste ac dolose possessam fuisse*) quamvis accusator habeat chirographum certum; ipsa illa possessio firmior, ac certior est illo chirographo: et iuramentum favet ei, qui possidet; et siquidem voluerit, ipse iuret; si autem non petit, adiuret socium suum.

EIUSDEM.

Si homo non habens chirographum, aut testes veraces, litigat de bonis, quae sunt in possessione alterius hominis; cum possessio fuerit quinquagenaria, vel a tribus patribus, ille bona obtinet: si vero innotescat praepotentia, vis et fraus, ac dolus illorum, qui possidebant bona, sive possessores essent, sive non essent in ea regione; et accusator, ac patres eius, sive quia non sciebant iudicium instituere; si quidem potuerit unum ex his, verum esse ostendere, auditur. Quodsi minime potuerit, neque auditur neque iudicium ei fit.

EIUSDEM.

Si in possessoris bonorum manibus diu res fuisse constiterit, et adversarius eius dicat; hic a me accepit hanc possessionem ad culturam; alter vero dicat, quod minime acceperit; si dum causa agitatur, innotuerit rem fuisse in manibus illius, antequam apprehenderet hic actualis possessor; si absolute innotuerit aliquid simile, et non habeat possessor chirographum

emptionis ; de illa possessione tamquam dubia, et non tamquam certa tunc indicamus, et iuramentum, ac testium inductionem accusatori praecipimus, et ab eo recipimus (1).

EIUSDEM.

Res, quae a tribus annis in manu alicuius esse dignoscitur, si ob fraudem, praepotentiam, ac violentiam illius, qui possidet, aut ob minorem aetatem, et ignorantiam accusatoris, aut quia non erat (*accusator*) in illa regione (*ubi res extitit*) ubi haec innotuerint, vere tolletur de manibus eius (*possessoris triennalis*) res, et sententia iudicialis ei competet: et si aliquid horum sit, et non habeat instrumentum emptionis, fraudulentus censetur: si autem provocat, dicens, res in manibus meis sit, relinquatur in manibus eius, et audiatur, quid dicat adversarius eius, et prout iustum fuerit, iudicium eorum fiat.

EIUSDEM.

Si homo possideat rem alterius illegitime, dum non habebat ius ad eam, illa res cum fructibus suis, et argumento ipsius rei, quod interim contingit, et damnis rei redeat ad dominum suum. Et de iis, quae dicuntur a domino rei de re ipsa, si voluerit ille iuret, aut adducat testes, qui dicta sua comprobent; et si petierit, haec imponimus illi, in cuius manu res existit.

VII. *De mutuo, et debito.*

IMPERATORUM.

Si mutuo dat aliquis alteri summam pecuniae, faciat ei chirographum et tempus designet, quod tali tempore reddet ei debitum; non potest dominus debiti (*creditor*) sortem suam petere ante tempus designatum: si autem audeat, et vi petat ante tempus (*praefixum*) leges iudiciorum mandant, eum sorte privari.

IESUBOCHTI.

Vir quidem, qui de pecunia, aut de re alia, quae ab eo petitur, disputat, ac dicit: non sum debitor; et quia non adducit testes, aut scripturam solutionis, coram iudice reus habetur; et iudex mandat, ut is tradat illam pecuniam, aut agrum, aut domum, et sic tradit; si postea adducat scripturam solutionis, et testes coram iudice, et iudex cognoscat, se iniuste priorem sententiam dedisse, tollatur ager ille, et domus illa a primo; et fructus etiam, ac redditus, quos tulit, mandamus ei, ut restituat domino agri; et propter aggressionem (*qua alium oppressit*) suam exhibeatur ei obiurgatio, et increpatio ab ecclesia, ac interdictio.

EIUSDEM.

Si duo viri mutuo accipiunt ab aliquo, et scribunt, ac sigillo confirmant; si scribunt, quod quisque ex eis suam portionem potest petere, etsi unus ex eis solvit suam partem, non irritatur illa scriptura propter eam portionem, quae soluta est: et fiat secundum conditionem, quae inter eos.

(1) In exemplari antiquo desunt sequentia, quia deest folium.

EIUSDEM.

De debito patris, licet divisa fuerit hereditas, iudices praecipiunt, quod possit creditor, si voluerit, repetere suum a filiis. Nos autem, quot sunt filii hereditatis (*heredes*), ab unoquoque eorum partem ipsius praecipimus repeti: si autem non existant omnes, dum repetitur (*debitum*), ii qui existunt, debent solvere partes reliquorum; et ab iis, pro quibus solutum est, praecipimus repeti (*quod solutum est pro ipsis*).

IESUBOCHTI.

Si quis moritur gravatus debitis, et domini debitorum (*creditores*) chirographa sua ostendunt, testesque adducunt veraces, et id iuramentis firmant, scilicet nihil omnino accepisse de suis creditis, et penes se nullum esse pignus, solvantur credita eorum. At si fateantur, apud se existere pignora, ea adducant: et si vendiderint ipsa pignora, quae pretio superabant credita ipsorum, adducant quod excedit dominis mortui; et si reluctaverint, ac dissenserint, anathema, et maledictiones super ipsos legantur.

EIUSDEM.

Si quis moritur apud domesticos suos, et habeat credita adversus alios, et non manifestant (*revelant domestici*), et ipse (*mortuus*) mandatum (*dispositionem, testamentum*) non fecerit, et domini debitorum non fateantur, anathema cum maledictionibus scribatur, et legatur contra debitores quosque non fatentes, et contra scientes, et non manifestantes, qui accipiunt personas hominum, neque timent magnum Dei iudicium.

EIUSDEM.

Si quis mutuatus est aliquid a socio suo, et ob detrimentum multum, quod ipsi obtigit, non potest solvere; si mutuans sit in necessitate ac penuria constitutus, sciat angustiam socii sui, ex propria: et si habeat is, qui mutuo dedit, et non sit in angustia, prorsus benigne, ac misericorditer agat cum socio suo vexato.

IESUBOCHTI.

Mutuum autem a periculo, praeter illud maris, et potestatis, et ex inimicis, et ex iactura, uti est publicanis, qui sine iudicio, et detrimento, quod in negotiatione, et reliquis damnis similibus liberum est. Verum hoc quoque sciendum est, quod reliqua mutua, quae cum periculo, vel sine periculo (*dantur*) ut plurimum non in iudicio (*ad iuris apicem*) sed per dimidiationem (*medio rationis, non rei*) secundum mores obtinentes inter negotiatores, tractari iubemus, et ideo non debet in iudicio quicquam adversus ea dici, eo quod saepe non subdatur voluntati, et legi hominum; et ita debet cognosci secundum mores, qui obtinent inter mercatores.

VIII. *De usura, et foenore.*

GABRIELIS BOSTRAE.

De usura praecipit sane legislator, ne accipiatur a filiis fidei: si mutuo dabis pauperibus populi mei, ne sis adversus eos tamquam dominus debiti, et ne accipias ab eis usuram. Simili etiam modo David beatum dixit

eum, qui pecuniam suam non dat ad usuram: patres autem ecclesiae, uti piae memoriae domini Iesuiabus, et Iosue Barnun catholici, et reliqui, non quidem contradicentes praecepto Dei, verumtamen cum consideravissent, quod ii qui possessionem (*bona*) habent, haud faciles sint ad danda bona sua aliis sine fructibus (*emolumentis*, *utilitatibus*), et quod saepe non possit ab eis peti quin et animadvertentes, quod debitores haud solliciti sint ad solvenda debita, nequid damni patiantur (*creditores*) ex eo, quod (*debitores*) morosi sint, neque solvant; sed et perpendentes, quod non possint pauperes vitam ducere sine mutuo; praeterea videntes plures sine commiseratione solere accipere usuram (*haec omnia*, *inquam ob oculos habentes*) posuerunt legem, ut pro centum drachmis quovis mense unam drachmam (*pro emolumento*) accipiant, minime vero amplius. Patres autem posteriores propter necessitatem eorum, qui mutuantur, ad viginti stateres (*quolibet nimirum anno*) deduxerunt (*emolumentum minuerunt*, *ac taxarunt*) quo modo etiam nunc utuntur timentes Deum. Nos autem Christifideles docemus, ne quis amplius, quam istam summam accipiat. Et id non quidem cum iudiciali potestate praecipimus, sed ex consilio, et adhortatione, uti doctores fidei; cum enim iudiciali potestate fungimur, non possumus eos a pacto inter ipsos inito cohibere.

IMPERATORUM.

Si autem unus alteri mutuam dat summam pecuniae et asinam, aut equam, aut vaccam, quo operetur per eas loco usurae pecuniae, id ratum est, et foetus, quem edit iumentum oppignoratum, domini oppignorantis erit. Si autem aliquis alteri pignus dederit gregem ovium, aut caprarum, et pactum inter mutuantem cedat et mutuatarium, quod redditus gregis, idest lana, pili, et lac, et quidquid ab eis (*ovibus*, *et capris*) provenit, pro usura pecuniae sit, id firmum est; et ex foetu ipso gregis eius detur merces, et alimentum mercenariorum, et canum ovilis, et sal pro ovili: reliqua vero cum numero ovilis domino huius restituat. Si autem servum suum quis pignus dederit, huius opus computatur pro usura, et filii, quos generat (*servus*) sint pignus domino cui dedit. Si vero aliquis oppignoret agrum, aut vineam, et pactum fiat inter eos, quod redditus harum percipiat mutuans pro usura suae pecuniae, firmum esto id mutuanti.

IESUBOCHTI.

Cum aliquis mutuatur cum usura ab alio, et apud eum pignus relinquit, aut scribit ei chirographum; si affert creditori pecuniam cum sua usura, creditor autem dicat, non extat apud me pignus hoc, et chirographum; conveniant rectorem ecclesiae, et tradatur illa pecunia cum sua usura coram creditore alicui fidelium, donec afferat pignus, et chirographum, eaque det domino proprio, et tunc tollet, quod suum est. Et a die, quo mutuans tradit pecuniam fidelibus, usura non debebitur ab eo. Ne vero sinatur creditor moram ducere, et procrastinare redditionem pignoris, et chirographi.

IX. *De pignore.*

IESUBOCHTI.

Si quis mutuum accipit ab alio, et pro pignore dat supellectilem (*vestes*) si ille, qui mutuatur, moritur, aut ad paupertatem redigitur, ac venerint alii creditores eius, qui contendant cum illo, qui habet penes se pignus: affer id, quod est penes te, ut vendamus ipsum, et sit inter nos: potest vir, si ante ipsos mutuum dedit, afferre pignus illud, et cum notitia iudicis, et hominum fidelium vendatur: et tollat quod suum est plene; et quod supererit, dabit reliquis creditoribus. Et si pignus non fuerit supellex, sed ager, aut domus, et cum scriptura, ac sigillis oppignoratum sit: si ille ager, aut illa domus in manu creditoris fuerit, et ipse prior mutuum dederit, eodem modo ei licebit, quoad tollat plene, quod suum est, neque debet dare quidpiam aliis, qui mutuum dederunt. Quod si pignus non fuerit in manu eius, qui prior mutuavit, sed in manu eius, qui postea mutuavit, iudicia quidem saeculi iubent, cornu (*sortem principalem*) dari primum priori, et quod superest dividi inter alios. Et si pignus neque in manu primi, neque in manu ultimi (*mutuantis*) fuerit, sed solum in scriptura apud primum fuerit oppignoratum, usque ad complementum cornu detur primo: et si apud ultimum oppignoratum in scriptura fuerit, ambo dividant secum invicem, et tollant. At si non fuerit oppignoratum penes primum, neque penes ultimum, illud quod reperitur, dividant secum invicem, et quod ipsis remanet, exigatur a mutuatario.

EIUSDEM.

Si quis oppignorat agrum, aut domum penes aliquem, et hic rursus oppignoret penes alium, potest dominus possessionis dare pecuniam debitam creditori secundo, et tollere suum agrum, aut domum suam. Et si quis dixerit: tali pecuniam similiter mutuam a tali, et oppignoravi penes ipsum supellectilem unam auream, aut argenteam: et adversarius eius dicat: pecuniam, quam dicit, tulit a me, sed illa supellex non est oppignorata penes me; illam pecuniam, quam confessus est, debet dare illi viro, et disputet cum eo de supellectile, quam dixit. De pignore autem aliqui dixerunt, quod si pignus minoris pretii sit, quam pecunia, ob quam oppignoratum est, non possit creditor exigere quidquam ultra pignus, quod manu tenet. Nos autem secundum rectitudinem dicimus, quod si pignus amplioris pretii fuerit, domini pignoris esse debet; et etiamsi fuerit minoris pretii, debet impleri id quod deficit.

X. *De commodatis, quae quis accipit a socio suo, et franguntur, aut pereunt, aut obeunt, aut corrumpuntur.*

IESUBOCHTI.

Si quis commodatam accipit a socio suo supellectilem aut quidpiam aliud, et surripitur, aut perit, aut corrumpitur, quamvis non ex negligentia eius, qui commodatum accepit, surripiatur, et pereat, et corrumpatur, debet is, qui commodatum accepit, solvere pretium ipsius do-

mino eius. Si autem moritur, cum non ex prava detentione, nec incuria, et usu exeedente mensuram moriatur, damnum non patitur is, qui commodatum accepit, nec quidquam solvere debet. Si autem ob aliquam ex dictis causis moriatur, damnum subibit, et solvere debebit. Quod si frangatur, aut claudum fiat, simili modo debet damnum pati, et persolvere.

EIUSDEM.

Si aliquis a socio petens iumentum, dicat expresse pro tali opere peto ipsum, aut pro via tali, siquidem tale opus non fecerit per ipsum, neque via dicta cum ipso iverit, si damnum iumento advenit, licet non ex negligentia petentis contigerit, debet ipse solvere pretium illius iumenti domino eius. Si autem per viam, quam dixit, ducit illud, et opus, quod dixit, agit per ipsum, et ex negligentia petentis pervenit iumento damnum, debet solvere pretium iumenti domino eius, et fractum atque claudum ipsius (*petentis*) erit.

XI. *De depositis, quae collocantur penes aliquem, et pereunt aut corrumpuntur.*

IMPERATORUM.

Si quis ponat penes socium suum rem aliquam, et contingat incendium, et incendatur res, dum constiterit vere, quod ignis cecidit in domum, non solvet vir rem eam, quae penes ipsum deposita fuerat, quia domum ignis comedit. Similiter etiam si praedones depraedentur domum, aut a latronibus surripiatur res.

IESUBOCHTI.

Si autem innotuerit quidpiam surreptum fuisse ob negligentiam, et incuriam eius, penes quem erat depositum, solvet. Item si principes, aut inimici sustulerint. Si tamen non propter delictum viri (*depositarii*), neque quod is debitor esset tributi praestandi potestati, ablatum fuerit ab ipso magistratu, non debet solvere (*reddere, compensare*). Si vero ob aliquam (*causam*) ex dictis (*id contigerit*) solvat.

EIUSDEM.

Si quis rem aliquam tradiderit alicui depositi loco, et ipse homo (*depositarius*) eam alteri homini tradiderit; et ab hoc altero (*depositario secundo*) furto vel rapina res sublata fuerit; aut ipse idem (*depositarius*) rem illam, quam accepit, una cum ceteris suis supellectilibus tradiderit (*secundo depositario*); primo (*depositario*) delictum non est (*imputandum*). At si rem aliquam illius viri (*deponentis*) absque licentia domini eius rei secreverit (*depositarius primus*) ex supellectilibus propriis, et alteri homini tradiderit, et furtum, ac rapinam hic fuerit passus, debet ipse (*primus dopositarius*) illam rem persolvere domino ipsius.

EIUSDEM.

Si quis tradit supellectilem, aut pecuniam cum sigillo loco depositi alicui, et ille, qui accepit illam peram supellectilium, frangat sigillum, et utatur ea pecunia, aut supellectilibus; utilitas, et damnum, quod contingit ex ea supellectile, et usu-

ra illius pecuniae pro media parte cedit domino ipsius (*pecuniae*) : et si dicat dominus eius (*pecuniae*), damnum contigit mihi in hoc negotio, et innotuerit id verum esse, detur ei (*domino*) illa iactura (*sive compensetur ei damnum*).

XII. *De emptionibus, et venditionibus.*

IMPERATORUM.

Si emerit aliquis rem, et pro arrha dederit numerum pecuniae, venditor autem recesserit (*a venditione*), lex iudiciorum praecipit duplicari arrham, quam is tulit iuxta numerum pecuniae. Si vero ille emptor, qui dedit arrham, a sua emptione recesserit, amittit arrham ille primus, qui dedit (*alias* illam primam, quam dedit).

IESUBOCHTI.

Iumentum autem, et supellectilem, et rem non cibariam, quae venalis est in foro, si antequam solvatur forum, emptor restituat domino eius, poterit suam pecuniam accipere (*repetere*). Ubi autem desierit forum, non poterit rem quidem cibariam, ex quo empta est, restituere. Res vero, quae non in foris, sed in domibus, et quidem cum notitia emitur, et nullo pacto intercedente, siquidem iumentum sit, cum apparet in ea re (*alias* eo iumento) aliquod vitium quod non apparebat, aut quod non manifestavit dominus eius, usque ad quadraginta dies, quando mercedem et damnum iumenti dat, poterit ipse (*emptor*) iumentum domino suo restituere, et ab eo pecuniam tollere. At si in iis diebus claudum fiat, aut accidat ei (*iumento*) aliquod vitium, non poterit (*emptor* ipsum denuo restituere domino eius. Et si dicat emptor, aut venditor, deceptus fui; quotiescumque deceptio non fuerit cum immutatione substantiae; qualis (*deceptio*) esset, cum vitrum sub nomine smaragdi, et hyacinthi, aut ferrum nomine auri (*venditatur*) reddere non potest. De deceptione autem, quae in emptione, et venditione intervenit, non in iudicio (*alias* cum iudiciaria potestate), sed cum consilio et exhortatione praecipiunt rectores ecclesiae, ut eius rei, in qua contigerit ipsa deceptio, damnum exigatur ab adversario. Is vero, qui rem non suam vendit, aut alicui dat, cum is, qui emit, aut accipit, scit illam non esse propriam venditoris, iudicatur a nobis fur, quando ipse (*emtor*, *et acceptor*) clam detineat: raptor autem a nobis habetur, siquidem palam et publice (*eamdem teneat*). Domum, aut agrum, quem aliquis in communione (*societate*) habeat, antequam dividatur (*societas*) alteri homini vendere, illegitimum est, quando nempe socii exigunt partem eius soluto pretio (*ab ipsis sociis*): ubi vero divisus fuerit (*ager vel domus*), si vicini eius, aut illi, quorum domus aut ager proximiores sunt domui (*vel agro venali*) eodem, quo alii (*non vicini*) pretio exigunt, ac petunt (*eum*, *vel eam sibi comparare*, *vel emere*) alteri quam vicino dicto vendere nequit. Et hoc non iure (*summo*) sed supplicatione (*aequitate quadam*) praecipitur.

IOSUE BARNUN.

Si quis emerit solum palmarum, palmas vero non emerit, quando are-

scunt palmae, dominus palmarum has iterum plantare non poterit. Et si solum non emerit, vineam, quando arescat vinea illa, eam rursus plantare non poterit.

XIII. *De societate mercaturae.*

IESUBOCHTI.

Duo homines societatem inierunt: unus ex eis captivus ductus fuit ab hostibus, aut in aliam regionem profectus est, in qua fit inquilinus. Eodem autem tempore, societatis nempe eorum, quo hic captivus abductus fuit, aut habitavit in ea regione, reliqui socii vendunt possessionem (*rem*) suam, in qua partem habebat (*ac ius*) socius (*ille captivus, aut alibi inquilinus*), aut eam dividunt, aut dant, quin tamen partem socii sui (*praedicti*) separent: postea vero ille socius e sua captivitate, aut ex regione, in qua commorabatur, redux postulat partem suam; illi socii partem huius socii, et utilitatem, ac redditum eidem ex ea possessione contingentem tamquam uni ex ipsis, eidem dare debebunt. Verum si, postquam socius captivus abductus fuit, aut abiit in regionem longinquam, socii eiusdem per mediationem hominum fidelium diviserunt possessionem suam, et socii partem separarunt; si inquam, ita se res habuerit, ipsi soli percipiant fruetum, atque redditum possessionis suae; uti et res, quam possederunt, solis ipsis adiudicatur.

IESUBOCHTI.

Si quis moriatur habens socios in sua mercatura, ac nemini mandaverit de opere suo (*hoc suo negotio*), sive quia de repente obiit, sive quia fiduciam in sociis habebat, quod nempe ipsum haudquaquam defraudaturi essent, sive ii fratres, sive extranei fuerint; uxor autem eius (*mortui*), et filii suspicionem habebant, quod (*socii superstites*) fraudati sint ipsos; isti (*socii*) aut se ipsos purgent ope iuramenti, aut iis anathema coniunctum cum maledictionibus decernatur. Idem iudicium ferendum est etiamsi unus fuerit socius.

XIV. *De domibus contignatione multiplici constantibus, et de viis, foris, aquaeductibus, ac aedificiis domorum.*

IESUBOCHTI.

Si quis habeat domum inferiorem, alius vero domum superiorem; dicat autem dominus domus inferioris domino domus superioris, ut debilitatem domus suae curet, dominus vero domus superioris negligens id omittat; poterit dominus inferioris domus artificem adducere, omnesque necessarias expensas pro domo suppeditare. Et si expenderit, atque eam aedificaverit quoad expleta fuerit prothesmia (*tempus praefinitum*) quatuor mensium, ex quo curata fuit debilitas domus; si domus superioris dominus non dederit domino domus inferioris sumtus, quos pro domo inferiori expendit, in duplum erunt omnia inter superioris, et inferioris domus dominos. Et si unam supra se contignationem habuerit, dimidium expensarum faciat in inferiorem: si duas contignationes, duas partes, et si tres contignationes, tres (*expensarum partes*): nam pedes (*bases*) inferiores sustinent omnes contignationes.

DE VIIS.

Spatia equidem (*longitudines, ex-*

tensiones) viarum sunt tria milliaria: milliaria autem viginti stadia: stadium porro tres pedes: pes centum passus: passus dimidium cannac: canna quatuor cubitus.

Porticus autem, et fora (*vici*) civitatis ad communem totius populi deambulationem sint.

Domibus aperiri possunt fenestrae, iannae, et aquaeductus contra se invicem.

Pro aedificio domorum autem circa parietes quatuor cubiti relinquantur, ubi parietes in atrio (*area*), aut in foris (*vicis*) sunt. Inter atria vero et locum parietum duo cubiti relinquantur: ripis autem (*littoribus*) fluminum, secundum Leonem imperatorem, quinque passus.

XV. *De participatione in rebus inventis cum sociis.*

IESUBOCHTI.

Si homines quotquot fuerint, invenerint possessionem (*rem*, *bona*, *opes*), et pactum fecerint tale: quidquid possidebimus, aut inveniemus, inter nos recte sit (*aeque dividatur*); quidquid invenerint, aut possederint, aequaliter sit inter eos (*aequalem portionem quisque accipiat*). Si vero unus ex eis sociis obierit non habens uxorem, et filios, nec fecerit testamentum, siquidem fratres habuerit, et propinquos, horum erit possessio eius, et non sociorum eius; at si neque fratres habuerit, neque propinquos, rectores ecclesiae disponant de illius possessione (*re*) in eleemosynas, et commemorationem ipsius, quemadmodum iustum est.

IMPERATORUM.

Si autem eant in via duo homines, aut plures, et inveniat ille primus (*qui primus incedit*) inventionem (*thesaurum*) auri, aut ferrum, aut aes, aut indumentum, omnium, qui cum eo sunt (*sociorum*, *comitum*) debet esse (*res inventa*), et ipse tamquam unus ex eis (*accipiat*). Si autem medius (*qui medius incedit*) eam invenerit, ipsius erit, et novissimorum, primo vero in ea portio non sit. Si autem novissimus invenerit quidpiam, ei soli sit.

EORUMDEM.

Si vir invenerit inventionem (*thesaurum*) denariorum, aut drachmarum, et libere eam dederit domino suo, aut cum violenta deceptione, aut eum promissione accepta (*res*) fuerit ab eo; praecipit lex iudicum, ut ille, qui invenit, accipiat quartam partem rei inventae, et dominus eius (*rei*) primus tres partes.

XVI. *De procuratoribus.*

EX SYNODO IESUIABI.

Debet itaque accuratissime cum cognitione, et iussione episcopi custodiri possessio (*res*, *bona*) eorum, qui a parentibus suis pupilli relicti fuere. Proinde committatur homini, cui testimonium pulchrum reddatur, quod verax sit, neque direptor, sed fidelis, ut custodiat proventus puerulorum pupillorum quoad pervenerint ad mensuram (*aetatem congruam*), eisque omnia sine damno,

et consumptione tradat. Cavendum autem potissimum est, ne (*bona*) relinquantur in manibus mariti matris (*vitrici*), nam comedet, et disperdet illa, nisi forte notus fuerit vitricus, ac testimonium habuerit ab episcopo regionis, aut a sacerdotibus, ac fidelibus, qui prope aut circa ipsum sunt.

TIMOTHEI.

Si vir christianus, relictis christianis, alienae confessionis hominibus mandaverit de sua possessione ac filiis suis (*nimirum procuratores et tutores constituit heterodoxos homines*): haudquaquam confirmetur hoc mandatum eius. Si autem non extiterint in vicinia eius christiani homines, Deum timentes, et mandaverit, quia non existerent christiani, mosulmano aut alteri homini timenti Deum, confirmetur eiusdem mandatum.

SIMEONIS.

Legitur in synodo oecumenica, quod homo filius foederis nequeat alicuius drachmas (*pecuniam, nummos*) accipere, et eas ad mercaturam, atque usuram (*utilitatem*) detinere, nisi forte ab episcopo iubeatur de possessione pupillorum. Debent praeterea rectores ecclesiae diligentem sollicitamque curam exhibere possessionis pupillorum, et puerorum, ne illa dissipetur, aut extenuetur. Si autem primus administrator (*curator, tutor*) alium constituerit, qui et ipse moriatur, rectores ecclesiae debent inquirere, an existat aliquis puero propinquus, et huic administratio commendetur. Quod si talis non repertus fuerit, omnino oportebit constituere rectorem pueris et pupillis. Unde ecclesiae rectores solliciti magnopere debent esse, ac seduli, ne curatoribus, et gubernatoribus careant pupilli et pueri.

IESUBOCHTI.

Siquidem dominus domus (*paterfamilias*) in suo obitu diserte mandaverit, ac nominaverit aliquem oeconomum, fiat secundum mandatum patrisfamilias. Quod si is postea videatur noxius, ac experientia appareat perniciosus filiisfamilias, et hereditati eorum, qui sunt in ea familia, aut adversus eum (*oeconomum*) reclament horum propinqui coram ecclesiae rectore; ubi rectores interrogaverint, et scrutati fuerint, eumque revera perniciosum illis compererint, possunt alium oeconomum constituere, cui nempe testimonium reddatur quod fidelis sit, ac Deum timens.

XVII. ***De iuramentis, uter ex litigantibus illa praestare debeat.***

IESUBOCHTI.

Si quis accusaverit socium suum de pecunia videlicet, aut de alia re, nec habuerit chirographum (*instrumentum*), aut veraces testes, et iudicium pervenerit ad iuramentum (*quo comprobetur accusatio*): si quidem voluerit accusatus, ipse iuramentum praestet, at si non exigat (*velit*), accusantem adiuret. Si autem accusatus confiteatur, et dicat: tuli equidem pecuniam, vel aliam rem, sed eam restitui, iuramentum defer-

tur accusatori. Cum porro accusator habet chirographum certum (*quod ipsi faveat*), accusatus vero habeat (*pro se*) detentionem (*possessionem*) rei, iudicium autem ad iuramentum pervenit; si quidem detentio (*possessio*) fuerit ab annis quinquaginta, et a tribus amplius parentibus (*generationibus*) hereditata (*res*) fuerit, iuramentum praestandum defertur detinenti rem. Si autem minor sit (*praescriptio sive possessio minoris, ac paucioris temporis extiterit*) ei, qui habet chirographum certum defertur (*iuramentum*) (1), Et ubi accusatus detinens (*possidens*) rem sit, accusator autem habeat chirographum certum, et testes dubios, iuramentum accusato defertur: cum vero accusator dicit: oppignoravi apud hunc hominem pecuniam: accusatus autem respondet: emptione emi (*eam*) atque detentionem (*possessionem*) habeat, chirographum vero, et demonstrationem (*probationem*) non habeat, iuramentum detinenti rem defertur. Cum accusator dicit: rem meam talem oppignoravi penes hunc hominem pro quinquaginta stateribus: accusator autem reponat « pro viginti stateribus » et desunt probationes, ac instrumentum,iuramentum accusatori defertur. Si quis depositum alicui tradit, et diripiatur, aut superveniat ei aliquod damnum non manifestum, aut a magistratu tollatur, aut ignis incendio comburatur, quae omnia non proveniant ex voluntate, et negligentia depositarii, huic depositario defertur iuramentum. Quod si damnum manifestum provenerit ex negligentia depositarii, aut domesticorum eius, nec adsint testes, iuramentum, quod penes ipsum fuerit (*res deposita*) ei defertur. Si quis tempore mortis suae mutui alicuius debitor fuerit, et ante mutuum dederit propinquis suis de sua possessione (*bonis, rebus*), et moriatur, quin tradat in manus eorum illam domum, aut illum agrum, aut rem illam, quam dedit eis, poterunt sine iuramentis apprehendere (*rem donatam*); iuramentum autem fit, quod nec fraudulenter, aut iniqua machinatione, sed recte ipsis res illa data fuerit, et sua ipsorum sit.

XVIII. *De libertate* (immunitate) *a vectigalibus clericorum, scribarum, et medicorum, et quod non sint* (praedicti) *procuratores pupillorum*).

IMPERATORUM.

Leges praecipiunt de medicis, doctoribus, et scribis, qui in qualibet regione (*sunt*), ut sint liberi (*exempti*) ab omni vectigali, et pecunia capitis (*censu*), aut a cursarghuon (*est species quaedam vectigalium*), nec ullus ex eis flagelletur (*alias* trahatur, ducatur ad solvendum), nam lex ipsos liberavit (*exemit*), quia nempe medici curant corpora; doctores vero, et scribae curant animas. Constantinus autem clericos (*exemit*) a pecunia capitis, et a tributo, et a servitute hominum. Leo vero imperator liberavit (*exemit*) in die dominica ab omni modo iudicii, idque ut quilibet in

(1) Haec periodus non legitur in recentiore codice.

oratione assiduus esset. Et si quispiam clericum in iudicio molestia afficiat die dominica, licet ob aliquod debitum, debet dimidium denarii, eo quod illum molestia affecerit; at si frustra, (*ipsum molestia affecerit*) in duplum puniatur. Quicumque regio operi subiectus (*alligatus servus*) est, uti sunt nobiles, procurator nequit esse nec inspector (*tutor*) puerorum', neque advocatus in iudicio pro ullo homine, sed tantummodo pro se ipso. Aegrotus quod medico dedit, qui laboravit pro se ipso, licet sanatus non fuerit, illud repetere nequit; simililiter, et illud quod scribae quis dederit.

XIX. *De eo, qui iudiciis audiendis praeest, et munerum acceptione corrumpitur.*

OECUMENICORUM.

Si quis archidiaconus, aut periodeuta, aut ex illis, qui iudiciis audiendis praesunt, aut exorcista, deprehensus fuerit munus accipere, et iudicium corrumpere, solvatur (*dimittatur*) officio iudicandi, neque ullatenus eidem committatur in posterum iudicium, etiamsi schema humiliationis et poenitentiae exhibuerit; passio ista siquidem cupiditatis pecuniae vix ab homine superari potest: haud enim frustra Gheezi lepram contraxit; et eos, qui hac passione detinentur, a fide errare dicit Paulus.

EXPLICIT TRACTATUS QUARTUS.

TRACTATUS V.

DE IIS, QUAE OMNIBUS, QUICUMQUE FUERINT, UNIVERSIM CHRISTIANIS CANONICE IMPOSITA SUNT.

I. *Quot et quales sint preces, quas persolvere tenentur singuli christianorum ordines.*

Bonus ac misericors dominus noster Iesus Christus Deus noster, qui novit naturae nostrae infirmitatem, atque adfectiones per prophetas quidem in sua divinitate, per apostolos vero in sua humanitate simul ac divinitate sua, pro nostra humilitate ordinavit nobis septem horas ad preces faciendas: patres autem oecumenici, qui et ipsi quoque eamdem viam tenuerunt, monachis, coenobitis, ac tironibus has septem horas praeceperunt. Illi vero, qui ipsos subsecuti sunt, decrevere, ut uniuscuiusque temporis officium ternis constaret laudationibus. Eamdem porro institutionem ac ordinationem observant et sequuntur etiam casti sacerdotes, et religiosi fideles saeculares, qui orandi studium amant. Verum patres posteriores, cum viderent, non omnem populum saecularium aeque flagrare amore divini officii; et quandoque etiam (*considerantes*) actiones professionum ipsorum impedimento eis esse, ne praescriptum officium suum impleant, infirmitati eorum, habita etiam saecularium curarum ratione, consuluerunt, ac praeceperunt, ut quatuor officia omnino perficere deberent, nec ab iis vacare possint saeculares, et haec ista sunt: vespere, ante dormitionem, nocturnum, et matutinum, et haec in canone verbi Domini nostri definierunt.

II. *An haec quatuor saecularium officia ordinem alium et alium habeant.*

Ordo vespertini, et matutini officii canonicus est, nec eum diminuere, vel augere licet. Apodipnon vero, et nocturnum iuxta ordinem coenobii fiant. In Apodipno quidem una laudatio fiat, et canticum, et gloria parvum, et ode, et praedicatio: in nocturno vero, iuxta nonnullos, quinque laudationes, iuxta alios septem: et canticum, et gloria parvum, et ode, et praedicatio. Sed quoniam propter ea, quibus saeculares in saeculo impliciti sunt, negotia, preces quatuor (*horae quatuor*) iis praescriptae sunt, in nocturno quoque officio permittitur eis, ut indefinite persolvant. At vero vespertinum, et matutinum officium iuxta ordinarium canonem fiat sine additione vel diminutione.

III. *Quaenam quatuor harum horarum primum locum habeat.*

Officium primum matutinum est: huiusce ratio est, quia saeculares in hac hora tale officium recitant ob laborem, quem in mundo sustinent, ut corroborati liberentur a spiritibus adversis, qui in meridiano vapore et

De directoribus, rectoribus, et praefectis coenobiorum, ut cum omni timore Dei gubernent, et nihil omnino faciant ex affectione, aut acceptione personarum, vel sine consilio communitatis; neque conniventes sint cum delinquentibus, et praevaricatoribus legis, diligentiam vero adcuratam adhibeant ipsi, et ab aliis adhiberi curent, ut regulae custodiantur. Iudicia (*lites*) autem quae oriuntur inter fratres, iudicent recte ac iuste, et ea omnia, quae mensuram virium suarum excedunt, cognoscenda deferant ad cellam magnam, et ad abbates, ac visitatores. Si vero is, cui procuratio, aut custodia depositorum, et operis communitatis commissa est, inventus fuerit mendax, ac dolosus, aut raptor, aut fraudator, aut absconderit quidpiam sive magnum, sive exiguum, et in examine communi, ac sub testibus veracibus convictus fuerit, in posterum munera huiusmodi ei non committantur. Similiter etiam frater perturbator, et contentiosus, aut qui secreta coenobii propalat exteris, uti et is, qui sanctum hoc schema pol-

luit: omnes isti correptionem magnam subeant, et e coenobio pellantur. Et is, qui haec transgressus fuerit, subierit canoni verbi Domini nostri.

CANON 9.

De episcopis, ut obediant patriarchae, et metropolitanis suis cum omni humilitate, et timore Dei, et benedictiones debitas, ac oblationes, secundum consuetudinem quolibet anno sine obice offerant. Quando autem a patre communitatis vocantur ad concilium, aut ob aliam quamlibet necessariam causam, aut a metropolitanis suis, cito ire festinent sine ulla contradictione. Metropolitani vero, et episcopi ecclesias, ac coenobia per oeconomos, aut procuratores irreprehensibiliter gubernent, non quidem ad damnum inferendum, sed ad augmentum, et abundantiam iis procurandam, et non ad destruendum, sed ad aedificandum, et nihil devium, et praeter consuetudines canonum agant; pugnent autem, ac decertent pro aedificatione communitatis, et stabilimento veritatis in charitate sincera, et timore Dei, tamquam homines, qui rationem de grege sunt reddituri.

Sed et iudicia iusta absque acceptione personarum iudicent cum aequitate, et iustitia, et munus non accipiant, quia munus excaecat oculos sapientium in iudicio, et avertit verba innocentium, eaque a tramite veritatis abducit: et timeant verbum Domini, qui dixit: in iudicio enim, quo iudicabitis, iudicabimini; et mensura, qua metiemini, remetietur vobis. Et de coniugio filiae patrui canonem (*mulctam*) ne exigant, quia abrogavimus illum canonem, qui constitutus fuerat in detrimentum: et secundum morem antiquum, et definitionem, quae a saeculo est, faciant, et gregem Christi ne scandalizent. Is vero, qui haec transgressus fuerit, sit sub canone verbi Domini nostri.

CANON 10.

De sacerdotibus, et filiis ecclesiae (*ecclesiasticis*), ut caste, et conscientia bona perficiant ministerium altaris, et templi, idque circumspectione magna, neque perturbentur in orationibus suis, sed quiete, uti decet servos Christi ministerium obeant. Habeat itaque unusquisque eorum in promptu vestes, quae ministerio conveniunt, et calceos, ac orarium iuxta facultatem. Saeculares autem nequeant praecipere in ministerio, nec se ipsos immittere in negotia ecclesiastica, aut in regimen, opera, et redditus facultatum ecclesiae, ac coenobii: sed inspectioni ac gubernationi episcopi negotium commendetur, quemadmodum canones praescribunt; (*qui negotium perficiat*) per procuratores, et oeconomos fideles sapientes ac timentes Deum, qui se ipsos cum omni cautela digna viae Christi custodiant, et eius mandata, et leges observare admoneantur: quolibet autem mense ac anno rationem cum eis ineant cum omni aequitate Deo grata, idque ne quidpiam devium fiat. Is autem, qui haec transgressus fuerit, esto sub canone verbi Domini nostri.

CANON 11.

Quod nemini ex clericis (*ecclesia-*

sticis), aut fidelibus fas sit accusare quempiam ex ordinibus apud iudices, qui foris sunt, nec potestas sit propalandi secreta ecclesiae extraneis, sed sicuti praescriptum est in antiquis canonibus, si quis metropolitanus, aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut laicus accusaverit patriarcham tenentem thronum apostolicum orientis coram extraneis, sive isti fuerint dynastae, sive magistratus, aut aliàs (*amplius*), et scandalum fecerit toti ecclesiae catholicae orientis, hic anathema esto, et privatus, ac depositus a gradibus sacerdotii. Similiter etiam si quis episcopus arguat, et accuset metropolitanum apud dynastas, et imperantes, qui foris sunt: item, si quis ex sacerdotibus, et diaconis, et saecularibus, aut aliquis ex monachis accuset principes ecclesiae, aut fratres suos, et praesidium quaerat in brachio carnis, ac apud alienae confessionis homines secreta ecclesiae divulget, unde et scandalum, ac detrimenta communitati proveniant, idem iudicium subeat, alienusque fiat a communione ecclesiae, et a vivificis sacramentis.

At si quis iudicium habeat, aut accusationem, aut delationem cum aliquo ex his ordinum hominibus, in congregatione communi, uti canones apostolorum ac patrum statuunt, res examinetur cum omni iustitia, quae scilicet superior sit acceptioni personarum, veritatem confirmet, et iniquitatem damnet. Et ille, qui haec transgressus fuerit, esto sub anathemate patrum.

CANON 12.

De veneratione diei sanctae dominicae, quod fideles, et omnes ordines ecclesiastici cum corporis animaeque puritate convenire (1) debent in illa die ad videndam faciem Dei per orationes vespertinas, nocturnas, matutinasque ac mysteriorum, cessantes ab omnibus negotiis saecularibus, et conversantes in exercitiis spiritualibus; sancta quippe, et dominica est dies, mysteria resurrectionis et saeculi novi ac spiritualis repraesentans. Similiter et diebus festis, qui sancti sunt, dispensationis (*Domini*), et commemorationum Apostolorum beatorum, ac martyrum, atque sanctorum. Libri autem divini legantur in iis diebus, et post evangelii lectionem verbi Dei enarratio (*concio*) habeatur iuxta antiquos canones. Nemini vero liceat solvere ieiunium salutare (*idest Salvatoris*, *quod et quadragesimale*), neque reliqua ieiunia; neque comedere fas esto cibos vetitos in feria quarta, et in feria sexta. Porro vinum gustare non licet in ieiunio Domini nostri, quia in eo (*vino*) est crapula illa, quae sanctitatis ipsius ieiunii scopo adversatur. Interrogatus (*olim*) fuit catholicus piae recordationis sanctus Mar Sabariesus, an liceret homini bibere calicem vini post caenam ieiunii, ceu ad medelam; responditque, quod magis expediens sit christiano homini in ieiunio Domini nostri carnem edere, quam bibere vinum. Et si aliquis ex alienis

(1) In antiquo codice desunt sequentia, avulsum enim fuit folium.

confessionibus existat, qui vinum in ieiunio bibat, irregulariter operatur, et immundus ac reprobus habendus est. Is, qui haec transgressus fuerit, esto sub canone verbi Domini nostri.

CANON 13.

De libris visitationis (*ecclesiasticae*) tempore praeterito scriptis (*concessis*) quibusdam hominibus, qui cum indigni essent, ecclesiastici regiminis curam concreditam habuere, potestatemque habuerunt, et exercuerunt, sententias iudiciales ferendi, absolvendi a censuris, atque de sponsalibus et matrimonio ausi sunt statuere; unde factum est, ut omnia corrumperent, ecclesiamque ac fideles depravarent, sepes perrumperent, canones conculcarent, corruptelas et abusus plurimos inducerent, saeculi nempe morem, et avaritiam, et pravas perversae ab origine animae cogitationes, atque incompositas hominum affectiones secuti: de his, inquam, visitationum, aut procurationum libris, qui sine delectu, et examine conscripti sunt sub patre nostro Iaballaha catholico (1), cuius animae requiem precamur, aliisve ante illum temporibus, huiusmodi scriptionem hominibus perversis et imprudentibus sive scienter, sive ignoranter procurantibus, decrevimus et definivimus ab omnipotenti verbo Domini nostri, ut quidquid praeter legem factum fuit, minime constet, et ab hac die ac deinceps constituatur canon, et mandatum visitatoribus, qui e cella patriarchae visitaturi loca atque ad negotia componenda tum communia tum sacra ecclesiarum ac monasteriorum mittuntur, ut exacta inquisitione, et recto examine, sapientique pervestigatione perquirant, omniaque explorent, et sic indignum quidem deponant, et a propriae potestatis gradu removeant, patentesque eidem litteras auferant, quas ad cellam patriarchae deferant: dignum vero gradu, in quo fuit constitutus, quique omnia secundum aequitatis leges agit, et secundum Apostolorum, et patrum regulas gubernat, estque rectus, et prudens, atque in timore Dei conversatur, aliosque regit: hunc in suo proposito confirment, nec ullatenus mutent. Quicumque autem ista transgressus fuerit, canoni verbi Domini nostri subiaceat.

Verba, quibus hisce canonibus finis imponitur, ipsiusmet catholici (2) *manu descripta reperi* (ita antiqui codicis scriptor), *quae hic subiicio.*

Benedicti sint a Deo, omnesque benedictiones assequantur auctores, et auditores, atque observatores horum canonum, qui ad utilitatem, aedificationemque sanctae ecclesiae, atque ad incrementum pietatis, et religionis constituti sunt. Deus, quaeso, sit ipse adiutor, virtutemque, et perfectionem per suae misericordiae gratiam conferat. Amen. Quicumque vero hos custodierit, a Domino custodiatur, et benedictionem induat, atque benedictione protegatur, et benedictio illum undique circumdet, sicut scriptum est: sic benedicetur homo, qui timet Dominum, et

(1) De Iaballaha catholico vide Assemanum iuniorem in commentar. pag. 185. (2) Timothei secundi, qui initio saeculi XIV. florebat, ut vides apud Assemanum iuniorem in comment. pag. 201. 202.

qui custodit mandatum, custodietur. Amen. (1).

Expliciunt canones una cum confirmatione, et obsignatione. Et Deo gloria, et gratiarum actio in saecula. Amen.

PRAEFATIO SOBENSIS.

Item ope Dei scribimus tomum secundum collectionis canonum synodicorum.

In tractatibus tomi primi praecedentibus canones eos exhibuimus, qui omnibus indiscriminatim conveniunt, ac necessarii sunt; in hoc vero secundo tomo eos, qui ad ecclesiasticos homines spectant, in quibusdam tractatibus exhibebimus, quorum haec est praefatio (2).

TRACTATUS VI.

QUAE COMMUNITER ECCLESIASTICIS OMNIBUS PROPRIE VERO DIACONATUI AC PRESBYTERATUI CONVENIUNT.

I. *De ordinibus ecclesiasticis, et divisione talentorum.*

Nonnulli veteres statuunt, sacerdotium quidem debere poni tamquam genus quoddam; gradus autem, qui in eo (*sunt*) tamquam species; ordines vero tamquam differentias; officium (*ministerium*) demum tamquam proprietatem.

IESUIABI.

Iesuiabus autem in sua canonica institutione ita dicit. Quamvis alia dicta sint de divisione talentorum, quae intra ecclesiam per impositionem manus conferuntur, ad dispensationem videlicet mysteriorum et ordinum ecclesiae; verumtamen iuxta traditionem patrum, quam disquisitione recta tradiderunt discentibus, tamquam doctores veritatis, vera et recepta ac nota est illa (3), quae de numero, et dispositione talentorum ita statuit, ut minister quidem unum talentum habeat in suo ministerio: presbytero vero addantur duo alia talenta, adeo ut habeat tria talenta in ministerio sui sacerdotii: unum scili-

(1) Hic explicit codex recentior, cuius scriptor fragmenta quaedam ex Sobensis tomo II. in fine exscribit, quae suo loco indicabimus.

(2) Haec in compendio est praefatio Sobensis, quae in codice antiquo habebatur, sed cum vix legi possint ea, quae scripta sunt pag. 91. a t., et desit unum folium, uti monet ad marginem Assemanus senior, indicem supplebimus ex ipso Assemano, qui codicem integrum sacrae congregationis de Propaganda Fide, collectionem hanc Ebedjesu Sobensis repraesentantem, prae manibus habuit, et collegii urbani bibliothecae restituit, uti constat. At proh dolor! ab aliquot annis codex ille in bibliotheca desideratur. Quis illum abstulerit, nescio.

(3) Hoc integrum caput chaldaice ac latine edidit Assemanus iunior in tomo XIII. codicis liturgici ecclesiae universae p. 163.

cet ministerii (*diaconatus*), et duo presbyteratus, quibus opus divinum operatur, dum accedit ad ministrandum baptisma illis, qui ad institutionem (*religionem christianam*) veniunt, per quod ex efficientia Spiritus sancti (1) generantur filii Deo: et veluti in mysterio suaviter fruuntur conversatione immortalitatis, et beatitudinis, quae expectatur; et dum accedit ad altare sanctum tempore quo infertur oblatio, et mactat mystice sacrificium vivum Agni Dei, qui tollit peccatum mundi, et ibi tamquam pictor peritus figurat parabolice mysterium mortis, sepulturae, et resurrectionis, ac ascensionis in caelum Domini nostri, et adventus eius secundi de caelo, ut attollat secum filios mysterii adorandi fidei populi sui. Episcopo autem super tria adduntur duo alia propter impositionem manus graduum ecclesiasticorum, qui de sub eius manu germinant, dum deducitur donum sacerdotii per operam ac ministerium eius instar ignis, qui ex una scintilla producit plures scintillas, quin prior scintilla deficiat. Enim vero haud quaquam ulli facultas est recipiendi episcopatum, nisi prius receperit diaconatum, et sacerdotium, et propter hoc absque contentione quinque talenta sunt episcopo: unum est illud, quo ministrat in similitudinem angeli circa altare; duo reliqua, quibus in typo Domini nostri coram altari sacerdotaliter propitiationem multorum perficit; et duo haec alia, quibus dextera eius producit chirotonias varias et diversimodas. Quinque talentis itaque perficitur donum gubernationis ecclesiasticae. Quemadmodum scriptura (uraita *caldaice denotat* pentateuchum) quinque libris, et corpus hominis quinque sensibus, et manus quinque digitis, et corpus quinque divisionibus, atque gubernatio divina quinque commutationibus (*periodis*, *epochis*); et prima quidem ab Adamo usque ad diluvium; altera usque ad tempus Abrahae; tertia ad Moysen primogenitum prophetarum; quarta usque ad initium gubernationis novae, quae per Dominum nostrum Iesum Christum; et ista est quinta, quae ab ortu Domini nostri primo usque ad revelationem eius secundam de caelo, quando sacerdotes ipsius ac ministri sine fine ministrabunt ei in ecclesia totali et non manufacta.

Antiqui autem dicunt ista typum esse eorum, quae in caelesti ecclesia fiunt. Quemadmodum enim ecclesia illa in tres ordines (*hierarchias*) dividitur, et unusquisque ordo in tres gradus distribuitur; ita et apud nos primus ex tribus ordinibus est diaconatus, qui in tres gradus dividitur, nimirum in lectores, hypodiaconos, et diaconos. Lectoris vero proprium est legere scripturas coram populo, hypodiaconi autem ornare templum, custodire fores, accendere lampades: diaconi demum proclamare, hoc est dicere: surgite ad orationem, stemus recte, attollite vocem vestram, et cetera huiusmodi.

Secundus ordo est presbyteratus, qui dividitur in presbyteros, periodeutas, et archidiaconos. Presbyteri autem proprium est consecrare bapti-

(1) In antiquo codice desunt folia, in quibus sequentia continebatur.

smum, et offerre oblationem. Periodeutae vero proprium est visitare pagos: in locum enim chorepiscopi institutus est, postquam hic ex orientis ecclesiis sublatus fuit. Archidiaconi demum, qui princeps ministerii interpretatur, proprium est ordinare ministerium.

Tertius, aliisque duobus superior ordo est episcopatus, cuius gradus sunt: episcopus simplex, cuius proprium est ordinare lectores, hypodiaconos, diaconos, et presbyteros, benedicere periodeutis, et orare super archidiaconum. Secundus, qui et superior est episcopo simplice, est episcopus metropolitanus, eiusque proprium munus est ordinare episcopos simplices suae provinciae. Tertius gradus huius ordinis, qui superior est omnibus sacerdotii gradibus et pater communis, catholicus patriarcha est, cuius proprium est ordinare metropolitanos, et perficere episcopos.

Et addunt: quod Dominus noster Christus per personam humanitatis suae (*nestorianismus se prodit*, *unde melius diceres* per se ipsum) in re, et operatione, et per apostolos suos praeceptive haec ministeria exercuerit. Lector siquidem visus est, cum die sabbati ingressus synagogam fuit, eique datus liber Isaiae prophetae ad legendum. Hypodiaconus autem fuit, quum flagello funiculorum eiecit de templo animalia, et mercatores, vendentesque columbas, et nummularios. Diaconatum praeterea exercuit in illa proclamatione: paenitentiam agite, appropinquavit regnum caelorum. Quae vero sunt presbyteratus peregit, cum baptizavit in fonte Ionae, qui est ad latus Salem; et cum panem et calicem benedixit in caenaculo laeto (*alias* paschali), et tradidit discipulis suis. Periodeutae autem, cum ante ascensionem suam misit duodecim et septuaginta ad oves quae perierant de filiis Israël. Archidiaconatum autem exercuit cum ordinavit ministerium praedicationis eorum, et illos binos misit, et ne irent in viam gentilium eos monuit, eosdemque prohibuit ab ingressu in civitatem Samaritanorum, docuitque a se excutere impedimenta cursus praedicationis, aurum, argentum, aes in peris, et divitias vestimentorum, atque amictuum et calceorum. Ministerium episcoporum simplicium exhibuit, dum inspiravit in discipulos suos, per quam inspirationem divisim (*partialiter*) acceperunt retinendi ac dimittendi peccata potestatem. Ministerium autem metropolitanorum efficienter figuravit, dum extulit manus suas super eos, et signo crucis sanctificavit eos, et ad institutionem populi (*iudaici*) et gentium misit eos. Patriarchatum demum, qui est principatus principatuum in ecclesia, designavit per traditionem clavium regni caelorum, quas Simoni dedit, cum principem apostolorum ipse Redemptor eum constituit, et praesidentiam super communitatem ipsorum dedit ei verbis illis: tu quoque aliquando convertere, et confirma fratres tuos. Potestatem autem super totam communitatem eorum, qui instituuntur (*christianorum*) concessit ei in pastione agnorum, ovium, et ovicularum. Quae vero pertinent ad perfectionem episcoporum, quae fit a patriarcha, quidam hanc designari censuerunt in eo, quod apostoli non exierunt ad praedicandum

populo (*iudaico*) et gentibus, neque prius dederunt baptisma in nomine adorando Trinitatis gloriosae, nec chirotonias contulerunt, quam illapsu Paracliti super ipsos in caenaculo perfecti fuissent (1).

II. *De honore ecclesiasticis ordinibus a laicis debito, deque amore erga laicos ab ecclesiasticis exhibendo* (2).

. . . et tristitiae, atque contritioni animae traduntur. Maxime autem illi, qui differunt paenitentiam ad placandum Deum, et tenent divitias loco paupertatis, et nomine tenus accedunt ad prima, et inserviunt ultimis, et quorum anima adhaeret adfectionibus corporis: nos vero liberet Dominus noster a fructibus inconsiderantiae.

EX SYNODO IESUIABI.

Post ea, quae utiliter ac salubri-

(1) Ad calcem huius codicis XIV. syr. vat. extat apposita sequens adnotatio, quam hic latine conversam damus

" Domini Deique nostri ope finitus fuit hic codex feria quinta die 17. mensis benedicti canun prioris anno 1868 Graecorum. Deo autem sit gloria; et miseratio ac gratia eius super nos descendant nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Descriptus fuit praedictus codex sub umbra et protectione beati et illustris sancti Francisci, quem sermone nostro mar Franse appellamus, ubi est sanctitatis domicilium, perfugium peregrinorum et pauperum, portus beneficiorum, et afflictorum refugium, in urbe benedicta Bassin, quae urbe magna ac celebri Goa sexaginta leucis distat hoc est 280. milliaribus, cuius habitatores, oro, custodiantur ab omnibus noxis occultis et manifestis per dominum Spiritum. Amen. Nomini porro ipsius sancti celeberrimi beati S. Francisci, quem mar Fransa interpretamur, in hoc loco benedicto, sanctique Patri fide praedito Indiarum, addictae sunt septem aedes magnificae et gloriosae: atque in istis septem aedibus commorantur centum fere coenobitae moribus suis comparandi patri Antonio, et patri Macario, et patri Paulo: quorum orationes, precor, sint murus et antemurale universo mundo. Amen. Est autem in hac urbe benedicta Bassin alia ecclesia admodum gloriosa et excelsa, quae sanctae Mariae appellatur, et aliud coenobium cuius magnificentiam nulla potest lingua eloqui, quod S. Pauli dicitur. Praeterea in eadem urbe aliud visitur coenobium, quod sancti Sebastiani nuncupatur, cui simile aedificium oculus non vidit; atque alia ecclesia, quae misericordiae et gratiae appellatur. Habetque insuper haec benedicta regio Indiarum altaria, sacras aedes, ecclesias, et coenobia, quorum numerum nemo novit. Praedictae vero aedes, et ecclesiae plenae sunt coenobitis morum gravitate, atque sanctitate insignibus, quorum conversatio, atque acta, voces et linguas virtute et numero superant. Illorum orationes, precor, prosint mihi, atque infirmis mei similibus etiam. Amen. In istis porro altaribus, aedibus, ecclesiis, et coenobiis perpetuo, et quotidie oblatio corporis et sanguinis Domini nostri diligenter peragitur. Eorum, oro, preces sint nobiscum. Amen. Metropolis autem indicae regionis omnis est Goa, atque in ea residet Syncletus hoc est supremus Praefectus regis magni et victoris, regis Portugalliae, qui appellatur don Guan, et lingua nostra dicitur rex, hoc est sultanus, Iochanan. Dominus tribuat illi regnum in terris, et in caelo etiam. Amen. Utique auferat ab ista urbe sancta et benedicta atque sancti Petri fide praedita Goa correptiones malas, et virgas furoris. Amen.

Conspurcavit, hoc est corrupit, chartas istas infimus peccator, vilis, et infelix abiectus, et contemptus, piger, et ignarus, iners, et confusus, imbecillus, fex, et peripsema, furni verriculum, abominationum operarius, et vitiorum luto inquinatus, a virtutibus alienus, mandata solvens, et turpia perpetrans, stercus, et purgamentum filiorum Adam omnium; cuius nec nomen omnino nominandum foret coram hominibus, nisi forte ut mereatur orationem omnium illorum, qui versus istos viles lecturi sunt, pauper, et miser Iosephus, episcopi et metropolitae nomen gerens, ab operibus vero remotus, et vacuus, quantum distat oriens ab occidente, et boreas ab austro, ac caelum a terra, et initium rerum conditarum a fine ipsarum.,, (2) Deest initium huius capitis, quod fortasse suppleri posset ex aliis canonum collectionibus, puta ex codice arabico mss. 36. tom. 2. bibliothecae orientalis I. S. A. pag. 507. recensito: nam codex noster, ut saepius monui, est mutilus, foliis confusis ac permixtis constans, et quidem characteres persaepe ita corrosi sunt, ut vix vel nullatenus legi queant: incipit autem pagina 132. codicis nostri ut sequitur

ter praescripta sunt, convenientissimum visum est nobis quaedam adscribere, ac superaddere de bonis operibus, quae iustificant, et a reatu eximunt, et placant, neque ad iracundiam incitant. Ante alia vero reliqua dicendum est nobis de honore patrum, et magistrorum, et de praeclara institutione filiorum, ac discipulorum. De iis enim natura discretione sua, scriptura ceu ad confirmationem firmiter demonstravit; verbum quidem praeceptive, libri (*sacri*) vero per incitantes promissiones minasque terrore plenas docent, atque erudiunt, eos quidem, qui generant, ut ament et erudiant natos suos; illos vero, qui generantur, ut ament, et honorent genitores suos; filii certe, ac discipuli ex debito (*id agant*); parentes autem, et magistri ex benignitate, ut illi, scilicet filii, honore ac amore affluentes obediant tamquam mediatoribus ac ministris suarum utilitatum; hi autem honore commoti inclinentur ad illos, qui ex ipsis sunt: atque ita poterunt (*utrique*) duplicare honorem et gaudium, ut nempe erudiantur, et non deserantur; nam ipsa natura videlicet tamquam doctor sapiens, et ipsius etiam naturae Dominus tamquam dominator et princeps, dedit hoc patribus et magistris, illud autem filiis ac discipulis. Et illud carnale (*officium*) quidem natura ipsa exigit, et inest etiam ipsis animalibus: hoc vero spirituale voluntas ipsa exigit: et exemplum habet, ut ita dicam, in eo, quod Deo placuit patrem se nostrum nominare, nosque sibimet filios adoptivos gratia et charitate sua assumere. Et de ambobus, hoc est de illo et de hoc, praecipit legislator, ut ex ipsis textuum lectionibus constat: honora patrem tuum, et matrem tuam, qui fuerunt tibi causa, ac mediatores carnalis tui introitus in mundum mortalem. Et de illo spirituali dicit: in Iesu enim Christo ego genui vos per evangelium, utpote qui fuit nobis causa, et institutor, ut essemus gratiae filii. Missis itaque myriadibus aliarum sententiarum, quae diserte hanc rem inculcant, de his nos praecipimus, et admonemus in verbo Domini nostri, ut sollicitam curam gerant utrique hi coetus servandi ambas hasce monitiones, quae Deo placent, ac potissimum ne parentes et magistri conculcentur, et irritentur: neve discipuli ac filii corrumpantur et peccent. Eum vero, qui suscipit et facit, benedictio Domini custodiat ipsum; ille autem, qui non obtemperaverit, maledictioni vindictaeque divinae obnoxius existet (1).

III. *Quem quisque discentium ordo librum legere et meditari debeat.*

CANON APOSTOLORUM.

Libri isti legantur. Veteris quidem (*testamenti*) quinque libri Moysis, Iosue Bar-Nun, Iudicum, Samuel, liber regnorum, parabolae Salomonis, liber Cohelet, canticum canticorum, Ruth, Iob, Esaias, et duodecim prophetae, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Et isti quidem scripti sint pro ordine annorum. Pueris autem sapien-

(1) Ita ad sensum potius, quam ad verba, quae legi integre non possunt, reddidimus Iesuiabi constitutionem synodalem.

tia Bar-Asirae, et psalmi Davidis. Ex libris vero novi (*testamenti*) quatuor evangelistae, Matthaeus, Marcus, Lucas, et Iohannes, actus Apostolorum, epistolae tres catholicae, et quatuordecim epistolae beati Pauli.

SCHOLAE NISIBIS.

Anno primo ponatur sessio (*cathedra*) ubi scholaribus panis (*victus*) adest, feria secunda post dominicam, cuius antiphona - post sepulturam tuam (1), - et ubi non est panis in schola, sed labore opus habent scholares, ut manducent, feria secunda post dominicam cuius initium antiphonae - non ex vivis. - Scribant autem anno primo primam partem intersessionum (2), et librum Pauli, et pentateuchum. Qui vero instruit chorum cantu, is doceat threnos defunctorum una cum lectione, quam in tabula tradit: anno secundo scribant secundam intersessionum partem, et psalterium David, et prophetas, lectionique, quam in tabula tradunt, adiungant hymnos sacramentorum. Anno tertio scribant tertiam partem intersessionum et novum testamentum, et cum tabula lectionum tradant odas.

Sabariesus autem catholicus, qui et Damascenus dignoscitur (*fuit nempe prius Damasci metropolita*) ob temporum turbationem aliter canonem constituit, dicit enim sic.

SABARIESUS (3).

Anno Arabum vigesimo supra ducentesimum (*Christi* 834), cum Aramaeorum terras perlustrarem, omnia castella, pagosque doctis clericis indigere perspexi, adeo ut in schola quoque Mar-Theodori, et in altera Mar-Maris, atque in ista Mahuzae praeter aliquot senes, qui ex tanta doctorum hominum copia pauci remanserant, ex iunioribus nullum litteratum reperire contigerit. Tirones quippe istos ne diei quidem canticum tenere comperi. Animadverti praeterea seniores illos scholae magistros fastidiosis discipulis instare coactos, ut lectiones, veluti pensum ediscerent, ea fere importunitate, qua medici aegrotos ad absynthium, aut myrrham, aut socotorinam aloen exhauriendam urgere cogereque solent. Quare mihi visi sunt illi scholares tantum a litteris abhorrere, quantum aegrotus quisque amarissimi alicuius succi potionem fastidire consuevit; illos nempe ad scholam non doctrinae amor, sed ventris esuries vocaverat. Quin et eumdem statum esse audivi regionis Elamitarum, atque Mesenae, et Persidis, et Chorasanae. Quae res me summo dolore affecit; videbarque mihi similis homini, qui ex claro die in tenebricosum quoddam spelaeum intrasset, verebarque, ne temporis processu atrior et luctuosior ecclesiae nox in-

(1) Chaldaei dominicas, ac festa mobilia designant per verba initialia antiphonarum dictis diebus dicendarum, uti olim Latini per verba initialia introitus missae. De ordine autem praedictorum dierum festorum vide Assemanum sen. tom. 4. pag. 380, et seqq., et tom. 3. pag. 291. (2) Preces, appellatae intersessiones, dicendae a Nestorianis, compositae dicuntur ab Elia III. patriarcha, extant autem in codice syriaco amidensi 8. tom. 1. biblioth. orient. pag. 583., et nocturnae quidem (quae intersessiones a Sobensi collectionis auctore tam hic quam in catalogo librorum syriacorum cap. 194. appellantur) orationes nocturnae, et laudationes, et iaculatoriae, et intersessiones. Assem. sen. tom. 3. pag. 291. (3) De Sabariesu vide Assemanum sen. tom. 3. cap. 25.

cumberet. Quamobrem hymnorum diebus dominicis canendorum per anni circulum ordinem composui, quem etiam in patriarchio reliqui, scholaeque magistrum insuper admonui, ut descripta ex eo codice exemplaria presbyteris locorum, aliisque in christianorum domibus ministrantibus distribueret. Quoniam vero iuxta antiquum morem postquam pueri psalmos legere didicerant, docebantur a magistris pentateuchum, et intersessiones percurrere, postremo prophetas iuxta scholarum stylum currentem; cumque ad novum testamentum progressi fuissent, ad opificium quodpiam addiscendum pueri dimittebantur; ego Sabariesus patriarcha mandatum canonicum constitui, ut in posterum postquam pueri psalmos, et cantica officii legere didicerunt, evangelium, et apostolum perlegant; tum demum ex veteri testamento sibi addiscenda seligant capitula lectionum dominicis, festis, et commemorationibus assignatarum, quae videlicet ex bemate legi solent: hisque absolutis, ita demum ad opificia pro libito addiscenda abire permittantur.

MANDATUM THEODOSII CATHOLICI.

In domino Spiritu consilium vobis do, ut postquam adolescentes librum novi testamenti, tomosque lectionum, iuxta mandatum piae memoriae Sabariesu patriarchae catholici, percurrerint, qui ad medendi, scribendive artibus incumbunt, neutiquam negligant attente legere expositionem novi testamenti, et codicem sacramentorum auctore Mar-Theodoro magistro magistrorum, et interprete interpretum. Si qui vero presbyterorum locum in ecclesia obtinere desiderant, sedulo etiam percurrant homilias totius anni, opus Mar-Hananiesu catholici, et Iosue Bar-Nun, atque Pauli; et paracleticas orationes Barsumae, et Iosue Bar-Nun, ac Pauli (1).

MANDATUM ABRAHAMI CATHOLICI.

In Domino nostro praecipio, ut senes, et qui annorum circiter quinquaginta sunt, perlegant librum paradisi (2), et libros Esaiae abbatis, et Mar-Evagrii (3), et patrum monachorum scripta.

IV. *De electione et ordinatione lectorum, subdiaconorum, et diaconorum, et quo quisque aetatis anno ordinandus sit.*

CANON 1.

Praecepit synodus, ut episcopi chirotonias quorumcumque ecclesiasticorum ordinum non in simplicibus locis, sed in sancta ecclesia, et coram altari facere debeant. Diaconissae autem, quia mulieres sunt, in templo

(1) De Theodoro agit in catalogo Sobensis Ebediesu cap. 19. apud Assem. sen. tom. 3. pag. 30. De Hananiesu primo agit cap. 82. apud Assem. citat. pag. 154. De Hananiesu secundo agit cap. 84. Assem. p. 155. De Iosue Bar-Nun cap. 89. Assem. cit. p. 165 De Paulo cap. 100. Assem. pag. 172. De Barsuma cap. 54. Asseman. pag. 66. (2) Liber paradisi a Palladio compositus Ebediesu Soben. catal. cap. 46. Assem. pag. 49. alius videtur a libro paradisi composito ab Hananiesu monacho saeculi septimi nestoriano, vide Ebed. Sob. catal. cap. 75. apud Assem. pag. 144. De hoc autem libro videtur loqui Abraham catholicus. (3) De Evagrio Pontico vide catal. Ebediesu cap. 40. apud Assem. cit. pag. 45. De Esaia vero agit Sobensis in catalogo cap. 41.

quidem ordinationem accipiant, sed ante portam, qua ad cancellos ingressus patet (1).

CANON 2.

Qui aetate pueri sunt, etsi scientiam habeant, et scripturas legere didicerint, non est dextera manus illis imponenda, dum pueri sunt, sed lectores tantummodo fiant. Cum vero ad adolescentiam pervenerint, hypodiaconi ordinentur. Diaconi vero, qui adolescentiam superant, et iuvenum aetatem attingunt, velut qui ad annum decimum octavum, et ultra pervenerunt, manus impositionem suscipiant. Presbyteri vero, qui ad virilem aetatem pervenerunt, et prudentiam naturae convenientem assecuti sunt: ii autem, qui quintum supra vigesimum annum aetatis, et ultra attigerunt, isti presbyteratus ordinationem suscipiant. Attamen iuxta antiquum mandatum ante annum trigesimum presbyter non est ordinandus.

CANON 3.

Si quis fuerit idiota doctrina, necessitas autem exegerit, ut is ex coetu ministrorum altaris existat, si ore suo David (*psalterium*) non recitaverit, subdiaconus haudquaquam fiat. Ille vero, qui divinorum librorum scientiam non callet, puta lectiones, et novum (*testamentum*), et libros apostoli nescit, civitati diaconus non ordinetur. Ruri autem, si necessitas postulaverit, et aliquos psalmos Davidis recitet, hic pago illi ordinetur propter necessitatem, ne scilicet rus illud careat integro ministerio, sed praeponatur ei presbyter, qui illum instituere omnino curet. Si autem id contigerit ante diem, quo presbyter vel diaconus ordinatur, se ipsum colligat, et in doctrina sit assiduus, ne ministri Christi similes sint laicis ruditate verborum suorum suaeque doctrinae.

CANON 4.

Praecepit synodus episcoporum qui in oppidis, ne in pagis et civitatibus diaconi septenarium numerum excedant, presbyter autem unus sit.

V. *De electione, et ordinatione presbyteri.*

CANON 1.

Quoniam vero multi episcopi ad utilitates foedas faciunt chirotoniam sacerdotii, et ordinant multos presbyteros ac diaconos in oppidis suae ditionis, propter quorum multitudinem oriuntur dissensiones in populo, qui in oppidis existit, definitione praesenti sanxit synodus episcoporum, ut quodlibet oppidum, in quo sint domus fidelium a triginta usque ad sexaginta coros (*continentes, sive fornaces, sive ignes, sive catinos*) unum presbyterum habeat: quando autem, Deo volente, presbyter ille obierit, periodeuta per electionem totius oppidi segreget aliquem virum, eumque constituat in loco eius, qui defunctus est.

(1) De diaconissis vide codicem liturgicum tom. XIII pag. 219.

CANON 2.

Ubi vero aliquis presbyter constitutus est, qui ordinatus fuerit per electionem ipsiusmet oppidi, non poterit episcopus alium presbyterum, qui sit ex ipso oppido, aut ex alia parte adscitus, constituere, et eo mittere, unde schismata, et divisiones in ecclesiam iniiciantur. Diaconi autem, qui constituuntur in oppido ex voluntate presbyterorum, et filiorum oppidi, accedant ad impositionem manus; multi enim, qui simpliciter admoti fuere ad impositionem manus, suum ministerium neglexerunt, et timoris Dei contemptum prae se tulerunt, fidelesque, qui in oppido ipsorum erant, sciderunt, ecclesiaeque coetum perturbarunt.

CANON 3.

Presbyter, qui constitutus fuit in oppido, is in eo oppido, cuius gratia ordinatus fuit, ministret, neque possit, relicto proprio oppido, pergere ad administrandum presbyteratum in alio oppido. Non debet presbyter ex oppido suo eiici absque certo delicto. Is autem, qui propter notum delictum e suo oppido eiicitur, in aliud oppidum non recipiatur. Periodeutae vero, et episcopi ob commoda humana non possunt hisce confusionibus operam praebere, nam canon etiam oecumenicus ita praescribit.

CANON 4.

Placuit synodo oecumenicae, ut neque presbyteris fas sit relinquere altaria sua, in quibus primo constituti sunt, et in aliis ministrare. Si autem facultatem habuerint a chorepiscopo, id eis fas esto; ex propria tamen voluntate minime possunt, nisi causa aliqua id exigat. Haec absque censura definivit synodus.

CANON 5.

Presbyteri, qui ex pagis sunt, in ecclesiis civitatum, episcopo praesente, aut presbytero civitatis, ne offerant oblationes, neque in ministerio dent oblationem, neque calicem. Absentibus vero civitatis filiis, si solus pagi presbyter praesens sit, det.

VI. *Canones impositi presbyteris, diaconis, et universae communitati clericorum.*

CANON 1. OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut omnes presbyterorum, et clericorum coetus secernantur a laicis in vestibus, et velamentis, atque tonsura capitis, praesertim vero in cingulo lumborum suorum. Annulos autem ex auro vel argento in digitis suis non ponant, neque lumbos suos fasciis ac perizomate ligent, ut belligerantes, ac reliqui. Sint autem quieti, et suaves erga se mutuo, et erga quemvis hominem. In plateis incessu lascivo non incedant, verba otiosa, iocosa, et ludicra non proferant, mimorum gestibus, et actibus se se non tradant, sed convenienti disciplina se se regant, praesertim erga exteros. Haec ita definivit synodus oecumenica.

CANON 2.

Ex synodo Iohannis catholici (1).

Placuit spiritui sancto, et praecepit, ut nemo ex presbyteris, aut diaconis potestatem habeat discalceatus in communibus congregationibus proprii ordinis officium perficiendi. Numquam autem quisquam tempore ministerii cuiuslibet sine calceis in ecclesiam ingrediatur. Et quamvis aliquis in cella sua, cum solus orationem Deo persolvit, id ipsi fas sit, in communi tamen coetu id omnino nefas esto. At si rerum saecularium inopia laboret, et necessitas exigat eius ministerium, etiam in hoc casu permissum non est ei ullum ex ordinibus sacerdotii ullatenus perficere sine sacerdotali ornamento. Similiter neque presbyteris, nec diaconis conceditur perficere proprium ministerium cum soleis: solea enim vilis est, neque fas est cum ea comparere coram regibus terrenis; quomodo ergo operariis spiritualibus concedendum erit, ut cum solea compareant coram rege caelesti in ecclesia? Expedit autem, et aequum est, ut calceus specialis sit iis, qui sacramentis sanctis ministrant, tempore scilicet ministerii eorum; similiter et vestes speciales. Enim vero et illis, qui in lege veteri, vestimenta, et calcei erant sacerdotales in tabernaculo, quae ad tempus ministerii sacrificiorum adservabantur: sed quia apud nos propter huiuscemodi rei difficultatem, complacuit spiritui sancto, ac benigne nobiscum egit, dicimus, qui potest capere, capiat. Verumtamen omnino ministerium exhibere non possunt cum calceis soleatis, aut cum tunicis habentibus fimbrias adsutas. Si enim in veteri lege de viro, cuius fimbriae adsutae sunt, sermo fit cum exsecratione, quanto magis homo recedere debet ab hoc, ne scilicet appareat coram Deo cum veste huiusmodi? Si autem acciderit, ut aliquis schemate hoc contemptibili serviliter in ministerio compareat, separetur ab ordinibus angelicis presbyterorum, et ministrorum, qui sunt exercitus angelorum Domini perficientes ministerium ejus cum iustitia. Et haec in canone verbi Domini nostri.

CANON 3.

IOHANNIS.

Placuit spiritui sancto, et praecepit, ut nemo ex presbyteris, aut ex ministris, aut ex filiis foederis templi ministerio addictis, possit legere lectiones in ministeriis sanctis, aut psallere psalmum, aut canere canticum, aut quidpiam recitare ex pretiosis ministerii mysteriorum, postquam escam corporalem acceperit, neque ieiunium servaverit sanctum. Haec in canone verbi Domini nostri definita fuere a sanctis religiosissimisque patribus.

CANON 4.

Quoniam vero sacerdotii ordo sublimior ac honorabilior est prae omnibus ordinibus et gradibus, et ea,

(1) De hac synodo vide Assemanum seniorem tom. 4. pag. 188.

quae ipsius propria sunt, maxima existunt et gloriosissima, praecepit synodus episcoporum, quod congruat ipsis sacerdotibus, ut iidem consistant in omni puritate, et convenientia, ac rectitudine voluntatis, removentes, et dispellentes prorsus a suis cogitationibus omne odium, livorem, et inimicitiam, atque mentem perversam et amaram, quae omnia Satanae genimina sunt, atque doceant admoneantque eos, qui in hoc conditionis nequam fluctu existunt, ita ut acquirant eos, et eosdem liberent a perditione animarum suarum. Siquidem vero aliqui reperiantur ita affecti erga homines ob suam indolem, aut amaritudinem, et livorem, ac inimicitiam; hi videlicet increpentur, et si paenitentiam non egerint, et resipuerint, removeantur a ministerio sacerdotii sui.

CANON 5.

Audivimus, nonnullos clericos esse, qui neglexerunt ordinem convenientem ministerio ipsorum, quod est continentia plenum, reprobatque magnam ventris molem (*vel* intemperantiam) et luxuriam, et mane manducare, et bibere in antecessum. Alios autem (*audivimus*) in cauponam, tabernam, et diversoria publica (*ingredi*) eorum, qui cibaria et potabilia ibi luxuriose edenda ac bibenda vendunt; et recumbere in scalis inordinate. De his ergo definivimus in verbo Dei, quod non possint mane comedere ac bibere presbyteri, diaconi, ac filii foederis, sed debeant abstinentiam servare usque ad quartam diei horam; iisque interdiximus, ne ingrediantur in diversoria publica, neque in cauponas, neque in officinas. Illi autem, qui in viis sunt, aut in labore terrae, et marium (*cursu*), potestatem habeant comedendi, prout necessitas eos compulerit. Illi vero, qui altaribus inserviunt, abstineant a cibo usque ad horam nonam, nisi forte necessitas urgeat, puta cum aliquis puer proximus fuerit morti, et egeat baptismo. Is porro, qui aliter facere praesumpserit, anathema esto in verbo Domini nostri.

CANON 6.

Nemini autem ex clericis fas sit iugulare belluam, neque, ut ita dicam, avem. Si autem animal proximum fuerit morti, et praeter ipsum aliquis alius non fuerit, voce elata clamet, num forte respondeat ei aliquis homo, qui prope existat: alias ex necessitate conceditur ei, ut iugulet. At abscindere puerum, sive se ipsum, omnino nefas esto illi; nam destructor circumcisionis est, minime vero illius confirmator; christiani enim una circumcisione circumcidendi sunt, illa scilicet baptismatis. Circumcisio vero carnis, et praeputium cordis, solum est Iudaeorum antiquorum ac hodiernorum. Quoniam autem scripsimus nefas esse clericis iugulare, hoc etiam adiungendum duximus, quod clerici possint chirurgiam et medicinam exercere; nihil est enim quod impediat, ne ipsi haec exerceant.

CANON 7.

Quoniam vero baptismus est spiritualis circumcisio, ab iis qui ad ba-

ptismum accedunt, clericis nefas est quidpiam exigere. Si autem benedictio exhibeatur eis a parentibus eius, qui baptizatur, tamquam benedictionem accipiant; crimen vero manifestum est accipere cum exactione. Is autem, qui hoc fecerit, sine remedio existat, et a suo gradu deiectus esto,

CANON 8.

Presbyter, aut diaconus, qui relicta sede proprii episcopi, pergit ad accipiendam chirotoniam ab alio episcopo, aut a metropolitano eius provinciae, non ministret in gradu sacerdotii, quod suscepit, sed cohibeatur frenis verbi Dei per integrum annum; et postea, si videbitur episcopo ipsius, et hic misericordia motus eum susceperit, denuo ordinandus non est, nam ordinatio secunda prohibita est; verumtamen consistat in ordine ultimo omnium clericorum, qui ab eo legitime acceperunt ordinationem, suntque accepti. Eum vero, qui a patriarcha suscipit chirotoniam, a proprii ordinis ministerio arcere nequeant episcopi, aut metropolitani, ex quorum dioecesi est. Nam patriarcha est pater communis.

CANON 9.

Porro ubi sedet episcopus, clerici absque eiusdem iussione sedere coram eo non possunt. Simili etiam ratione ubi sedet presbyter, diaconi sedere nequeunt sine ipsius presbyteri iussione. Et ubi sedent diaconi, lectores, et hypodiaconi sedere non possunt absque ipsius diaconi iussione. Et tempore mysteriorum non possunt deserere altare, ut aliò migrent, sed omnes in cancellis consistant, neque errent in diaconio, et in templo, atque in area ecclesiae sedentes, familiari colloquio ibi utantur; nisi quispiam fuerit infirmus: nam virtutes caelestes altare circumdant tempore, quo mysteria sancta offeruntur: is proinde, qui foris stat, societate angelorum se ipsum defraudat.

CANON 10.

Relatum fuit in congregatione episcoporum, quod nonnulli clerici ausu temerario se invicem petant, et stationem socii sui invadant, et quod se ipsos in statione, quae in ordine est, honorent, obliti nimirum illius dicti: ille, qui se ipsum humiliaverit, exaltabitur. Et illius sententiae gloriosi Pauli: unusquisque socium suum in charitate reputet tamquam praestantiorem se. Ne itaque huiusmodi inordinatio in ecclesia amplius obtineat, patrum canones exhibentes docemus, quod omnis presbyter, et diaconus secundum diem, in quo ordinatus est, et ordinabitur ab episcopo, aut metropolita, aut patriarcha, locum habeat, ac stet in ordine supra socium suum, aut infra eumdem socium, idque sive senior socio fuerit aetate et doctior, sive aetate iunior et doctrina minor socio exiterit. Et siquidem fuerit aliquis puer, et acceperit chirotoniam prius quam aliquis senex, qui senex ordinatus fuerit post eum puerum, puer sane ille praecedat in statione senem, senex vero infra puerum consistat. Presbyteri autem, aut diaconi illi, qui non ex primariis filiis ecclesiae civitatis

extiterint, sed fuerint extranei, et ex alio loco, non possunt stare in ordine et gradu supra eos, qui ex ecclesia civitatis sunt. Si autem vi et temere attentare voluerint, corripiantur frenis verbi Dei, quoadusque desistant a propria audacia. Si autem aliquis clericus voluerit honorem deferre, et locum sibi superiorem cedere alicui eorum, qui forinsecus venerunt, non potest id efficere, nisi cum licentia eius, qui congregationis clericorum caput existit. Si autem doctor fuerit is, qui forinsecus venit, concedatur ei, ut supra consistat, ubi fratres eius voluerint adsignare ei honorem. Si autem non fuerit doctor, nemini, quicumque voluerit eum honorare, fas sit, idque ne aditus pateat audaciae idiotarum, et ignorantium; sed si presbyter is fuerit, infra omnes presbyteros stet, et si diaconus extiterit, infra omnes diaconos. Haec absque censura definierunt patres.

CANON 11.

De omnibus autem ordinibus sacerdotum et clericorum, atque ostiariorum dicimus, ut cum vocati fuerint a fidelibus ad quietes, (*convivia quae pro defunctis exhibentur*) et ad caenas, sobrie in cibo se gerant, et non gulose, ac luxuriose tamquam ad satietatem, neque fas illis sit repleri, et exinde portiones referre, nec a divitibus, nec a pauperibus, ne nomen Dei nostri blasphemetur inter eos, et inducant contumeliam, et convicia in pretiosa (*sacra ministeria*) ecclesiae. Is autem, qui haec transgressus fuerit, sub anathemate esto.

CANON 12.

Si quis ex clericis ecclesiae deprehensus fuerit, ab ecclesia supellectilem furtim abstulisse, et direptor extiterit domus sanctuarii Domini, neque pudorem ei incusserit verbum apostoli caelestis Pauli, qui cum idololatris recenset eum, qui diripit domum sanctuarii; de hoc statuimus, ut removeatur a ministerio gradus sui. Si autem resipuerit a sua nequitia, et paenitentiam egerit, atque pactum constituerit, et canonem sibi sanxerit, quod amplius iuxta suum morem non operabitur, hic suscipiatur, ut ministret. Si vero non ex nequitia, neque ex more suo id contigerit, sed propter angustiam magnam, in qua existebat, et a paupertate impulsus clam abstulerit, id quod furando surripuit, misericordia in eum expromatur, neque subsannetur: nam etiam ad cadavera mortua comedenda accedunt illi, qui esuriunt, sicut scriptum est.

CANON 13.

Si apud aliquem clericum, fidelem existimatum, situm fuerit depositum, is autem postea illud astute sibi vindicaverit, et negaverit, et quidem cum iuramento dominis eius; atque aliquando argumentis, quae lucide ostendant mendacium eius, negotium innotuerit; is, quicumque fuerit, suum ordinem amplius non exerceat, eo quod cum lucidus constitutus fuisset, tenebrosus evaserit. Si autem resipuerit, et pactum super se ipsum constituerit, suscipiatur, postquam diutinam paenitentiam ex-

hibuerit, et depositum domino proprio restituerit.

CANON 14.

Si quis presbyter, aut diaconus Iesum Christum abnegaverit, deinde paenitentia ductus resipuerit, ac redierit, longo tempore in paenitentia maneat: peracta autem paenitentia, suscipiatur, in ordine tamen suo non ministret, sed laicorum gradum teneat. Quod si ex tota virtute sua paenitentiam exhibuerit, denuo manus impositionem ab episcopo suscipiat.

CANON 15.

Si quis constitutus in quolibet gradu sacerdotii, alicui homini ad illum interficiendum venenum letale propinaverit, idque negotium apparuerit, atque innotuerit instar solis, atque absque ulla dubitatione; omnino exeat ab ecclesia, quia dignus non est, qui communicet mysteriis divinis. Et si praesul neglexerit ipsum, postquam apparuit facinus eius, et eum non eiecerit, reus erit coram Deo.

CANON 16.

De Eunuchis sicuti praeceptum est in sancta synodo, ita servamus: omnis vir, qui voluntate sua se ipsum castraverit, et membrum suum vitiaverit, hic in clerum non recipiatur: si autem in pueritia sua violenter a dominis suis vir fidelis (*id est eunuchus, qui appellantur fideles, propterea quod eorum fidelitati committuntur mulieres*) factus fuerit, aut a praedonibus barbaris amputatus fuerit, aut a medicis in aegritudine sectus fuerit, hic non removeatur de clero, nam id licet per canonem, non enim voluntate ipsius id ei supervenit.

CANON 17.

Si quis ex presbyteris, et diaconis, et filiis foederis, manducaverit ac biberit cum Iudaeis, et habuerit charitatem cum filiis crucifixorum, repellatur a ministerio gradus sui, donec exhibeat paenitentiam, ac firmiter proponat, quod hoc amplius non sit facturus, et foedus constituerit coram multis. Quod si illi, qui tales sunt, mentiti fuerint post promissiones suas, denuoque id egerint, prorsus deiiciantur de gradibus suis: primo quidem, quia manducarunt cum Iudaeis; secundo vero, quia mentiti sunt.

CANON 18.

Presbyter, aut diaconus, aut quilibet in catalogo graduum sacerdotalium recensetur, qui fuerit praestigiator, divinator, aut ariolus, aut cultor daemonum, aut sortilegus, aut nodos contexens, aut crediderit ethnico more stellarum rationi, quae astrologia vocatur, ille qui aliquid ex dictis exercet, omnino removeatur a ministerio sacerdotii sui. Saecularis autem anathematizetur, et abscindatur ab omni communione cum fidelibus.

CANON 19.

Placuit synodo oecumenicae, ut presbyter, qui crimen adulterii commiserit, cum antea temporis talem

mali, quod inde timetur, transgrediuntur statuta, dantque eis licentiam, ut pacifice ministrent in suis locis: quia vero illi commiseratione ac benignitate se dignos existimant, domesticos aut extraneos implorant et accedunt ad episcopatum: et quia hi deprehensi fuerunt antea reprehensibiles et inquisiti, non possunt damnare, et increpare eos, qui iisdem reatibus et accusationibus obnoxii existunt. Quamobrem etiam de istis canonem constituimus, quod ille, qui, cum sit magister aliorum, transgreditur canonem, et quidpiam agit alienum ab instituto ecclesiastico, etsi commiserationem ac benignitatem obtineat, et relinquatur in loco suo primo, non audeat neque attentet accedere ad locum paternitatis, episcopatum scilicet. Illi vero, qui haec transgressi fuerint, ligati (*suspensi*), et anathematizati sint a ministerio sacerdotii, quoad usque paenitentiam exhibuerint, prout constitutum est eis a communitate episcoporum; is autem, qui accesserit, deponatur priveturque gradu, quem susceperat.

VI. *De eo, qui muneribus corrumpit provinciales, aut metropolitanum, ut se episcopum eligant.*

Placuit synodo oecumenicae, quod nec episcopus, nec presbyter, neque diaconus possint ad sacerdotium promoveri per munera. Quod si contigerit, ut quispiam quid tale perpetrarit, et ille, qui dedit, ac sacerdos factus fuit; et ille, qui accepit, atque ordinavit; utraque inquam pars depositionem a sacerdotio consequatur. Et illum, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica anathemati subiicit.

VII. *De eo, qui ad episcopatum vocatus, minime consentit.*

Placuit synodo oecumenicae, quod si quis extiterit, quem communitas tota elegerit, ut sit episcopus, ipse vero cum iam sit archidiaconus, aut periodeuta, aut presbyter, attamen communitatis voluntatem non fecerit, arceatur a communione communitatis. At si saecularis fuerit, et communitatis voluntatem non fecerit, non removeatur. De his tribus gradibus canonem praesentem definivimus, quoniam isti cum ordinati fuerint, non deponuntur, nisi forte per mortem, aut crimen. Et ille, qui haec transgressus fuerit, a synodo oecumenica excommunicatus esto.

VIII. *Quod cum aliquis episcopus ordinatus est, non debeat sedem suam per se ipsum adire.*

Placuit synodo oecumenicae, ut quando metroplitanus aliquem episcopum ordinat, ipse chorepiscopum suum mittat cum eo, et hic operam navet prima die, eumque super sedem collocet. Nemo enim eorum, qui potestati illius, qui episcopus factus est, subest, potest ei operam navare ad ipsum colloeandum super sedem suam. Quando autem expleverit tres menses in sede sua, redeat ad venerandum metropolitanum, qui metropolitanus praecipiat archidiacono suo, et hic ab eo requirat, ut recitet omnes episcoporum canones, quos quum ibi integre perfecteque recitaverit, tunc poterit gradum proprium administrare cum omnibus canonibus. Similiter etiam erga metropolitanos faciat patriarcha eorum. Illum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica anathemati subiicit.

IX. *Necessario servandus est canon, ut episcopi a patriarcha perficiantur; qui vero a metropolitano ordinatur, nullum potest pontificale officium obire, antequam adeat patriarcham, et ab eo perficiatur* (1).

EX SYNODO ISAACI.

Defuncto episcopo, metropolitanus congregare debet episcopos, atque episcopum instituere, quem civitas voluerit: et postquam instituit eum, ad metropolitam magnum mittat illum, ut ab eo perficiatur.

OCCIDENTALIUM.

Episcopi qui a suis metropolitanis ordinantur, non possunt opus episcopatus, neque ordinationem facere, nisi prius perrexerint, et perfecti fuerint a patre potestatum, qui est patriarcha in ecclesia Cochensi constitutus, et epistolas ab eo acceperint: possunt tamen stare in loco episcopi, et recitare orationem inter fratres suos.

EX SYNODO EZECHIELIS.

Episcopus, quicumque fuerit, ordinetur praesentibus saltem tribus episcopis. Statim autem ac ordinatus fuerit, accedat festinus ad adorandum et videndum patriarcham, ut nempe ab eo perficiatur. Illi autem, qui praeter haec fecerint, synodi sententiae iudiciali subsint.

X. *De synodo cum proprio episcoscopo habenda a clericis oppidorum.*

Placuit synodo oecumenicae, ut chorepiscopus bis in anno universum clerum oppidorum simul congreget ad adorationem episcopi, quo communicent cum ipso in divinis sacramentis, et benedictionem accipiant ab eo, et prima quidem vice cum ingreditur hiems, altera autem vice post festum resurrectionis. Monachi autem semel tantum convocentur, et quando voluerit chorepiscopus, eos convocet. Ceterum, qui recenter abbates fuerint facti monasteriorum, ter accedant ad adorationem episcopi, et duabus quidem vicibus in eo anno cum communitate, semel vero ipsi soli ac separatim, scilicet ut noti fiant episcopo et archidiacono. Haec absque censura definivit synodus.

XI. *De synodo episcoporum cum proprio metropolitano habenda.*

Placuit synodo oecumenicae, ut bis in anno congregentur episcopi simplices parvarum civitatum apud metropolitanos proprios. Et quisque metropolitanus auctoritate propria synodum coram eis celebret nempe cum episcopis suis. Et omnia negotia incidentia examinentur, et iuste recteque iudicentur, ut per hoc sit nobis fiducia in ministerio sacerdotii nostri, et ne propter res transitorias maculam aspergamus iis rebus quae non transeunt. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, sub anathemate constituit synodus oecumenica.

XII. *Quantum temporis abesse possit episcopus a propria sede.*

Placuit synodo oecumenicae, ut cum episcopi in viam longinquam proficiscuntur, sex tantummodo mensibus possint manere extra sedes pro-

(1) De perfectione episcoporum vide Assemanum iuniorem tom. XIII. codicis liturgici ecclesiae universae a pag. 78.

prias. Quod si vero, absque causa infirmitatis, aut captivitatis, aut barbarorum, aut eiusmodi impedimentis, quae obstent, quominus redeant, ipsi propria voluntate celebraverint festum resurrectionis extra sedes suas, damnationi subiaceant. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, anathemati subiicit synodus oecumenica.

XIII. *Separari debent bona ecclesiae a bonis throni episcopi.*

EX SYNODO ANTIOCHIAE CELEBRATA IN ENCAENIIS ECCLESIAE, ET EX SYNODO ORIENTALIUM.

Ea, quae sunt e clesiae, omni cura, conscientia bona, ac fide in Deum, qui omnia intuetur et iudicat, conserventur ecclesiae. Porro haec debent dispensari cum iudicio et potestate episcopi, cui concreditus est omnis populus, et animae eorum, qui conveniunt. Manifesta autem sint ea, quae iuris sunt ecclesiae, cum scientia presbyterorum et ministrorum, ut cognoscant, nec ignorent, quaenam sint ipsius ecclesiae, quaenam vero sint episcopi, nec eos aliquid lateat, ut si contigerit episcopum exire de hoc saeculo, certis notisque existentibus rebus, quae ad ecclesiam pertinent, nec istae dilabantur et pereant, nec illae propriae episcopi diripiantur praetextu rerum ecclesiasticarum: iustum quippe est, et honestum coram Deo et hominibus, ut ea quae sunt episcopi, ipse relinquat quibus voluerit; ea autem quae sunt ecclesiae, huic conserventur, ut nec ecclesiae sit ullum detrimentum, neque episcopus diripiatur causa ecclesiae, aut ii qui ad ipsum attinent in lites incidant post eum, et ipse post mortem suam blasphemetur.

XIV. *Si mortuo episcopo alter episcopus sedem illam ambierit, provincialesque subornarit, ut sibi consentiant, an is transferri possit, nec ne?*

CANON OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut non possit episcopus relinquere sedem suam, in qua episcopus constitutus fuit, et migrare ad aliam, quoniam in hoc etiam saeculo omnis qui relinquit uxorem suam sine causa adulterii, et ducit aliam, adulterium committit. Si autem vocaverit eum causa necessaria, et dum ipse non vult, vi eum eiecerint, et propterea migraverit, culpandus non est, deturque ei sedes alia, neque idcirco exprobretur. Si autem habeat scientiam ad gubernandum, et occurrat ei sedes metropolitica vacua, detur ei, ac sedeat in ea, quia canon non reiicit eum. Haec absque censura definivit synodus.

TIMOTHEI.

Ecce enim supra quadraginta conventus synodici videntur fuisse in mundo a tempore apostolorum ad nostram usque aetatem, qui fulserunt divinis operibus, et caelestibus charismatibus; omnes vero veluti una voce definierunt, et inhibuerunt, ne episcopus de sede in sedem migret. Socrates ille novatianus licitam censuit translationem episcopi a sede ad sedem; causa autem fuit odium eius in san-

etum Nestorium (1), et amor ipsius erga Deo odiosum Proclum, cum voluit transferre Proclum e civitate Cyzici, et non potuit. Proclus quidem mansit, Socrates vero translatus fuit contra definitiones patrum, et canones apostolicos: et dixit, fas episcopo transire ab uno throno ad alium thronum. Iam vero debemusne obedire patribus, an extraneis? Ipse enim beatus inclytus Gregorius cum Nazianzo Byzantium ire consensit ob haereses, quae praevaluerant ibidem, noluit ire praeses et rector patriarchalis, quamvis haberet pro se fautores centum quinquaginta; et siquidem petiisset, patriarchatus ipsi datus fuisset; sed non consensit ire tamquam patriarcha, consensit vero ire tamquam visitator, disceptator, et doctor, minime autem tamquam rector: cum autem praeses redierit, Nazianzenus cognitus fuit, usque in hodiernum diem. Et haec quidem de episcopis, et electione eorum simili ratione. Redeamus autem ad electionem metropolitanorum, et ordinationem eorum, et deinde scribere aggrediemur canones, qui ambobus his gradibus praescripti et constituti simul sunt.

XV. *Quot sint provinciae, quibus metropolitani praesunt, et a quonam unaquaeque instituta.*

Causa equidem primatus sedium inter se ex prioritate temporum desumitur, quibus earum fundatores patriarchae vixerunt. Quare hunc inter se ordinem temporis habent. Primus, qui metropolitas discreverit Papa patriarcha fuit, qui patriarchalem dignitatem ad annos circiter sexaginta octo tenuit, atque ante omnes metropolitam Elamitidis constituit, et paulo post etiam Nisibis; tum Teman (*austri*); Perath Mesenae (*Bassorae*); et post hunc Assyriae. Quatuor hi metropolitae a Papa constituti fuere. Sub tempus vero synodi oecumenicae patrum 318, Garmaei metropolitas a Simeone Barsaboe postularunt: et Ardabadeni quidem aiebant, patriae nostrae dignitas metropolitana debetur: Beth-Seleucienses vero similiter dicebant, in patria nostra metropolitanus constituendus est. Praecepit itaque Simeon Barsaboe, utriusque episcopi examinari in docendo diligentiam, uter utri discipulorum numero praestaret, idemque metropolita crearetur. Compertum autem fuit in hac parte episcopum Sciahargardae Ardabadensi esse anteponendum. Sic itaque Garmaeis metropolita datus est a Simeone Barsaboe. Istos porro metropolitas alterum post alterum confirmavit synodus Isaaci. Mentionem quoque faciunt synodi Isaaci patres, tum Persidis, tum Maruae, non quasi metropolitanarum, sed quasi celeberrimarum sedium episcoporum. Metropolitanam postmodum dignitatem sexta sedes Persidis, tum septima Maruae, a Saballaba legitime acceperunt. Octavam vero sedem Iesuiabus Gadalensis Halavanae constituit. Heriae vero, et Samarcandae, et Sinarum (2) metropolitas creavit Saliba-Zacha catholicus. Aiunt sane, Achaeum, et Silam illos constituisse: sed ordine Sinensem an-

(1) Nestorianus loquitur. (2) Notum est Sinense monumentum octavi saeculi chaldaicis litteris scriptum, quod est praeclarum christianae religionis apud Sinas eo tempore vigentis testimonium. Assemau. B. O. T. 3. part 2. p. 539.

tecedunt metropolitae Heriae et Indiae, Sinensis Samarcandensem. Postea Timotheus alias sex sedes instituit, quarum quatuor interiere, reliquae duae manent: Armeniae nimirum, quae est XIII., et post istam Sciamae (*Syriae sive Damasci*), quae est XIV. Atque hae sunt sedes primariae provinciarum, et haec ratio unde petenda est praerogativa primatus earum, et ipsarum ordo inter se (1).

XVI. *De electione et ordinatione metropolitani.*

EX SYNODO GEORGII CATHOLICI

CANON.

Visum est sanctae synodo, ut paulo postquam decesserit episcopus metropolitanus, congregentur episcopi illius provinciae in civitate fratris ipsorum senioris, et cives civitatis eius admoneant, ut eligatur persona, interveniente ipsorum consensu et opera, quae metropolitico ministerio congrua sit. Scribantque simul, ac significent patriarchae electionem eius. Si autem negotium diu protrahatur, quatuor menses non excedat, nisi forte causae necessariae occurrerint. Nam praeter hoc tempus electio diutius protrahi non potest post obitum metropolitae.

CANON ALIUS.

Relatum autem fuit in divina synodo, quod decedente in aliqua regione aut civitate episcopo, vel metropolita, conventicula fiant, et unusquisque a sua cupiditate traetus pro suo lubitu gerat se; et quia humana perturbatione moventur, convocant secum filios foederis, et homines inverecundos promissis subornatos in suas partes trahunt, et absque episcopis comprovincialibus, et cleri communitate tota ac fidelium, claneulum personam sibi benevisam inter se se eligunt, ac iuramento semet obstringunt, quod ab ea persona usque ad mortem non recedent (2), et ob hanc causam corruptelae et damna plurima fiunt in communitate. Et idcirco definivimus, quod illi, qui haec agunt, ligati et anathematizati sint ab omni communione sanctorum mysteriorum, et a consortio fidelium. Et ille homo, in quem consenserint, siquidem inscius fuerit conspirationis, et ad extremum cooperationem suam iis praebuerit, ipse quoque seiunctus sit ab omni communione ecclesiastica pro

(1) Elias tamen, et Amrus in tabulis suis alias metropolitanas sedes memorant, de quibus Assemanus senior tom. II. biblioth. pag. 458. (2) In codice a pag. 141. usque ad 150. inclusive quaedam folia interseruntur alia manu scripta, quae ad synodicam collectionem non pertinent: ac primo legitur epistola mar Eliae metropolitae Nisibis ad episcopos provinciae magnae, ad cives bagdadenses in causa Iesuiabi catholici. Tum subditur canon apostolicus 28. Subsequitur canon apostolicus 29. Deinde describitur pars ex canonibus Petri et Pauli apostolorum. Pag. 145. a tergo recensetur canon 17. synodi oecumenicae patrum 318; pag. 146. exscribitur pars ex canone 13. synodi Bethlapethae, de iis qui pecunia emunt impositionem manus sacerdotalis; pag. 147. canon 12. exhibetur synodi de eo, quod episcopi metropolitani fieri non debeant cum litteris regis; pag. 147. fragmentum epistolae sextae mar Abae catholici habetur, de electione patriarchae; pag. 148. a tergo canon 15. e synodo Iosaphi catholici; pag. vero 149. canon primus e dicta synodo Iosephi; pag. denique 150. canon 20. synodi Ezechielis catholici, itemque 34. eiusdem synodi referuntur.

merito sui delicti. Si autem sua sollicitudine ac superbia illos induxerit ad ita faciendum, neque resipuerit ab audacia sua, deiiciatur, ac irrita habeatur eius electio et nulla: quin et ipse homo nudetur spolieturque gradu in quo erat.

TIMOTHEI.

Non enim debebat regi significari eius, quem, ut sit metropolita, elegistis, electio; sed primo nobis, et postea regi: ubi enim notum fuisset, quod persona a vobis electa, idonea esset, nos quidem electionem a vobis factam ratam habuissemus. Cum enim ad nos cum vestro consensu mittitur ille, quem elegistis, et a nobis in Spiritu sancto ungitur, et metropolita fit, tunc recte voluntatem vestram regi exhibetis, ac significatis, quo scilicet regia voluntas constitutioni divinae adhaereat. Vos vero irregulari ratione constitutionem divinam regiae pedissequam fecistis. An propter regis iussionem debet fieri ille, cum a vobis electus est, si villicus sit, si Deum non timeat, si tenebrosus sit scientia scripturarum divinarum, ac mente et intelligentia legum sanctarum? Tres enim egregiae dotes requiruntur in homine rectore ecclesiae; has autem nos examinare et cognoscere debemus, num scilicet reperiantur in homine, qui eligitur e mundo, nec ne? Prima quidem est naturalis intellectus, eo quod ipse sit gubernator negotiorum, et rector; porro is, qui intellectu caret, quamvis omnia possideat, omnino defectivus est. Secunda vero dos, quae et totius sapientiae initium est, pietas est, quae dividitur in operationem actionum sanctarum, et in theoreticam, quae ornatur veritate fidei, et confessionis rectitudine. Dos demum tertia est scientia divinarum scripturarum, haec enim armatura est validissima rectoribus ecclesiae. Ornatus porro harum trium dotium, instar imaginis regis, et sigilli auro impressi, est humilitas, et verbum sale conditum. Est ne vir, quem elegistis, hisce dotibus ornatus?

XVII. *Quaenam metropolitanis debeantur, et quaenam hi agere possint erga sedes episcoporum suorum: quaenam vero canonice ipsis vetentur.*

EX SYNODO ISAACI

CANON.

Metropoles nominantur illae civitates matres, quarum certi sunt magistri, et civitates quae praepositae sunt aliis civitatibus. Omnis civitas, quae nominata sit, atque nota, et principem habeat, episcopo insignitur, qui in ea constituitur, et episcopus fit: qui praeponitur iis (*aliis episcopis*), ut sit ipsis adiutor, et sollicitator in omnibus iuribus: et cum discordia inter eos excitatur, eos componat, ac ad pacem adducat per consilium charitatis, et non per violentam potestatem. Omnis porro episcopus in sua dioecesi ac civitate potest instituere presbyteros, ac ministros, et docere, et aedificare ecclesias, et superaddere omnibus pulchra (*recta*), quae vult, ut sociis suis speculum bonum existat. Episcopus autem metropolita, qui praeponitur fratribus suis, ubique constitutis, nempe ut sit gradu

honorabilior illis, scribat, et significet metropolitae magno de omni re, quae fit inter eos episcopos, qui sub auctoritate ipsius sunt. Quod si contigerit, ut episcopus querelam moveat socio; aut acciderit, ut episcopus aliquis congrue ac debito modo ministerio suo minime fungatur; ipse metropolitanus, qui eis praepositus est, secundum id quod in canonibus synodi magnae constitutum est, cum charitate ac lenitate omnium negotia disponat, et stabiliat. Si vero occurrat negotium aliquod, quodcumque fuerit, durum ipsi metropolitano, neque possit illud pacifice dirimere, scribat, et significet metropolitae magno, et liberabitur ab ea molestia: nam ad catholicum spectat, ut rescribat, et pro sua sapientia praecipiat, ac dirimat.

CANON.

Potestatem non habet episcopus metropolita vocandi ad iudicium domini ritu, atque violenter adducendi ullum ex episcopis sociis suis, aut imperiose se ingerendi in negotia dioeceseos episcopi alicuius, ex iis quibus praepositus est, et rescribendi, aut violenter quidpiam exigendi: sed manens in proprio loco, scribat ad ipsum episcopum dioeceseos de querelis, quas audit. Quod si ei obtemperaverit, recte; aliàs significet metropolitae magno, sicut supra scriptum est. Si vero episcopus alicuius dioeceseos optaverit, ac in commemorationibus martyrum petierit ab ipso metropolitano sibi praeposito, eumque invitaverit, ac vocaverit, ut ad suam ipsius dioecesim veniat, id relinquitur voluntati ipsius episcopi, ut complaceat ei, qui senior est et maior ipso.

OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut quemadmodum non possunt episcopi, unus in iurisdictione alterius chirotoniam sacerdotii perficere; similiter et metropolitani non possint chirotonias adimplere in civitatibus episcoporum, qui sub auctoritate eorum sunt, eisque subditi; nec etiam possint ulla negotia praecipere sine episcopo loci. Eum vero, qui haec transgreditur, synodus oecumenica sub anathemate constituit.

XVIII. *Si quis episcopus voluerit metropolitanus ordinari, deinde, abdicata hac dignitate, in priorem suam dioecesim redierit, metropolitanus ne, an episcopus appellandus est?*

Timotheus scribit ad Sabariesu episcopum Callinici, quae est Raka, sic: dicit enim Petrus apostolus tuae sanctitati, non es mentitus hominibus, sed Deo: non enim vi abductus fuisti, sed tua voluntate ad istam politiam accessisti, et non ad minimum, neque ad parvum, sed ad maximum elevatus fuisti gradum, et quidem a subiectione ad principatum, ab episcopo ad metropolitanum ascendisti, et ex principe sacerdotum ac fidelium, princeps episcoporum, qui sunt principes sacerdotum et fidelium, promotus fuisti a Spiritu sancto. Si autem vis mentiri, et violare foedus, quod cum Spiritu habes, et falsas efficere voces sacerdotales, tui est electio, et apologiam pro ea exhibe, tam scilicet coram hominibus, quam

coram tribunali Christi domini nostri, ante quod omnes stabimus, secundum Paulum, ad mercedem accipiendam pro nostris actibus sive bonis sive malis. Sta ergo, ubi concupivisti, et sicuti concupivisti, verumtamen non tamquam metropolitanus, sed tamquam episcopus, quemadmodum antea fuisti. Tu voluntate tua irritas fecisti voces, quae coram Spiritu, et in Spiritu editae fuerant per suffragia patrum, et cleri ecclesiae: et illius rei, quam tu dimisisti, honor a te tollatur.

XIX. *Canones de episcopis simul, et metropolitis.*

CANON 1. OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut omnes quoque metropolitani semel in anno congregentur apud patriarcham proprium, ut omnia negotia et quaestiones, quae emergunt in regionibus ipsorum, et in civitatibus auctoritati ipsorum subiectis, diiudicentur coram synodo universa ob hoc, ut non sit acceptio personarum in iudicio. Et quemadmodum faciebant septnaginta iudices filiorum Israel, qui iudicium omne, quod ipsis difficile foret, deferebant Moysi prophetae; sic et ipsi episcopi quoque eodem modo faciant. Et imponatur benedictio (*taxa*) super omnes civitates parvas et magnas episcoporum ac metropolitanorum, qui sunt sub auctoritate patriarchae, et quidem pro singularum facultate, et unaquaeque earum uti potest det convenientiam (*symbolam*) patriarchae. Haec absque censura definivit synodus.

Orientales autem hunc ordinem conventus annui mutarunt propter correptiones (*flagella*), quae multiplicatae sunt in mundo, et tribulationes, ac persecutiones, quae in ecclesiam insurrexerunt, et captivitates praedonum, qui vias ac semitas interrupperunt, unde semel quovis quadriennio celebrari voluerunt conventum, ut innotescit ex canonibus Ezechielis et Theodosii.

EZECHIELIS.

Placuit synodo, ut semel quovis quadriennio simul congregentur metropolitani et episcopi apud patriarcham propter communia negotia, ut mutua ipsorum praesentia opera patriarchae dirigantur ea, quae directione egent; ea vero quae ordinata sunt, iterum confirmentur, et altius fundentur. Hic autem conventus fiat ante ieiunium magnum illius anni, patriarcha existente in civitate sua cathedrali. Quemadmodum autem tota communitas episcoporum, et metropolitanorum semel quolibet quadriennio congregatur apud patriarcham, similiter et episcopi quoque semel in anno congregentur apud suum metropolitanum mense septembri, et reforment quaecumque corrigenda sunt. Si autem causa aliqua compulsus patriarcha medio hoc tempore vocaverit communitatem rectorum, aut aliquos ex eis, statim absque cunctatione accedere debent quovis tempore ab eo vocabuntur. Siquidem vero fuerint impedimenta necessaria, quae nota sint ac manifesta, debent illa significare distincte per epistolas ab ipsis scriptas, et per presbyteros eorumdem missas. Si autem aliquis ex eis contempserit, et non egerit iuxta

latam definitionem, quando vocatur a patriarcha, poenam mereatur a synodo inferendam, donec accedat, rationemque reddat, suumque reatum coram patriarcha purget.

THEODOSII.

Antistites horum sex thronorum metropoliticorum, Elamitidis inquam, Nisibis, Pherat, Assyriae, Beth-Garmae, et Halavanae, qui honorem consecuti sunt, ut mediatores (*electores*) sint in chirotonia patriarchae, neque remoti sunt, ut reliqui, congregentur apud patriarcham quolibet quadriennio: similiter et episcopi quoque provinciae magnae. Alii porro metropolitae, Sinarum nempe, et Indiae, Persidis, et Marusitarum, Sciamae, Razichitarum, Heriunitarum, et Samarcanditarum, in longinquis dissiti regionibus, quibus obstant montium iuga infamia (*latronibus*), et maria naufragiis ac tempestatibus infesta, ne sicut ceteroquin cuperent, valeant venire, istiusmodi curent consensionis unionisque literas ad patriarcham quolibet sexennio semel mittere, atque in eisdem negotia communia locorum suorum opportuno remedio indigentia exponere; dabuntque operam, ut ex omnibus urbibus maioribus et minoribus mittatur ad patriarcham convenientia (*symbola*) secundum cuiusque facultates, et prout praeceptum est in canonibus patrum pro impensis domus patrum (*sedis patriarchalis*). Quicumque vero haec transgressus fuerit, praecepit synodus, ut is corripiatur a congregatione synodica. Et si quispiam contumax ac rebellis admonitionem ausu temerario contempserit, iudicialem poenae sententiam promereatur.

CANON 2. MARABAE.

Novit sane fraternitas vestra, o pastores vigilantissimi ovium rationalium domini nostri Iesu Christi, quod sicut corpus humanum quamdiu in hac vita transitoria consistit, regi debet per ordinationem ac mediocritatem rerum necessariarum, ne superfluitate suffocetur, aut ferarum mores induat, neve ob penuriam infirmetur et debilitetur, neve confusione turbatum agitetur, neque rebus inanibus deturpetur, et conculcetur, festinetque ad defectionem propter aliquam negligentiae culpam; ita, quinimmo magis necessitas nobis incumbit, ac vobis nobiscum, qui tenetis claves regni caelorum, ut ex tota voluntate nostra, et ex tota anima nostra, et ex tota virtute nostra solliciti simus, et curemus definitiones, et canones ecclesiae Dei, quae est corpus Christi spirituale servatoris nostri, ne scilicet ob humanam indulgentiam, et adfectionem diminuantur in populo nostro ea, quae a sapientia divina ad utilitatem nostram gerenda praescribuntur, et congruunt singulis christianorum coetibus: nam quotiescumque sanum est caput, etiam illi, qui eius subsunt directioni, facillime conservantur illaesi cum ipsum intuentur, ac per manum eiusdem diriguntur: et quoties infirmus sit ille, quicumque fuerit, propter voluntatis suae torporem, omnes illi, qui gubernantur ab ipso, eumdem contemnunt, et difficillime in ordine continentur, nam scandalum accipiunt videntes ea, quae

ille indecenter gerit. Necessarium ergo nobis est, ut ante omnia alia de negotio rectorum solliciti simus, nam ab ipsis pendet tota ecclesiae cura, ac sollicitudo, et per manus eorum perficiuntur omnia negotia timoris Dei, et sine illis certissime christianitas inter homines in terra stabiliri, crescere, et abundare non poterit.

Quo circa etiam Dominus noster, ex quo innotuit Israeli per testimonium Baptistae, et vocem quae de alto venit, statim apostolos elegit in suos discipulos, et post virtutes, ac signa quae operatus est, ac doctrinas quas docuit, necessario portendit, ac declaravit per parabolas suas illos praecones evangelii sui, et rectores ecclesiae suae fore; et donum caeleste quod recipiunt, et potestatem quam habent in excelso et in profundo, et mores qui illis conveniunt, et patientiam eorum in tribulationibus, et labores ipsorum in annunciatione evangelii; et ea, quae ab ipso erga eos geruntur, et agones eorum, ac tentationes, quas pro evangelio toleraturi essent; et ea, quae fuerunt ante nos, ac contingunt in diebus nostris, olim, et deinceps post nos futura sunt: et eosdem ab iis omnibus, quae non decent, cavere admonuit. Paulus quoque vas electionis, qui nomen Christi gestavit in populo (*iudaico*), et gentibus, per vincula, ac flagella, per tribulationes multas, et varias, quas sustinuit pro veritate, magna dilgentia et cura admonitiones fecit rectoribus ecclesiae, et ipse ordinavit metropolitas in metropolibus, ac episcopos in civitatibus.

Patres quoque sancti, qui post patres electi fuere, eadem vestigia calcarunt, nec ullus umquam metropolita, aut episcopus ausus fuit transgredi terminos sibi a patriarcha constitutos; nec episcopi sibi arrogarunt eminentiam in metropolitanos, sed frugi episcopus tempus sciebat, quo apud metropolitam conveniret; metropolitanus vero sapiens non obliviscebatur temporis, quo ad patriarcham accedere deberet, uti cernere est in plaga occidentali, et in plagis circa eam positis, ubi, quamvis in negotio fidei schismata, et contentiones obortae fuerint, in ordinibus tamen sacerdotii, et in definitionibus ecclesiasticis, nemo praesumebat contemnere, qui sui contemptus sententiam ac vindictam evaderet condignam; sed illa, quae convenienter defiuiebantur ab episcopo, quicumque esset, abrogare vel irritare non poterat metropolita ei praepositus; ea etiam quae iuste definiebantur, et interdicebantur a metropolitano, episcopus transgredi aut irritare nequibat; similiter et illa, quae a patriarcha definiebantur, et prohibebantur, episcopi et metropolitani solvere ac irritare non poterant, quia Spiritus sanctus ad ornatum sacerdotii ordinavit eos, ut scilicet coetus inferiores penderent a mediis, et medii a superioribus instar graduum, per quos ascendunt illi, qui merentur recipere promissionem assumptionis in caelum, et a quibus propelluntur, ut proiiciantur in profundum poenarum illi, qui veritati non obediunt.

Quando itaque patriarcha vocat metropolitas et episcopos, aut metropolita accersit episcopos, aut episcopus coetum filiorum suae sedis accersit, statim et sine ulla negligentia obediant eis, non enim possunt transgre-

di edictum eorum. Praeterea si confluxerint metropolitani et episcopi ad thronum patriarchae, aut episcopi ad locum metropolitani; patriarcha autem aut metropolitanus aliqua ex causa non sint praesentes in propria cathedra, episcopi aut metropolitani ingredi non possunt vel in ipsam civitatem, in qua est cathedra patriarchae; quod si vero acciderit, ut ingrediantur, non possunt ullatenus praecipere, aut visitare, aut scripturas conficere in causis regiminis, et negotiorum ecclesiasticorum sine ipso, aut sine ipsius facultate, uti nec possunt in ordine ministrare (*pontificalia exercere*). Id ipsum dicendum de episcopo in cathedra metropolitani. Verum haec permittuntur, quando cum patriarcha convenerint. Secundum hanc autem traditionem, quae apostolica est, in hac etiam nostra orientali plaga, uti et in adiacentibus plagis, haec ipsa usu obtinuerunt per voluntatem Christi, utque inviolabiliter ac immutabiliter obtineant ac serventur, definimus. At si contigerit, et Satanae incitamento oborta fuerit inimicitia, atque episcopi absque iusta causa contentionem habuerint cum metropolitano, quin et nonnulli metropolitani aliquando inconvenienter adversus patriarcham steterint, et attentaverint sine potestate aliquid edicere, vel illegitime efficere quidpiam; quia eis non competebat id quod edixerunt, neque id quod effecerunt, non suscipiatur, sed digni habeantur poena, et reatu, quoad usque emendent ea, quae attentare praesumserunt: quod si non emendaverint, prorsus deponantur.

ET POST ALIA.

Statuimus, ac definivimus, ligavimus, et anathematizavimus in verbo vivo ac divino, ne quisquam transgredi audeat ea, quae supra constituta sunt.

CANON 2. OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut ille qui vocatur a communitate, ut se ipsum emendet, si vocatus bis a capite synodi, aut a capite provinciae, aut a capite sedis, neglexerit, contempserit, et non accesserit ad congregationem; eo quod contempsit congregationem, deponatur ab omnibus gradibus ecclesiasticis: quod si haudquaquam vocetur ad congregationem patriarchae, sed ad congregationem capitis provinciae, ad patriarcham deferatur eius contemptus, et ipse praecipiat de emendatione illius. Illum vero, qui haec transgreditur, synodus oecumenica anathemati subiicit.

CANON 3. IESUIABI.

Metropolitani itaque, ac episcopi vocati ad synodum, synodum non contemnant, neque abstineant ab accessu. Si enim sciunt docere, utilitas magna proveniet ex synodis. Si vero indigeant doctrina, utilitatem magnam capient cum directione, quam communiter percipiunt ecclesiae ex synodis. Si autem metropolita aliquis, vel episcopus vocatus a synodo, accedere contempserit absque causa necessaria, quae impediat voluntatem, et canonem, quae talis esse cognoscatur cum discussa fuerit, sententia

communi suspendatur a suo ministerio, quoad usque se ipsum emendet, et excutiat, ac abiiciat a se suam superbiam, et suum contemptum; nam fortasse causa eius fieret detrimentum communitati.

CANON 4. OECUMENICORUM

DE ORDINATIONE SYNODI.

Placuit synodo oecumenicae, ut quando congregatur synodus apud patriarcham, aut apud metropolitanum, et aliquid de negotio communitatis tractandum est, et res illa iudicio, et discussione egeat, non possint illius synodi episcopi absque iussione archidiaconi, aut episcopi dioeceseos, de negotio cognoscere. Alii antem presbytero potestas non est ingrediendi in synodum, neque foris standi, et auribus excipiendi id quod in synodo pertractatur, sed solum archidiacono, et chorepiscopo. Hi vero in synodum ingressi, sedem ponant in medio episcoporum, super quam collocent evangelium, et crucem, sedeatque archidiaconus ad dexteram, et chorepiscopus ad sinistram in medio episcoporum, prout constituerit synodus, ut faciant.

In synodo autem magna, cui intersunt patriarcha, metropolitani, et episcopi, nec presbyter, nec archidiaconus, neque chorepiscopus sedere possunt inter eos. Ubi antem omnes sedem obtinuerint, ac unusquisque in ordine suo iuxta proprium gradum sederit, aliquis ex iis episcopus stet rectis pedibus, atque ter dicat hoc pacto. - Omnis, qui non fuerit episcopus, ligatus sit in verbo Domini, si permanserit in hac congregatione. Et ille etiam, qui auscultaverit in portis, et in fenestris, ipse quoque sit ligatus in verbo vivo Dei. - Eo autem ita proclamante, occludantur fores, et omnes rectis pedibus stent, et deinde unusquisque eorum offerat orationem; et ubi omnes sic oraverint, singuli eorum accedant, ac sedeant in propriis locis. Et occulte in mysterio sermo habeatur de causa, propter quam convenerunt; et uti decet pietatem cognoscatur negotium illud. Et si cum charitate dirimatur, ne publicetur. Et si rursus aliter contigerit, puta si casus de depositione alicuius ex iis sit, ubi negotium integre atque perfecte fuerit gestum, tunc manifestetur omnibus. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica anathemati subiicit.

CANON 5. OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut episcopis simplicibus non liceat sine metropolitanorum facultate conspectum patriarchae adire: neque etiam liceat cuiquam episcopo, aut metropolitano absque facultate patriarchae adire conspectum regis. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica sub censura constituit.

XX. *Canones, et poenae diversae unicuique crimini statutae.*

Si episcopi aut metropolitani dimittantur, ac deponantur in congregatione synodica patriarchae, non potest patriarcha alio tempore habere congregationem, et discutere causam, quae semel iuste discussa fuerit a patriarcha illo, qui obiit. At si episcopus, aut metropolitanus, qui a pa-

triarcha defuncto depositus fuit, demonstraverit causam aliquam, quae in illa synodo integre, ac plene non fuerit discussa, tunc patriarcha alius debet in synodo episcoporum fratrum eius, qui depositus fuit, discutere causam. Et si fieri non possit, ut accedant, scribant, et suis scriptis notum faciant patriarchae. Si autem omnes *scripturae* non fuerint dispositae, neque episcopi accedere possint, patriarcha scribat ad metropolitanum, qui proximus eis fuerit, et hic cum episcopis suis, saltem tribus, cum congregatione episcoporum illius provinciae filiorum, pergant, et discutiant; quod si iuste quidem lata sit depositio illius, patriarcha cum auctoritate praecipiat, eum cohiberi. Si vero deprehendatur, fraudem passus fuisse, eo quod plene non fuerit discussa eius causa, innocens in iudicio eius declaretur. Neque enim ullo prorsus modo aut praetextu episcopi, ac metropolitani impedire, aut sistere possunt censuras, quae a patriarcha latae fuerint. Haec porro breviter scripsimus, ut cognoscatur ordinatio graduum ecclesiae, neque canones ecclesiae a patribus opera Spiritus sancti praescripti confusionem aut perturbationem ullam patiantur.

CANON 2. OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut si episcopi, aut clerici aliqui deprehensi fuerint delictis dediti, quae delicta omnibus communiter aperta ac manifesta ita sint, ut ne testes quidem requirantur; at propter assentationem eorum, aut propter munera, aut propter honorem, in quo habentur ab omnibus, relinquuntur, neque rectores illis praepositi poenam, ac ultionem exigunt de eorum criminibus; siquidem patriarchae rem ita se habere innotuerit; qui deprehensus fuerit cum istis in aliquo communicare, una cum eis, et eorum instar a sacerdotio deponatur. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica anathemati subiicit.

CANON 3. OECUMENICORUM.

Placuit synodo oecumenicae, ut episcopus, aut metropolita, aut catholicus, qui deprehensi fuerint in adulterio, aut fornicatione, aut sodomia, aut crimine, quod eiusmodi sit, statim deponantur, neque sacerdotio fungi amplius permittantur, etiamsi paenitentiam exhibeant; tunc enim solum non priventur communione cum ecclesia. Eum vero, qui haec transgressus fuerint, synodus oecumenica excommunicationi subiicit.

CANON 4.

SYNODI ISAACI.

Si quis catholicus, aut metropolita, aut episcopus deprehendatur in fide sua haudquaquam purus, sed et sententiam teneat dogmaticam haereticorum, et in suis moribus tyrannice, et non recte, ac extra scopum suae vocationis se gerat, non vero sicuti congruit pietati, cuius schema induit, et damni exteris ac domesticis causa existat, deponatur, ac repellatur a magno sui ministerii gradu, quoniam horum scandalum extenditur ad plurimos.

CANON 5. EIUSDEM.

Si quis catholicus, aut metropolita, aut episcopus, aut presbyter, aut clericus nomen separaverit (*profanaverit*) et conviciatus fuerit, uti in israelitica gente diebus magni Moysis, deponatur, neque ministret in capite populi. Homines enim huiusmodi offendiculum sunt ecclesiae.

CANON 6. EIUSDEM.

Si quis catholicus, aut metropolitanus, aut episcopus, aut archidiaconus, aut periodeuta delatam sibi causam iudicandam, iustamque cognitam declinaverit ob munus, aut acceptionem personarum, propter amicitiam, aut propter metum, aut respiciens magnitudinem personae;arceatur a ministerio gradus sui, prout opus ipsius dignum interdictione videbitur; depositionem tamen non subeat.

CANON 7. EIUSDEM.

Si quis ex numero eorum,* quos recensuimus quum veritatem, ac iustitiam cognosceret, et aperte perspiceret aequitatem, testimonium falsum dixerit, ac mentitus fuerit coram Deo, et angelis eius, homines huiusmodi dimittantur e gradibus suis, quia sustulerunt iudicium Dei a conspectu oculorum suorum.

CANON 8. EIUSDEM.

Si quis ex catholicis, et usque ad diaconos, assidue verba turpia protulerit, et non potius verba pudica, et sancta, quae utilia sint ad aedificationem auditorum; et si sint aliqui, qui bis proferant verbum, quod prohibuit apostolus caelestis, a sacerdotibus admoneantur eum increpatione: quod si ab his non desistant, repellantur a ministerio graduum suorum, quoad resipiscant, et scripto se obligent, quod scilicet si ad consuetudinem hanc redierint, damnationi subiacebunt.

CANON 9.

Si quis ex ordinibus recensitis inventus fuerit ebrius aut temulentus, vel cesset ab actibus, quibus est obnoxius, vel interdicatur ei ministerium exhibere in capite populi. Scriptum est enim ab apostolo divino: ebrii regnum Dei non possidebunt.

XXI. *De terminis, qui actori, et reo praescribuntur ad crimen, vel innocentiam probandam.*

Si ille, qui accusatur, innocens appareat, accusatores eius sine poena non relinquantur: puta si quis fidelis accusat sacerdotem de fornicatione, aut de aliquo eorum propter quae sacerdos anathematizari mereatur; constet autem, quod fidelis ille inique ac mendaciter eum sacerdotem accusaverit, fidelis idem ab ecclesia exeat, et fidelium communione dignus non habeatur. At si resipiscat, et paeniteat ipsum sceleris admissi in testimonio edito, per consistentiam in sacco et cinere suscipiatur, et per oblationem quam offeret ad altare Dei.

Si vero aliqui episcopum de fornicatione, operibus immundis et non religiosis accusaverint, actio eorum examinetur; quod si mendaciter et inique episcopum accusasse depre-

hendantur, quo scilicet episcopus eam ob causam exiret ab ecclesia, et a gradu suo deiiceretur; si illi accusatores eius de victoria sibi blandiebantur, et cordis laetitia gestiebant, ita modo, episcopo innocente reperto, accusatores eius rei inventi, suscipient poenam a synodica congregatione, cui manifesta sit causa, et excommunicentur, atque removeantur a mysteriis sanctis, alienique fiant a consortio christianorum. Si autem metropolitanus a fidelibus, clericis, et episcopis accusatus, innocens extiterit in synodo, quae coram patriarcha celebratur pro illius examine, uti praeceptum est, ipsi quoque episcopi, qui mendaciter accusarunt metropolitanum, omnino deiiciantur e suis gradibus, et ne suscipiantur; clericis autem interdicatur ministerium sacerdotii proprii; fideles vero excommunicentur.

Si fideles, clerici, episcopi, et metropolitani accusaverint patriarcham, et in concilio magno et generali, quod ad examinandam patriarchae causam convocatur secundum praeceptum, accusatores rei comparcant, episcopi quidem, et metropolitani in aeternum ad ministerium regiminis exercendum non admittantur; presbyteri autem e suis gradibus depellantur; fideles vero excommunicati cum maledictionibus eiiciantur, et repellantur ab omni Christianorum communione, neque eis locus paenitentiae pateat, nisi prius unum annum extra ecclesiam exegerint. Si autem emendationem ac paenitentiam ostenderint, suscipiantur in sacco et cinere. Si autem ad hance paenitentiam non confugerint, quamdiu in vivis est patriarcha, qui ab eis accusatus fuit, in ecclesiam recipi non debent. Si vero accusatores descriptorum coetuum temere et vane non accusaverint, quin immo ipsi accusatores, omnibus rebus rite discussis, adhibitis nempe testibus veracibus, victores deprehensi fuerint, agatur cum singulis coetuum reorum quemadmodum supra constitutum est.

XXII. *Quodnam discrimen sit inter excommunicationem, ligamen, prohibitionem. Et quisnam ex antistitibus facultatem habeat damnandi, et quaenam damnatio irrita sit ac nulla.*

Damnatio (*depositio*) porro est (*instar*) mortui, qui non recipit vitam, et in sacerdotes dumtaxat, et principes sacerdotum fertur: et ille, quicumque fuerit, qui deponitur, ne tempore quidem suae paenitentiae induit gloriam, qua spoliatus fuit omnino. Discrimen autem, quod excommunicationem inter et suspensionem est, et inter veram et non veram (*validam*) depositionem, ex canone oecumenico certo discimus.

CANON.

Placuit synodo oecumenicae, ne sacerdotes excommunicationis vocabulo uti possint. Discrimen namque magnum est inter excommunicationem, et ligamen. Illi enim, qui sunt domestici, et crimen patrant, et quos sacerdotes volunt arguere, ligamine et prohibitione utantur erga eos, et non excommunicatione; quoniam ligamen, et prohibitio domesticorum sunt, eisque possunt sacerdotes corripere delinquentes. Excom-

municatio autem non domesticorum, sed exterorum est, neque quilibet ea uti potest, nisi tota communitas simul: quia cum proferimus eam cum anathemate, facimus distinctionem illam, quae inter orthodoxos cernitur ac haereticos: porro impossibile est, ut per ligamen et prohibitionem fiat talis distinctio, sed per excommunicationem. Et propter hoc magna a sacerdotibus adhibenda est cautio, ne gladio hoc excommunicationis utantur erga domesticos; quicumque enim illo petitur, separationem incurret a vita futura. Ligamen autem, et prohibitio aliud non est, nisi praeceptum, quo homini definitio fit, ne transgrediatur rem, quae ipsi praecepta est. Et in hac quidem sanctione homo perstare debet, donec dederit ei facultatem ille qui eum ligavit. Excommunicatio autem non est praeceptum instar ligaminis, sed distinctio est intercedens inter rem et rem, et inter mortem ac vitam, inter sanctitatem et condemnationem, inter pacem atque destructionem. Dicimus vero inter mortem et vitam instar illius distinctionis, quae separabat ab Israele, ita enim dictum est eis: anathema intra te Israel (*in medio tui*): perinde ac si dixerit quispiam, distinctio intra te. Et inter sanctitatem ac condemnationem, sicuti vovit Iosue Bar-Nun aurum, et argentum Hierichuntis Domino: dictum quippe est, et accepit ex anathemate, et abscondit. Et illud etiam, quod dicitur inter pacem et destructionem, sicuti filii Agar, qui servabant anathema, quasi dicat aliquis, separarunt se ipsos a bello, et caede, ut accederent ad pacem. In his ac similibus cernitur anathema, quod separationem efficit inter rem et rem. Nemo ergo ex sacerdotibus potest per anathema separare quempiam fidelem a communitate, quia anathema exclusionem efficit ab omni hereditate familiae ecclesiae catholicae. Sed homo, qui delinquit, ligetur, et prohibeatur in verbo Dei, non tamen excommunicetur et exscindatur ab ecclesia Dei, tamquam alienus; namque ab anathemate amputatio spei fit. Unde si quis extiterit, qui ignoranter faciat hoc, et excommunicationibus utatur, sit ei venia per orationem. Si autem cum scientia fecerit, magna poena multetur. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica excommunicationi subiicit.

CANON.

Placuit synodo oecumenicae, ne metropolitanus potestatem habeat delinquentem episcopum, qui subsit eius potestati ipse solus cum episcopis suis damnandi: neque recipiatur damnatio adversus episcopum constituta, absque patriarchae auctoritate: sicuti neque ob paenitentiam, si oportuerit, suscipiatur sine facultate ipsius patriarchae. Eum vero, qui haec transgressus fuerit, synodus oecumenica excommunicationi subiicit.

TRACTATUS IX.

DE IIS, QUAE SPECTANT AD MAGNAM PATRIARCHATUS DIGNITATEM, DEQUE EIUSDEM SUBLIMITATE, ET QUAENAM HONORI IPSIUS CONGRUANT, ATQUE DEBEANTUR (1).

I. *Quot patriarchae ab apostolis instituti sint in universo mundo.*

Loca itaque, in quibus a sanctis apostolis dignitas patriarchalis instituta fuit, urbes istae sunt quinque, in universo scilicet mundo maxime celebres, et conspicuae, quas et urbium matres esse novimus. Primo loco est Babylon: ea quippe metropolis est, materque urbium, et idcirco caput regni Assyriorum fuit, sicut primogenitus prophetarum (*Moyses*) docuit. Secunda est Alexandria, quae ab Alexandro magno condita fuit. Tertia Antigonia, quae ab Antigono aedificata, ab Antiocho postea aucta, et exornata, ex eius nomine Antiochia appellata fuit. Quarta est magna Roma, quae a Romulo condita, ab eodem nomen accepit. Quinta Byzantium, quae urbs ab imperatore Constantino Constantinopolis dicta est. In his ergo quinque urbibus post revelationem Dei Verbi in carne, a beatis apostolis constituti fuerunt quinque episcopi metropolitani, qui et patriarchae nominantur. Et quoniam praedictis civitatibus non ex principatu et antiquitate solummodo patriarchalis dignitas et praerogativa accessit, sed etiam propter apostolum qui in ea docuit, et regem qui in ea regnavit, magnae Romae data fuit (*praerogativa*) propter geminas columnas in ea positas, Petrum, inquam, apostolorum principem, et Paulum doctorem gentium: ipsaque est sedes prima, et caput patriarcharum. Secunda autem sedes est alexandrina. Tertia est Ephesina. Quarta est Antiochena. Reapse causa propria huius rei est excellentia apostolorum, qui illas sedes condidere, atque rexere, Simonis inquam Petri, Marci evangelistae, Lucae, et Iohannis evangelistarum. Quinta autem sedes est Babylon propter honorem trium apostolorum, doctorum ditionis eius, Thomam, inquam, Indorum et Sinensium; Bartholomaeum, qui est Nathanael, Arameorum; Adaeum e septuaginta magistrum Aghaei et Maris, Mesopotamiae scilicet et totius Persidis. Collatum autem fuit postmodum donum perfectum patriarchatus sedi apostolicae, quae Seleuciae et Ctesiphonte est, quae nomine tenus ut diximus tale (*donum*) possidebat causa turbarum, quae ecclesiae acciderunt ex calumnia servorum diaboli, Crucifixorum (*Iudaeorum*), atque Manichaeorum. Duo quippe patriarchae

(1) Capitulum hoc Ebediesu Sobensis in pontificali Nestorianorum libro syriace et latine vulgavit Assemanus iunior in cod. liturg. tom. XIII. p. 148.

eruci affixi fuere ante fores ecclesiae Antiochenae, alter Arameorum, Antiochenus alter, et factus est luctus unus in ecclesia orientis et occidentis communis, atque horum pastorum sanguine duplicata illi potestas est instar patriarcharum. Et primum qui patriarchicam praerogativam accepit, quidam aiunt, Schiachupham fuisse, alii Papam. Ad horum autem confirmationem et dilucidationem canones occidentalium adsunt.

CANON OECUMENICORUM (nicaen. 37.)

Placuit synodo occumenicae, quatuor patres esse in universo mundo, veluti quatuor evangelistae, et ut veluti quatuor flumina, et etiam quatuor fines orbis, sicut et ipsi sapientes saeculi dicunt, quod quatuor sint elementa, ex quibus mundus fit. Sit autem caput romanus (*pater*) iuxta praeceptum apostolorum, quod tulerunt in suis canonibus. Ei vero succedat alexandrinus, cui succedat ephesinus, quem excipiat antiochenus. Episcopi autem omnes ita dividantur, ut sint subiecti istis quatuor. Et omnium civitatum magnarum, quae sunt metropoles, episcopi nominentur metropolitani ex nomine civitatum suarum; sitque eis potestas super episcopos civitatum parvarum, quae subiectae sunt metropolibus suis; et per impositionem manuum metropolitanorum constituantur illi simplices episcopi. Neque liceat metropolitanis, ut ab iis, qui minores se sunt, ac sub ipsorum potestate constituti, ipsisque subiecti, constituantur; quoniam qui simplicem, et non duplicatum gradum tenet, potestatem non habet eum constituendi, qui praestet ipsi. Si enim in se ipso non possidet hanc facultatem, quî potestatem habeat, ut illam alteri concedat? Sed singuli metropolitani a suo patriarcha fiant, et omnis episcopus simplex a proprio metropolitano ordinetur, et unusquisque uti est, in proprio gradu ministret. Quicumque vero transgressus fuerit haec, synodus oecumenica eum anathemati subiicit.

CANON (nicaen. 38).

Placuit synodo oecumenicae, ut patriarchalis, sedes Ephesi transferatur in urbem Byzantium, ut sit honor utrique parti simul, sacerdotio nimirum et imperio. Episcopo etiam Ephesi sit honor, neque conculcetur, eo quod exinde sedes translata sit. Episcopus insuper Hierusalem ne amplius subiiciatur Caesareae, sed et ipsi quoque sit honor ob locum sanctum. Sedi etiam Seleuciae, quae est in regione orientis, sit facultas ab hac die in posterum, ut faciat metropolitas, qualis potestas est patriarchis, ne scilicet ob assensum, et descensum eorum ad patriarcham magnum, qui est in regione Romanorum quae est Antiochia, inimici fratrum nostrorum christianorum, qui ibidem sunt, inveniant causam, et suscitent persecutionem adversus eos. Ipsi quoque patriarchae antiocheno id placeat, propter supplicationem totius communitatis, et non contristetur ob potestatem multam totius orientis, quae erepta ei est: quandoquidem ob quietem fratrum nostrorum, qui inter Persas sunt, id factum est, ne scilicet vane accusentur, et moriantur per manus ethnicorum. Si autem eau-

sa postulaverit, et congregetur synodus in regione Romanorum, contingat vero, ut etiam reperiatur inter eos Seleuciae antistes, cum sederit in throno, ampliori honore donetur, quam reliqui metropolitani romani qui ibi adfuerint, quoniam locum patriarchalem tenet in oriente per concessionem.

II. *De electione et ordinatione patriarchae, quo pacto, et a quo peragenda sit* (1).

MARABAE.

Marabas itaque ille magnus catholicus et martyr in sua epistola synodica sic praecipit. Ne autem canones multo sudore ac labore conditi post nos confundantur, et ecclesia perturbetur; definivimus, atque statuimus ego Abas patriarcha, et nos metropolitani, et episcopi, ligavimus, atque anathematizavimus in virtute patris adorandi ac principii expertis, et in verbo filii eius aeterni, et in potestate spiritus eius sancti, ne quis censura, aut ecclesiastico alio vinculo innodatus, aut criminis alicuius reus, aut primatum ambiens, aut sui ipsius amator, vel pecuniae cupidus, et suis serviens desideriis, eaque charitati Dei praeferens, praeficiatur post obitum meum, et in throno meo sedeat, et regimen magni operis patriarchatus obtineat. Volumus autem, ut ab episcopis eiusdem sedis patriarchalis de consensu omnium episcoporum, et amharum urbium admoneatur metropolita Beth-Lapethae, si canonice fuerit constitutus, deinde metropolita Perath-Maisan, deinde metropolita Arbelae, deinde Beth-Seleuciae. Et isti quatuor ad has urbes accedant, ternos secum ducentes ex singulis quatuor praedictis provinciis episcopos, simulque congregati de consensu utriusque urbis eligant virum a qualibet infamiae nota liberum, qui valeat perfectam fidem caute custodire, et rectam confessionem praedicare, et ecclesiasticorum canonum observantiam vitae suae anteferre, et sapienter gubernare in omni castitate et puritate. Hac porro lege electum ad ecclesiam Cochensem deferant, secundum patrum traditionem, et in sede catholica collocent, ut locum nostrum post obitum nostrum obtineat, quem sanctae Trinitatis, quae est super omnia, quaesumus, misericordia custodiat, confortet, et corroboret, ut praesit populo christianorum ad laudem Dei patris, et Christi, eiusque Spiritus sancti. Si vero post obitum nostrum aliter fiat, praeter ea, quae diximus, et decrevimus, et definivimus, ira Dei veniat de caelo super eos, qui secus fecerint, et super omnes eos, qui cum illis partem habuerint, in nomine universi christianorum coetus. Haec itaque docuimus, et decrevimus in verbo Domini nostri, ut post obitum nostrum custodiantur. Si autem postquam ego patriarcha decessero, non sicut hoc scripto a nobis constitutum est, alter pro me patriarcha creetur, irrita et inanis huiusmodi electio sit, eamdemque censuram incurrant, qui eam fecerint. Sique patriarchae electio non fiat in magna ecclesia Cochensi, sed extra ipsam magnam ecclesiam, et ab epi-

(1) Hoc pariter caput syriace et latine vulgatum fuit in tom. XIII. cod. liturg. a pag. 156.

scopis ac metropolitanis contra hoc constitutum nostrum; ab hoc magno ministerio, et ab omnibus gradibus sacerdotii excidisse declaramus, et eum, qui electus fuerit, et eos, qui eum elegerint, anathemati subditos fore usque in saeculum ex mandato gloriosae Trinitatis patris, et filii, et spiritus sancti. Amen. Iesuiabus autem patriarcha in suo libro synodorum ita, praeter reliqua, dicit.

IESUIABI.

Postquam obdormierunt primi, hoc est chorus duodecim apostolorum, qui tenebant ordinem excelsum patriarchatus; et secundi, hoc est coetus sanctus septuaginta, qui erant tamquam metropolitani post patriarchas; ordinavit Spiritus sanctus sedes et thronos ubique per divisiones patrum, et constituit quatuor patriarchas in parte occidentali ad ordinandos per eorum manus principatus omnes, qui ibi sunt, cum ordinibus, qui eis subiecti sunt. Et constituit quintum patriarcham parti orientali, ut sicuti illi quatuor principatus filiorum occasus solis ordinati sunt, et gubernant gradus omnes sacerdotum, qui ibi sunt; sic etiam principatus iste filiorum ortus ipsius solis obtinuit, ut ordinaret plagam principem plagarum populorum, qui veritati se se discipulos exhibuerunt, et ipsa refulgens fide veritatis tenet baculum liberum et apostolicum matris principatuum ad similitudinem Petri principis apostolorum, et Pauli architecti ecclesiae: et obediunt principatui ipsius paterno omnes illi, qui administrant principatum sedium paternarum, idest metropolitani, et episcopi: et quemadmodum facultas non est gradus inferioris episcopis transgredi sanctionem et praeceptum episcopi tenentis principatum totius regionis; similiter facultas non est metropolitis provinciarum principibus, et episcopis regionum minorum principibus repugnare, et transgredi prohibitionem, et praeceptum patriarchae principis patrum, qui paterne et canonice sacerdotio fungitur, quando praecipit iuxta voluntatem Christi circa dispensationes ecclesiasticas, ne christiani sint veluti oves pastore destitutae, si ordinata non sint ecclesiastica negotia omnia magis, quam omnes ipsi ordines. Sic enim voluit Spiritus sanctus, ut divideremus omnes ordines, ut unus supra omnes esset, qui ordinet ordinantes, et eos, qui ordinationi subsunt, et in quo connectuntur tamquam membra capiti coniuncta, ex quo procedit intelligentia, et in quo est etiam sensibilitas; altera quidem, quae custodit motus, et cogitationes animales, ne evanescant; altera vero, quae custodit sensus, et membra corporea, ne laedantur; simili etiam modo princeps principum ecclesiae, a quo procedunt ordines saccerdotales intelligibiliter, et ab eo manant praecepta communia paterne. De hoc praecipitur canonice, ut in chirotonia eius tres aut quatuor metropolitani congregentur, habentes secum binos aut ternos episcopos ex provinciis suis. Congregantur autem ipsi metropolitae, et episcopi cum ipsis adsunt, quando convocantur scripto ab episcopis hyparchiae magnae, et ab archidiacono, ac principibus ecclesiae, et

fidelibus nobilibus utriusque civitatis Mahuzae. Cum autem metropolitae, sociique eorum episcopi advenerint, primum in congregationibus generalibus metropolitarum, et episcoporum, sacerdotum, et fidelium civitatum Mahuzae fit de electione examen; et eligitur per electionem remotam a praeviis negotiationibus, et personarum respectu, atque irreprehensibilem a Deo, persona illa, quae idonea et apta est ad regendam sedem patriarchalem, et principatum patrem principatuum. Et tunc metropolitae, et episcopi absque cunctatione ordinationem electi perficiunt. Quamobrem nos omnes consentientes, idest ego Iesuiabus patriarcha, nosque metropolitae, et episcopi, quibus de ordine et pace ecclesiae fidelis, deque christianae religionis, eiusque principatûs decore cura amabilis est, mandavimus, et definivimus in potestate caelesti, ut haec ita in ecclesia obtineant. Item definivimus, quod quicumque ex metropolitanis, episcopis, sacerdotibus, et fidelibus contempserit, et respuerit, neque obedierit omnibus rebus, de quibus a patriarcha iuxta voluntatem Christi, praeceptum et constitutum acceperit, illum, quicumque fuerit, omnes anathematizamus, et alienum a suo ministerio et gradu facimus cum in verbo Christi, quoadusque confundatur, corrigatur, et convertatur ab insipientia sua, et subiiciatur principatui ecclesiastico. Nemo vero in verbo Dei potestatem habeat aliter faciendi.

III. *Si res publicae turbatae fuerint, aut ecclesiae persecutio contigerit, quonam pacto, instante necessitate, ordinatio patriarchae peragenda sit.*

CANON MARABAE ET ISAACI.

Hoc pariter dictum fuit, quod cum ille, qui ad summam dignitatem paternitatis sacerdotii eligitur, cum consensu totius communitatis eligitur, debent omnes metropolitae, episcopi sive per accessum sive per scripturas communitatis voto assentiri. Si autem tempus confusionis ac perturbationis contigerit, et christianis molestia ab exteris inferatur, cum consensu duorum metropolitarum, et episcoporum provinciae magnae, communitatis caput constituatur, et rector, et christianis afflictio, ac persecutio ab iis, qui contra eos sunt, non superaddatur, neve amplius locum sibi inveniant perturbatores illi, qui nomine tenus christiani vocantur, et divisiones ac schismata conflant, quemadmodum nostro tempore accidit (1). Quamobrem haec definivimus, ut quando clerici, qui in

(1) Elias Nestorianus Damasci metropolita, saeculi IX. auctor, Nomocanonem scripsit, qui arabice exstat in bibliotheca vaticana apud Assemanum seniorem tom. II. biblioth. pag. 507: ac Nomocanonem ipsum in duas partes distribuit Assemanus senior tom. III biblioth. orientalis cap. 131. pag. 513, et seqq.. Occasionem itaque et caussam, quibus Marabas ad has synodicas scribendas de patriarchae electione impulsus est, refert his verbis. - Habuit autem Mar-Babuaeus uxorem, et liberos: eoque mortuo, catholicus factus est Silas, qui itidem nec uxore, nec prole caruit. Quo defuncto catholici dignitatem inter se diviserunt Narses, et Elisaeus: easque Paulus excepit, qui post biennium extinctus est, eique suffectus fuit Mar-Abas primus nono anno regis Chosroae Anosciruani. Et hactenus quidem per quindennium catholicorum successio perturbata fuit propter christianorum de ea dignitate dissidium, ex quo factum est, ut eadem a duobus, Nar-

duabus civitatibus sunt, una cum episcopis provinciae magnae, et consensu duorum metropolitarum, omnium provinciarum caput et rectorem eligunt bona voluntate, et mente recta, ac remota ab acceptione personarum, et ab humanis passionibus; omnes provinciae bona voluntate, ac laetae cum suscipiant, qui per Spiritus sancti gratiam ipsarum caput et rector traditus est, et tamquam discipuli fideles honorem, quem filii parentibus exhibere debent, cum adoratione per litteras, patriarchae patri spirituali deferant. Hic vero eadem prorsus ratione omnes fratres suos ac filios, metropolitas, et episcopos vicissim honoret. Si autem contigerit, ut una ex provinciis repugnet, omnes provinciae poena districta, eaque gravissima, in illam animadvertant. Quoniam si manum extendunt audacter in caput, in eos quoque, qui ipsis inferiores sunt, audacter manus extendent.

IV. *Si metropolita Elamitidis una cum aliis vocatus ad ordinationem accedere noluerit, quid faciendum erit?*

CANON

EX SYNODO TIMOTHEI (1).

Ne in posterum contingat, quod nostris hisce diebus accidit, et ex quorumdam negligentia, vel ex aliorum festinatione schisma oriatur in ecclesia, aut dissensiones augeantur, canonem etiam istum sanximus, atque verbo Dei caelum terramque sua potestate continentis firmavimus, praecipientes in verbo Dei omnipotentis, et cuncta gubernantis, ne quis illum transgrediatur. Cum ergo contigerit, patriarcham vita temporali decedere, accedat episcopus Cascarensis una cum fratribus suis episcopis provinciae magnae ad civitates catholicas, atque de consensu civitatum literas scribant, quas primum mittent ad metropolitam Elamitidis, et ad eius episcopos; deinde ad Nisibenum, postea ad Bassorensem, et ad reliquos descriptos in epistola pragmatica, moneantque eos, ut ad fratres suos accedant ad ordinationem patriarchae. Sin vero episcopi, et habitatores ci-

sede scilicet, et Elisaeo, simul occuparetur. Divisa itaque inter duos catholicos prima sede, reliquae inter duos metropolitas, vel inter duos episcopos scissae sunt, dum suam quisque factionem tuetur. Quam ob causam odia, atque schismata inter christianos orientales exorta sunt, omniaque sordeque permixta, atque perturbata fuere, et ecclesia, monasteriaque in factiones discisse. Auctoritate tamen Marabae, eiusque precibus dualitas catholicorum, metropolitarum, et episcoporum sublata fuit, et ecclesiarum regimen ad unum rediit. Marabas itaque operam dedit, ut omnia vitia illa tollerentur, et ecclesiae filii suos emendarent mores, atque religio iuxta fidem legesque apostolorum, et canones antiquorum patrum occidentalium et orientalium restitueretur. Atque hoc negotium urgere institit datis per omnes regiones epistolis, et missis legationibus. Nec his contentus, Cascaram profectus, affluentibus ad ipsum episcopis, rogatus est, ut bonum eo praestantem eidem episcopum praeficeret. Inde una cum illa episcoporum synodo provinciam Tigridis, postea Huzitas, mox etiam Persidem circumlustravit, et ubique res christianorum composuit, et incolas ad pacem et concordiam reduxit, doctosque metropolitas, et episcopos, et ecclesiae regimini idoneos instituit, eiectis errorum, et dissidiorum auctoribus tum metropolitis, tum episcopis, tum etiam laicis, multoque plura in hoc negotio, quam ipse cogitaverat, optaveratque consecutus est. – Plura de Marabe vide apud Assemanum seniorem in bibliotheca tom. III. pag. 75. et seqq., et tom. IV., et apud iuniorem in comment. pag. 25. (1) Timotheus circa annum Graecorum 1089., Christi 778, in patriarcham Nestorianum electus obiit anno Christi 820. Constitutionem autem fecit, postquam dissidium, quod propter suam ipsius ordinationem ipsum inter et metropolitam Gendisaporensem exortum fuerat, sedatum est. Assem. sen. tom. III. pag. 158.

vitatum electionem et consecrationem patriarchae facere praesumpserint, antequam metropolita Elamitidis, et reliqui supra descripti metropolitae una cum tribus episcopis ex singulis provinciis accesserint, aut suum suffragium propria manu subscriptum per legatos ad ipsos missos transmiserint; dicimus in verbo Dei, cuius potestas caelum et terram continet, istum ausum illis nullatenus licuisse. Si vero temere hoc praesumpserint, definitionem istam transgredientes, alienos fore declaramus, et interdictos ab ecclesia, quae in caelis est, et ab ecclesia, quae est in terris, una cum filio, hoc est abortivo temeritatis, quem pepererc. Ita in verbo Domini nostri. Ipsi autem metropolitae Elamitidis, metropolitis supra nominatis, et episcopis praecipimus, ne postquam litteras acceperint ab episcopis provinciae magnae, et habitatoribus civitatum, accedere per se cunctentur, sive suffagium suum transmittere ad fratres suos; et hoc dicimus in verbo Dei, cuius potestas caelum et terram continet, illis nequaquam licere. Quare si neque suffragio scripto, neque per se ipsos cum primis legatis ad eos missis, fratribus suis, communicare voluerint, alienos fore declaramus, et interdictos ab ecclesia, quae in caelis, et ab ecclesia, quae est in terris, in verbo Domini omnipotentis. Tum vero licebit illis, qui secundum canonem congregantur, omnia perficere legitime, et iuxta ordinem. Qui porro virtutibus animi minime ornatus fuerit, neque munda mente fulserit, neque orthodoxae fidei splendoribus claruerit, neque scientia scripturarum divinarum praeditus fuerit, hunc sane nolumus eligi, aut promoveri ad ministerium istud tremendum ac divinum. Qui dotibus huiusmodi carentem eligere praesumpserint, terribilis iudicii sententiam merebuntur; qui vero animam suam dederit, cum sit praedictorum ornamentorum expers, se se flammis devotum noverit.

V. *Quinam sint canones, quibus ostenditur potestas patriarchae ad omnia christianorum negotia, deque honore, qui ab universis christianis ei debetur.*

Ex canonibus itaque istis, quibus haec ostenduntur, quidam potissimum ostendunt patriarchae potestatem super communitatem; quidam vero sunt, quibus praeceptum (*cautum*) est de communitate metropolitarum, episcoporum, et clericorum, quos tractatu tertio supra recensuimus; ex iis namque clare innotescit honor, maiestas, ac potestas, quam habet patriarcha supra communitatem. Reliquum ergo est, ut nunc describamus, atque recenseamus canones, et definitiones, specialiter, ac proprie manifestantes et significantes praestantiam, excellentiam, honorem, et potestatem patriarchae super omnia negotia communia, et particularia, quae in ditionis suae politia universa geruntur. Ac primo describimus synodicam epistolam occidentalium, qua metropolitae magno Seleuciensi patriarchatus auctoritatem dederunt. Illa porro sic habet (1).

(1) Syriace, et latine edita fuit ab Assem. sen. tom. III. biblioth. orient. pag. 52; latine autem tantummodo ab Assem. iun. cod. liturg. tom. XIII. pag. 182.

EPISTOLA SYNODICA PATRIARCHARUM OCCIDENTALIUM, QUAE AD ORIENTALES MISSA EST.

Fratribus, et membris nostris christianis, qui in oriente sunt, fratres vestri in Christo coetus pastorum, qui persecutionem patiuntur, in Iesu Salvatore nostro, pax iis multiplicetur. Nos etsi indigni, sumus tamen patres vestri, qui nobis filii estis; et fratres patrum qui nobis praesunt. Volumus ergo solvere debitum, quod tamquam patres vobis debemus: bonas scilicet constitutiones vobis fratribus, filiisque nostris in Christo sancire, hac praesertim tempestate, qua propter utriusque imperii discordias persecutio in nos commota est. Nos itaque pastores persecutione, quam patimur, admoniti, verbum scripturae recolimus dicentis: tribulationi nullum esse modum, praesertim nostrae, qui christiani sumus, adeo ut uno tempore duorum patrum sanguis innocens effusus fuerit. Quae res universam terram commovit, et communi, eoque amaro luctu ecclesiam Dei in occidente, atque in oriente implevit. Postquam vero illi duo patres, quorum unus ex occidente, alter ex oriente, perierunt, ambo enim ad fores ecclesiae apostolorum urbis Antiochenae suspensi fuere, placuit fratribus nostris atque nobis, ne videlicet fratres nostri christiani, qui orientem incolunt, orbi remaneant, ut quandocumque magnus ille metropolita, qui Seleuciae in urbe regia Arsacidarum in magna ecclesia Cochenai totius orientis principatum tenet, decesserit, et exierit ex hoc saeculo, Antiochiam nullus metropolita amplius ascendat ad suscipiendam iuxta antiquum morem, ordinationem, ne, ob regum inter se discordias, et odia, innocens sanguis pontificum in posterum effundatur, quemadmodum nostra aetate contigit: vidimus enim spectaculum luctuosum atque terribile, duos nempe patres e totidem crucibus pendere nudos, proptereaque persecutionis tempestatem in oriente iuxta ac in occidente fuisse excitatam.

Idcirco decrevimus facultatem concedere, per quam ab effusione humani sanguinis deinceps immunes serventur. Quemadmodum vero olim spiritus suffragio, et apostolorum sorte illi datus est, ut universae ecclesiae Dei, quae illic est, magnus metropolita foret; similiter illi tradita est potestas, et auctoritas super omnes mundi metropolitas. Quamobrem eius thronus quatuor orbis patriarchas subsequitur tenentes quatuor thronos iuxta evangelistarum numerum, Matthaei videlicet, Marci, Lucae, et Iohannis: dataque itidem illi facultas, ut episcopos ipse instituat totius orientis, et ultra, Assyriae nimirum, Mediae, atque Persidis, et gubernationem christianorum obtineat: universusque insuper sacerdotum ordo ab impositione manus eius procedat. Decedente autem hoc magno metropolita, eius successor ab antiocheno patriarcha constituatur, quia Spiritus sanctus non permittit, ut filii patrem sibi per suarum manuum impositionem generent, sed neque in saecularibus potestatibus maiores a minoribus procreantur: idque ab antiquis nostris patribus definitum fuit iuxta illud, minorem a maiori benedici oportere, sicut Abraham gentium pater bene-

dictionem accepit a Melchisedecho rege Salem, et sacerdote veritatis, et rege iustitiae, cui Christus secundum humanitatem suam assimilatus, et comparatus fuit.

Eadem de causa nos quoque, quibus credita est magna Dei domus, quae est sancta ecclesia, per iussionem Dei patris, et per gratiam filii eius Iesu Christi, et per concessionem spiritus paracliti, orando petimus, et per virtutem sanctae Trinitatis, et per immortale verbum concedimus patriarchalis dignitatis charisma sanctae sedi magni metropolitae, quae est in ecclesia Cochensi Seleuciae regiae civitatis Arsacidarum in oriente. Hic porro consensus, et hoc spirituale donum, nempe patriarchica dignitas custodiatur apud rectores, qui deinceps in illa sede collocabuntur usque ad diem revelationis Christi; nosque perpetua consensione eisdem assentimur in omnibus, quae ab ipsis in patriarchica gubernatione fient. Interim oramus, ut throni illius rectores, quorum sanguis vivi et vivifici sanguinis Christi domini particeps factus est, quique consortes fieri passionis et resurrectionis eiusdem desiderarunt, ab eodem Christo domino custodiantur, et liberentur ab omnibus qui tribulant eos, eorumque iudicium ad victoriam perducatur, et forti brachio sustententur, sanctique Spiritus virtute muniantur, ne coram hostibus suis cadant. Ita, quaesumus, Domine, custodi famulis tuis patriarchis gratiam istam patriarchatus, eosque in ea tuere, nostramque cum illis in hoc negotio consensionem conserva, sicut foedus fidele, quod cum Abrahamo, Isaaco, et Iacobo, et cum universa sancta ecclesia tua pepigisti. Etiam, amen. A Te, Domine perfectio, et complementum sit in saecula.

Hic itaque magnus metropolita, qui patriarchicam dignitatem super universum orientem accepit, potestatem simul habeat creandi metropolitanos, ubicumque ipsi placuerit, quotque noverit esse necessarios. Eos vero institui oportebit secundum ecclesiasticum morem per suffragium, consensumque duorum episcoporum cum ipso praesentium, ita ut non minuatur numerus ternarius: ponaturque evangeliorum codex super caput eius, et lectio Petri recitetur, quando caeli, terraeque potestatem accepit; cumque ordinatus fuerit, manum suam patriarcha super caput eius imponat, et orationem recitet. Per hunc ab ipso ordinentur, et per manus eius impositionem perficiantur omnes, qui metropolitae dignitatis gratiam suscepturi sunt. Patriarcha autem defuncto, congregentur metropolitae et episcopi, quot per tempus licuerit, et patriarcha a nobis per manus ipsorum constituatur, virtute spiritus paracliti, et per consensum nostrum perficiatur ipse patriarcha gratia et dono Spiritus sancti. Sciant vero, ipsum exinde fore spiritualem patrem datum in ecclesia per Spiritum paraclitum. Haec porro nostris hisce literis significavimus, ut hoc modo id negotium peragatur. Omnes vero ecclesiasticae dignitates ab ipso, et infra ipsum sunto, quoniam ipse est omnium pater, et ab ipso generantur. Episcopi autem, qui a metropolitis suarum provinciarum instituuntur, locum episcoporum tantummodo teneant, et orationem faciant in

medio fratrum suorum: non tamen eis liceat accedere ad sacerdotum ordinationes, et ad episcopale opus, donec ad patrem potestatum, qui est patriarcha, accedant, et ab eo perficiantur per concessionem, et epistolam ab eo acceptam.

Quemadmodum vero ipse pater potestatum patriarcha ius habet ad ordinationem metropolitarum, et episcoporum, et ad perfectionem episcoporum, similiter etiam ius habet ad sententias iudiciales, ad absolutiones, ac abrogationes, et reservationes, quandoquidem haec illi credita sunt, et circa ea potestatem, auctoritatemque habet. Quicumque autem illo inferiores sunt, nullam in eum potestatem habent secundum divinum mandatum. Quod si aliquam adversus eum causam cum eo quispiam habeat, aut quidquam ab illo repetere contendat, patriarchae iudicium patriarchis reservetur, et ab istis eius causa, non ab eius discipulis, cognoscatur, quia neque ecclesiasticae leges id permittunt, neque leges naturae. Quod si contigerit aliquando, imperium cum populo nostro pacem habere, ipsum imperium iudicium indicat, et de regis mandato patriarchae causa decidatur, discipuli autem eius nullam super ipsum potestatem in verbo Dei habeant, ne qui membra, et partes sunt, magistris coaequentur, neve dicere audeant, se iudices illius esse.

Haec statuta a nobis, et per manus nostras, vobis, fratres, decreta sunt. Describite illa vobis in tabulis cordis vestri. Eorum memoria apud vos sine oblivione servetur. Universa, quae apud nos est, ecclesia vos in Domino salutat.

Missa autem fuit haec epistola a patriarchis occidentis per Agapetum episcopum Beth-Lapethae, quae est sedes Elam: et ideo primus ordinatus et electus fuit metropolita in regione et in ecclesia orientis, honoremque consecutus est, ut primus in electione patriarchae suffragium ferat.

TIMOTHEI.

Haec igitur epistola a patribus nostris occidentalibus apostolorum successoribus scripta fuit anno quadragesimo post martyrium beatorum apostolorum Petri, et Pauli: ante oecumenicam vero synodum patrum 318. annis circiter 280.

Praeterea potestatem, honorem, ac maiestatem patriarchae ostendit alia epistola a patribus nostris occidentalibus scripta ad solatium Papae patriarchae, quae ita se habet.

OCCIDENTALES.

Quod autem a patribus nostris spiritualibus dictum est, iudicium videlicet patriarchae orientis reservatum esse nostris patriarchis, quia, habita exacta inquisitione, compertum fuit, patriarchae accusatores in suis delationibus fuisse falsitatis convictos, et patriarchas illatorum criminum omnino immunes: nunc definimus, in potestate, et verbo vivo Dei, nullum deinceps habere ius sive metropolitas, sive christianos orientis ad accusationes criminationesve instruendas adversus proprium patriarcham, easque ad patres nostros occidentales verbo, aut scripto deferendas. Quod si rursus aliud quidpiam obiiciant, sicut hacte-

nus fecerunt, ipsis respondemus, patriarcham omnium christianorum orientis esse iudicem; ipsius autem patriarchae iudicem esse Christum (1).

ET POST ALIA.

Existimavimus ecclesiae Dei nostrae, vestraeque regionis illud utile esse, quod veteres patres nostri aequum, ac iustum censuerunt, quando vestrae sedis *episcopo*, quae est in ecclesia magna Cochensi, concesserunt, ut ipse metropolitas institueret, sicut idem utile esse iudicasset: ut nimirum ipse super eos potestatem haberet, eosque pro merito constitueret, vel propter illorum delictum deponeret. Similiter et super omnes episcopos orientis: et ipse patriarcha iudex, et vindex fieret in universa ecclesia orientis, idemque regeret, et gubernaret. Id igitur nos quoque suscipimus, et sequimur.

TIMOTHEI.

Haec igitur, quae in hac epistola continentur, non vulgares homines, sed patriarchae occidentis, ceterique episcopi conscripsere: Caius inquam patriarcha Romae, Petrus patriarcha Alexandriae, Paulus patriarcha Antiochiae, et Flavianus patriarcha Ephesi: nondum enim patriarchalis dignitas ecclesiae magnae Constantinopolitanae concessa fuerat, sed et una cum praefatis patriarchis Alexander episcopus Hierusalem, et Gregorius thaumaturgus (*adfuerunt*).

EX SYNODO DADIESU.

Dicimus ergo, quod etiam scripserunt patres nostri occidentales, non licere metropolitis, et episcopis, sed nec ulli ordini christianorum orientis iudicio contendere coram patriarchis nostris adversus patriarcham suum: quandoquidem omnium orientalium iudex est patriarcha, ipsius autem iudex Christus. Idcirco definivimus, et confirmavimus canonem istum nunquam abolendum, aut abrogandum: definitus quippe est in Trinitate. Itaque in verbo Trinitatis, quae est domina saeculorum, nemini liceat adversus catholicum synodum cogere, aut dissidium, schismata, factionesque conflare, aut adversus eumdem accusationum capita, et querelas scribere, sicut antiqui fecerunt, aut libellos capitulorum huiusmodi per provincias divulgare, sicut adversus Papam ausi sunt; aut in domos subrepere ad habenda adversus eum colloquia, nec quisquam ex quavis causa existimet, aut dicat, catholicum orientis iudicari posse ab ipsius subditis. Eius enim iudicium Christo, qui eum elegit, suaeque ecclesiae praeposuit, reservatur. Sic enim placuit dominationi eius perpetuae omnium dominae. Omnis homo igitur catholico inferior discipulus est, subditus, ac iudiciariae potestati catholici subiectus: libenter proinde consentiat cuilibet sententiae, atque definitioni, quae ab ipso prodibit. Nos vero metropolitani, et episcopi omnes, uti et successores nostri, assentimur, sive praesentes, sive absentes fuerimus, omni-

(1) Doctrina haec videretur prorsus schismatica, nisi mox corrigeretur pag. seq. ubi potestas romani Pontificis maximi supra omnes patriarchas adseritur.

bus et singulis rebus, quas paternitas patris nostri, dominus catholicus peraget, et peracturi sunt omnes, qui successores eius cathedram ipsius occupabunt. Haec autem ipsa definivimus iuxta canones divinos. Si quis ergo diebus nostris, aut post nos futuris temporibus ausus fuerit transgredi aliquid ex his, sine commiseratione ulla depositus et alienus sit ab omni sacerdotali denominatione. Quod si quispiam quacumque demum ex causa intercessor pro eo accesserit, ei notas faciant perturbationes, et angustias, ac persecutiones, quae ecclesiam vexaverunt causa temerariorum, inflatorum, ac superborum, qui supra magnum patriarchae principatum se se extulerunt: quod si postea non fuerit obediens ille, qui intercedit, etiam ipse, instar eorum absque misericordia omni sacerdotali denominatione privetur. Haec autem, quae definivimus, confirmavimus, et obsignavimus in verbo sanctae Trinitatis omnium dominae, abrogandi, aut solvendi potestas nulla est, neque nobis, neque successoribus nostris.

EX CANONIBUS ISAACI.

De honore, qui convenit, ac debetur catholico sedenti super thronum Seleuciae. Placuit omnibus nobis unanimiter, ut nos regionum universarum orientis praesules, et omnes christiani, qui in eis constituti sunt, catholico magno metropolitae Seleuciae et Ctesiphontis usque ad Christi adventum subiaceamus in omnibus, quae conveniunt, praeceptaque sunt nimirum cuilibet episcopo, patriarchae qui super hanc magnam Cochensis ecclesiae sedem sedebit (1).

OECUMENICORUM (2).

Placuit synodo oecumenicae, quod de omnibus gestis, quae incongrue fiunt sive arbitrio metropolitarum sive arbitrio episcoporum, potestas sit ipsi patriarchae pro auctoritate cognoscendi; nam patriarcha pater universalis est, et omnes metropolitae, ac episcopi sunt filii hereditatis eius. Honor autem patriarchae, tamquam patris super filios, dominatur. Et quemadmodum patriarcha potestatem habet faciendi quodcumque vult congruenter circa eos, qui potestati eius subsunt; similiter potestas sit patriarchae romano supra omnes patriarchas, sicut beatus Petrus supra totam communitatem, quandoquidem locum etiam Petri tenet in universa ecclesia ille, qui Romae. Illum itaque, qui haec fuerit transgressus, synodus oecumenica anathemati subiicit.

VI. *De librorum compositoribus.*

Timotheus igitur, qui speculatione, et virtutibus omnibus excelluit, haec clare exponit in sua synodica epistola quam in synodo ab ipso collecta anno Arabum 174., et ab eodem confirmata in altera synodo coacta anno Arabum 189. Timotheus, inquam, dicit.

(1) Canon iste in versione arabica, quae extat cod. 36. num. 12, apud Assem. B. O. tom. II. p. 507, ita se habet. - Nos cuncti orientis episcopi, successoresque nostri, obedientes erimus catholico metropolitae magno sedenti in urbe Seleucia, eiusque praeceptis obtemperabimus usque ad Christi adventum. - Vide Assem. sen. tom. III. biblioth. pag. 60., et iunior. cod. liturgici tom. XIII. pag. 182. (2) Hic canon in pontificalem librum illatus fuit, vide Assemanum iunior. codic. liturg. tom. III. pag. 166.

In civitate regni regis nostri victoris ista (*Seleucia*), in qua servitutem throni patriarchici administramus, quidam hypatus a rege nostro, Dei amante, praefectus monetae, hoc est sigillo, quo cuduntur nummi et denarii, creatus est in diebus suis. Mos vero hic non solum in hoc regno, sed sed et in omnibus regnis obtinet, eademque lex viget, ac viguit, ut si deprehensus fuerit quispiam alius ab eo, quem rex praefecit et praeposuit impressioni denariorum et nummorum, et qui monetam teneat, ac similiter imprimat quamvis illae eaedem figurae, et superscriptiones, ac typi regii fuerint in ea moneta falsa, et quamvis ipsa fuerit auro puro, et argento electo cusa, non idcirco immunis is homo a reatu, et poena sit per regias leges, eo quod non aperte quidem, neque cum scientia praefecti regis, verum in occulto, et clanculum nummos, et denarios cudere studuit. Simili etiam ratione in ecclesia catholica, regis caelestis civitate regia, hypatum, seu servum, habet rex regum caelestis, qui praepositus est monetae, et sigillo regio ipsius, quo scilicet imprimuntur denarii rationales regni eius, et configurantur ac depinguntur, et icone imaginis honoris sui signantur. Est autem sigillum hoc, ut breviter dicam, nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Hypatus autem, qui retinet hoc, est patriarcha, aut quem vocaverit, et nominaverit ipse catholicus dilectus. Signantur itaque icone hac divina, et figura primo quidem ille, cui mediatorem huiusce rei esse concreditum est: postea vero metropolitani; tertio autem episcopi; praeterea etiam presbyteri, ministri, aliique ordines, qui ornatum ecclesiae complent. Ponitur vero hoc ipsum sigillum per consignationem, quae est tamquam fundamentum optimum regni caelorum, factum super illos, qui ante omnia per baptismum fiunt participes passionis, mortis, resurrectionis, et magnitudinis gloriae regis caelestis.

Ille igitur, cuius manibus concreditum est hoc sigillum, et haec icon, primus est patriarcha, quemadmodum ipse Dominus regni dixit ad Petrum: tibi dabo claves regni caelorum. Paulus etiam hoc praeceptum confirmavit inquiens: posuit Deus in ecclesia sua primum quidem apostolos, postea vero prophetas. Si quis itaque praeter iussionem eius, cui commendatum est hoc sigillum, idest haec moneta, audaciter attentaverit denarios rationales cudere, licet eaedem imagines, ac figurae cernantur in sua icone, quamvis multi etiam configurentur superficie iconis ipsius; attamen quia id sine notitia, et mandato eius, cuius manibus concreditum est sigillum a rege caelesti, quinimmo occulte, et praeter mandatum ipse sibi committit opera regni; is quidem sententiae terribilis reus erit, socii autem eius poenam sustinebunt. Denarii vero illi, quos dolose impressit, reprobantur, et igne liquefiunt, neque in aerarium regium inferuntur, quemadmodum neque illi denarii sensibiles adulterini inferuntur in aerarium regni terreni. Et sane quam ob causam Persae infelices, ac reprobi, et pecunia reprobata vocati sunt, et vocantur ut Iudaei? nonne quia regnarunt, non quidem ab illo, qui si-

gillum regium, et idoneum tenebat, sed dominati sunt tamquam ex voluntate propria, minime vero tamquam ex mandato divino, ac decreto?

Sed quorsum verba haec? Mos antiquus est, qui etiam nunc in ecclesia Dei viget, ut nemo magistri munus sponte sua sibi praesumat, neve interpretem agat, aut libros componat absque permissu, et mandato illius, qui universalis ecclesiae regimen, et gubernacula obtinet. Et hac quidem lege se se continuere quicumque tractatus, et commentaria elucubrarunt. Libros enim quos componebant, et interpretationes quas elaborabant, antequam ad vulgi manus venirent, ad patriarcham aut transmittebant, aut ipsi per se deferebant, qui, si ad id idoneus foret, suo ipse ingenio, intelligentiaque eorum libros examinabat; factaque inquisitione, siquidem eae lucubrationes approbationem, et coronam mererentur, approbabantur, et coronabantur. Sin vero approbatione illas indignas patriarcha censuisset, reiiciebat veluti legibus ecclesiasticis contrarias, damnabatque, quemadmodum Sabariesus catholicus Hanani Adiabeni scripta (1), et Iesuiabus Sahadunae fabulas, commentaque Esaiae Tabalensis. Nosque similiter blasphemias illius Apameensis, et Iosephi, atque Iohannis Daliathensis proscripsimus. Si vero patriarcha ob defectum scientiae examen perficere non sufficeret, ad id operis episcopos eruditos, et doctores exercitatos vocabat, qui collata opera definiebant, utrum libri suscipiendi, an reiiciendi viderentur. Et haec sane fuit antiquorum regula, quae nostris quoque temporibus obtinet. Nam Ephraemus, qui cathedram, et thronum Elamitarum tenet, et ille alter pudicus castusque Raban Moses presbyter, et doctor, tertius etiam doctus, et acutus Abu-Noe lucubrationes ab ipsis elaboratas, antequam a quopiam viderentur, ad nos transmisere, scripseruntque in haec verba: cognitionis tuae fornace eas explorato, et sapientiae tuae igne expurgato. Et siquidem in ecclesiae archivia recipiendas iudicaveris, easdem recipi iubeto; sin hoc honore indignas censueris, fac ut in mare proiiciantur, aut igne absumantur. Et isti quidem viri Dei amantes sic fecerunt.

ANTIQUORUM.

Si quis ex doctoribus, aut ex ecclesiae antistitibus, aut ex monachis quidpiam elucubraverit, eiusque elucubrationes reprehensione dignae sint, et non rectae; siquidem in vivis est auctor, habeatur de eo commune consilium, sique non recte scripsisse fuerit convictus, si sponte resipuerit, et ad regiam viam redierit, ac priora damnaverit, suscipiatur, ac proprio scripto paenitentiam suam signet, et confirmet. Si autem ab errore suo minime conversus fuerit, sed in sua nequitia temere perstiterit, excommunicetur, et ab ecclesia una cum suo scripto eiiciatur. Si autem auctor e vivis iam excesserit, eius quidem scripta damnationi subiaceant; ipse vero ad Christum iudicem suum abiit.

(1) De Hanano vide Ebediesum Sobensem in catalogo scriptorum apud Assem. seniorem B. O. tom. III. cap. 59. pag. 81.

VII. *Pactum et foedus initum a patribus de canonum istorum observatione.*

SYNODI MAGNAE IESUIABI.

Placuit itaque nobis in fine canonum istorum hoc quoque constituere, quod ipsis necessarium iudicavimus. Quandoquidem divinae voluntati consentanea, et accepta est horum canonum editio, ac utilitates non modicae ex iis proveniunt tam lectoribus, quam auditoribus, idcirco communi consilio deliberavimus, et mandavimus, ut omnes nos accurate in scripto habeamus eos, et semel quolibet anno in congregationibus dioeceseon nostrarum legamus, idque ad utilitatem coetuum ecclesiasticorum. Neque vero demus locum Satanae, qui pro more suo, invidia commotus, utilitates, quas capere possunt discipuli Christi, impediat. Quicumque vero hoc contempserit, tamquam suae, et dioecesis propriae utilitatis, et commodi osor, increpationem subeat a suis superioribus; a Domino vero nostro Christo mercedem suae iniquitatis congruam consequetur. Is vero, qui obedierit, eosque legerit, et in eis conversabitur, in hoc quidem saeculo benedicetur, in futuro vero saeculo fiduciam obtinebit una cum illis, qui recte ministraverunt.

VIII. *Benedictiones in conventibus synodicis appositae.*

Benedictio Domini, quae ditat, et cum qua non est dolor, sit super editores, possessores, et custodes horum canonum, qui secundum voluntatem Christi domini nostri utiliter conditi sunt a sanctis et pacatis synodis, quae nutus divini permissu, atque potestate caelesti congregatae fuerunt, et tempore (*statis vel successivis temporibus*) canones hos supra descriptos definierunt. Misericordia autem Dei vivi, et Christi filii Dei salvatoris nostri, qui in corpore humanitatis suae mortuus est, et vixit, ac virtute divinitatis suae immortalis vivificavit omnia, ac Spiritus vivi, sancti, ac vivificatoris, sit super ecclesiam catholicam, ac super imperium, et super mundum universum indefinite, et super singulos habentes canonum horum lampadem, qui utiles sunt, ac proficui ad vitam animae eorum, qui custodiunt ipsos. Etiam amen.

Explicit auxilio Dei, et ope miserationis eius tomus II. collectionis canonum synodicorum occidentalium simul, ac orientalium die 15. mensis augusti anno Graecorum 1643., qui est annus Arabum 731. (Christi 1332.) *in civitate munita, fidei pulchritudinibus feracissima, et operibus iustitiae commendatissima Bagdad, quam Deus sospitet.*

Scripsit eam homo peccator, et stercus populi christiani Saidus Bar-Isa, Bar-Abulbarcat, Bar-Barcheh. Scripsit autem illam pro Antistite excelso, et fructu benedictionum, amicto galea iustitiae, quieto, suavi, benigno, et alieno ab omni perturbatione, humili, et in suis moribus composito, pleno charitate, et amore erga omnes homines, et remoto ab omni nequitia, fideli, verace, sapiente Hormisda filio Iesu Bar-Chamisio. Deus omnium dominus det ei vitam longam, et conservetur in moribus, qui voluntati Domini satisfaciant, per orationem dominae beatae Mariae, et omnium sanctorum apostolorum, et sanctorum Domini. Amen, amen. Et Deo gloria, amen

ܫܪܒܐ ܕܩܕܝܫܐ ܡܫܘܕܥܢܘܬܐ ܕܥܒܝܕܢ
ܠܒܢܝ ܢܫܡܘܗ
ܦܛܪܝܪܟܘܬܐ ܕܪܘܡܐ ܘܐܬܘܪܝܐ
ܘܐܬܢܓܕ ܡܢ ܡܠܟܐ ܦܪ̈ܣܝܐ ܘܦܫܝܛܘܬܗܘܢ
ܦܛܪܝܪܟܘܬܐ
ܕܡܠܟܘ ܒܗ ܒܡܕܝܢܬܗ ܡܠܟܐ ܩܕܡܝܐ
ܕܩܕܝܫܐ ܡܫܝܚܝܐ

ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܘܚܡܫܡܐܐ ܘܬܫܥܝܢ ܦܪ̈ܣܝܐ
ܡܢ ܡܠܟܘܬܐ ܕܝܘܢܝܐ
ܥܠ ܕܠܐ ܢܫܡܥܘܢ ܐܠܐ ܒܢܘܡܘܣܐ ܗܘ
ܘܒܥܒܕܐ ܘܒܝܘܡܬܐ ܡܢܗ ܒܡܕܝܢܬܗ
ܡܦܪܫܐ ܡܢܗܘܢ ܡܢ ܟܠ ܒܢܝܐ ܕܐܬܡܠܟ
ܡܠܟܐ ܕܦܪ̈ܣܝܐ ܘܡܕܝ̈ܢܬܐ ܘܥܡܡ̈ܐ ܡܠܟܝ̈ܐ
ܘܦܪ̈ܣܝܐ ܠܡܠܟܘܬܗܘܢ ܘܥܡ ܡܠܟܘܬܗܘܢ
ܘܕܝ̈ܢܐ ܘܢܡܘ̈ܣܐ ܀
ܐ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܐ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ
ܘܡܠܟܘܬܐ ܗܘܐ ܢܨܝܚ. ܡܠܟܐ ܕܐܝܬ
ܒܕܪܐ ܘܒܢܝ ܡܢ ܡܠܟܘܬܐ ܘܡܠܟܘܬܐ ܒܕܪܐ
ܕܡܠܟܐ. ܘܫܢܝܐ ܗܘܐ ܡܠܟܘܬܗ ܘܒܢܘܗܝ
ܘܐܚܐ. ܘܒܢܝܐ ܢܨܝܚ ܘܡܠܟܘܬܗ. ܘܡܢܗ
ܡܠܟܘܬܐ ܡܢ ܡܠܟܘܬܐ ܡܕܝܢܬܐ ܡܢ ܡܠܟܐ ܀
ܒ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܐ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ
ܘܒܢܝ ܡܠܟܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܘܡܠܟܘܬܐ ܡܠܟܘܬܐ
ܘܡܠܟܐ ܦܪ̈ܣܝܐ ܘܡܠܟܘܬܐ. ܡܠܟܘܬܐ ܘܒܢܝ
ܒܡܠܟܘܬܐ ܐܝܬ ܗܘܐ ܡܠܟܘܬܗ ܘܒܢܘܗܝ
ܘܡܠܟܐ ܗܘܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܀
ܓ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܐ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ
ܘܒܢܝ ܡܠܟܐ ܗܘܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܘܡܠܟܘܬܐ
ܘܡܠܟܐ ܦܪ̈ܣܝܐ ܘܡܠܟܘܬܐ. ܡܠܟܘܬܐ ܘܒܢܝ
ܡܠܟܐ ܡܢ ܗܘܐ ܡܠܟܐ ܡܢ ܒܢܝ ܡܠܟܘܬܐ.
ܘܒܢܝ ܡܠܟܐ ܘܐܚ ܗܘܐ ܠܡܠܟܘܬܐ. ܘܒܢܝ
ܡܠܟܐ ܡܠܟܘܬܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܥܡ ܡܠܟܘܬܗܘܢ
ܦܪ̈ܣܝܐ ܡܢ ܡܠܟܐ ܀
ܕ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܐ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ

ܘܐܬܡܠܟܘ ܡܠܟܐ ܗܘܐ ܠܡܠܟܘܬܐ ܘܐܬܪܐ
ܦܪ̈ܣܝܐ ܘܡܕܝܢܬܐ. ܡܠܟܐ ܘܒܢܘܗܝ ܘܒܢܝ
ܗܘܐ ܡܢ ܒܢܝ ܡܠܟܐ ܘܒܢܘܗܝ ܘܡܠܟܐ ܢܫܡܘܗ
ܘܐܬܪܘܬܗ ܘܡܠܟܘܬܗ ܘܡܠܟܘܬܗ ܘܐܬܘܗܝ
ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܐܘܟܝܬ ܀
ܗ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܐ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ.
ܘܒܢܘܗܝ ܡܠܟܐ ܡܠܟܘܬܐ ܐܝܟ ܕܡܠܟܐ
ܠܡܠܟܘܬܐ ܡܠܟܐ ܘܡܠܟܘܬܐ ܘܐܬܪܘܬܗ ܗܘܐ
ܕܡܠܟܘܬܐ ܡܢ ܡܠܟܐ. ܘܡܠܟܐ ܘܒܢܝ ܗܘܐ
ܟܠܢܫ ܡܠܟܐ ܀
ܘ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܐ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ.
ܘܒܢܘܗܝ ܗܘܘ ܦܪ̈ܣܝܐ ܐܝܟ ܡܠܟܘܬܐ
ܘܡܠܟܘܬܐ. ܘܡܠܟܘܬܐ ܐܝܟ ܡܠܟܘܬܐ.
ܘܡܠܟܘܬܐ ܐܝܟ ܡܠܟܐ ܘܡܠܟܐ ܗܘܘ
ܡܠܟܘܬܐ ܘܐܬܪܐ ܘܡܠܟܐ ܡܠܟܘܬܗ ܘܡܠܟܐ.
ܘܡܠܟܐ ܘܒܢܘܗܝ ܡܠܟܘܬܐ ܘܡܠܟܘܗܝ ܠܡܠܟܐ.
ܐܝܟ ܗܘܘ ܡܠܟܐ ܘܡܠܟܐ ܘܡܠܟܘܗܝ ܡܠܟܘܬܐ
ܡܠܟܘܬܐ ܘܡܠܟܘܗܝ ܡܠܟܘܬܐ ܀
ܙ. ܫܘܥܕܗ ܗܘܘ ܠܘܬ ܡܠܟܘܬܐ ܦܪ̈ܣܝܐ
ܘܗܘܘ ܠܡܠܟܐ ܡܠܟܐ ܘܡܠܟܐ ܡܠܟܘܗܝ ܘܡܠܟܐ

ܕܒܗܢܝ ܘܫܡܥܬܐ ܕܒܢܝ ܒܪܬܐ. ܡܛܠ
ܕܗܘܝܘ ܐܢܫܐ ܕܦܠܚܘܗܝ ܠܐܠܗܐ. ܘܠܐܠܗܐ
ܕܪܚܡܘ ܫܒܩܐ ܕܒܢܝ ܐܢܫܐ ܒܩܢܝܢܐ
ܕܥܠܡܐ ܕܡܬܒܠܐ܀

ܠ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ ܠܩܕܡܝܐ.
ܕܐܬܐܡܪ ܠܩܕܡܝܐ ܡܢ ܩܕܡ ܫܢܝܢ ܕܦܪܘܩܢ
ܗܘܐ ܢܡܘܣܐ ܘܐܬܝܗܝܒ ܗܘܐ ܠܥܒܪܝܐ
ܠܗܘܢ ܠܥܘܠܐ ܕܢܦܫܗ ܘܠܥܘܠܐ
ܕܩܛܠܗ. ܡܛܠ ܕܐܦ ܗܘ ܩܛܠܐ ܕܟܐܪܐ
ܐܬܐܡܪ ܠܩܕܡܝܐ ܟܕ ܗܘܐ ܥܡܗܘܢ ܥܕܠܐ
ܕܢܩܛܠܘܢ ܗܘܘ ܐܢܫܐ ܕܠܐ. ܐܬܐܡܪ ܠܩܕܡܝܐ
ܟܕ ܗܘܘ ܥܡ ܕܠܗ. ܘܡܫܒܚ ܐܢܘܢ.

ܠܐ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ ܕܐܦ ܥܠ ܕܠܘܩܛܐ
ܕܐܬܐܡܪ ܠܩܕܡܝܐ ܘܐܝܟ ܒܥܠܕܒܒܐ ܡܢ ܕܡܫܡܫܝܢ
ܕܗܘܘ ܗܘܘ ܒܥܠܝܗܘܢ ܕܐܢܫܐ ܘܕܥܒܕܝܢ
ܕܠܗܘܢ ܐܟܘܬܗܘܢ܀

ܠܒ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܡܫܝܚܐ. ܕܡܫܒܩܢܐ
ܠܐܢܫܐ ܕܚܛܗܐ ܕܡܫܝܚܐ ܘܡܫܒܚܢܐ
ܕܚܝܠܬܗܘܢ ܗܘܐ ܡܬܚܫܒ ܥܠ ܟܠܢ
ܟܠܗ܀

ܠܓ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ.
ܕܒܥܠܕܒܒܐ ܘܡܠܟܐ ܡܢܗܘܢ ܢܬܩܪܐ
ܐܬܚܫܒܘܢ ܐܝܟ ܡܫܡܫܢܐ ܕܡܠܟܐ
ܡܢܗܘܢ. ܘܟܕ ܩܡ ܠܥܠ ܡܢ ܠܝܠܝܐ
ܢܬܩܪܘܢܝܗܘܢ. ܡܛܠ ܕܡܫܡܫܢܐ ܗܘܘ
ܘܦܘܪܩܢܐ ܕܡܢܗܘܢ ܒܢܝܢܐ܀

ܠܕ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ. ܕܐܢܐ
ܕܠܐ ܢܫܒܘܩ ܡܫܘܕܥܘܬܗ ܕܒܪܐ. ܘܒܚܛܗܐ
ܘܒܥܘܠܐ ܕܫܒܩܝܢ ܠܗ. ܠܐ ܬܗܘܐ ܡܚܝܠܐ
ܘܡܥܒܪܐ. ܘܐܢܐ ܕܢܒܥܐ ܠܗܘܢ ܘܒܟܢܫ
ܒܢܝܗܘܢ. ܠܐ ܐܡܪ ܢܫܩܠ. ܡܛܠ
ܕܠܐ ܢܛܪ. ܘܒܡܫܡܫܢܘܬܗ ܕܥܠ܀

ܠܗ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ. ܕܐܢܐ
ܘܢܦܫܐ ܘܥܝܢܐ ܕܐܟܠ. ܘܩܢܘܡܗ ܫܒܝܩܘܬܐ
ܘܡܘܗܒܬܐ. ܐܘ ܐܝܠܐ ܕܟܡܐ ܫܢܝܐ ܘܩܪܒܢܐ
ܘܥܒܕܐ ܠܒܢܝܐ ܘܥܒܪ ܒܟܠܢܝܐ ܘܒܟܠ
ܕܐܬܦܠܠ ܩܕܡ ܕܫܒܩ ܐܢܫܝܢ ܘܠܐ
ܢܒܥܐ ܠܐܠܗܐ ܢܛܪܐ ܩܕܡ ܡܫܝܚܐ. ܘܠܐ
ܢܩܛܠ܀

ܠܘ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ ܕܐܦ
ܐܢܫ ܐܢܫ ܕܦܠܚܝܢ ܥܠ ܡܫܝܚܐ
ܘܠܐܠܗܐ ܠܗ ܗܘܢܐ ܐܡܪ ܠܐ ܢܩܛܠ. ܘܠܐ
ܢܥܒܕ ܠܗ ܡܕܡ ܕܡܫܝܚܐ ܘܒܐܝܠܝܢ
ܡܛܠܐ ܘܠܐ ܗܘܐ ܒܐܠܗܐ. ܗܘ ܕܠܐ ܐܬܚܝ
ܪܘܚܐ ܡܕܡܪܬܐ܀

ܠܙ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ. ܕܐܢܐ
ܕܩܕܡ ܘܢܦܫܐ ܕܟܠܐ ܘܡܫܬܡܥܢ
ܒܠܐ ܥܘܠܐ ܕܡܬܚܫܒܐ. ܗܢܐ ܐܡܪ ܠܐ
ܢܩܛܠ ܘܠܐ ܢܩܒܠ ܒܡܫܡܫܢܘܬܗ܀

ܠܚ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ. ܕܐܢܐ
ܕܡܫܒܚ ܡܕܘܪܐ. ܐܝܟ ܡܕܘܪܐ ܡܫܬܡܥܢܐ
ܕܐܬܚܫܒ ܐܢܘܢ. ܐܘ ܒܟܢܫܐ ܕܥܒܕܝܢ
ܒܥܠܕܒܒܐ ܚܠܦ ܒܪܘܚܐ. ܠܐ ܬܬܚܫܒ
ܒܢܝܗܘܢ. ܘܢܩܛܠ ܐܦ ܕܝܢ ܐܝܠܝܢ
ܒܢܝܗܘܢ ܠܐܬܚܫܒܘܢ ܐܠܐ ܕܬܬܦܪܫ
ܩܢܘܡܗܘܢ ܘܠܐ ܢܩܛܠ ܠܥܒܕܗܘܢ܀

ܠܛ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ. ܕܐܦ
ܐܢܫ ܡܢ ܡܕܘܪܝܐ ܐܘ ܡܢ ܫܒܝܩܐ ܐܠܐ
ܘܡܬܢܚܡܝܢ ܒܥܒܕܗܘܢ ܐܘ ܟܠܐ ܘܠܐܢܫܝܢ
ܒܥܒܕܗܘܢ. ܟܠܢܐ ܘܐܝܠܝܢ ܒܗ ܒܝܬܐ ܕܩܐܡ
ܗܘܐ ܩܕܡ. ܐܝܟ ܐܡܪ ܠܩܛܠܐ ܘܐܠܐ
ܢܦܪܫܘܢ ܘܐܝܠܝܢ ܐܡܪ ܢܬܩܛܠܘܢ. ܐܠܐ
ܐܝܟ ܕܟܠܐ ܘܐܬܚܙܝܘ ܗܘܐ ܩܕܡ ܩܕܡ
ܩܕܡ. ܘܠܐ ܗܘܐ ܫܡܝܥ ܩܕܡ ܐܝܟ
ܘܡܫܒܚ ܠܗ܀

ܡ. ܫܡܥܘ ܗܘܘ ܐܡܪ ܡܫܝܚܐ.

ܘܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܠܡܥܒܕܢܘܬܐ ܕܫܠܝܛ ܡܢ ܐܢܫ
ܘܡܫܡܫܝܢ ܠܗܘܢ ܢܗܘܐ ܦܣܩܐ ܕܕܝ̈ܢܐ
ܐܢܫ ܕܥܒܕ ܐܝܟ ܗܠܝܢ. ܐܠܐ ܒܡܫܟܢܐ ܕܥܠܝܗܘܢ
ܢܗܘܐ ܫܘܬܦܐ ܘܫܡܫܢܐ ܗܘ ܕܝܢ
ܕܥܒܕ. ܘܥܠܝܗܘܢ ܡܕܝܢ ܕܝܢܗ ܘܠܐ
ܡܬܢܣܒ ܕܝܢܗ ✤

ܡܣ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ. ܕܟܠ
ܐܢܫ ܕܢܦܩ ܡܢ ܥܠܡܐ ܗܢܐ ܒܟܘܪܗܢܐ
ܕܟܬܝܒ ܡܢܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܘܟܠܗ ܩܢܝܢܐ
ܕܫܒܩ ܢܬܒܥ. ܗܘܐ ܠܒܢ̈ܝܐ ܕܝܠܗ
ܕܡܛܠ ܥܘܕܪܢܐ ܕܢܦܫܗ ✤

ܡܙ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ
ܕܟܠ ܡܫܡܫܢܐ ܕܥܕܬܐ. ܗܘܘ ܐܡܪܝܢ
ܠܡܫܒܚܘ ܕܗܘܝܢ ܥܒܕܝܢ ܒܝܘܡ. ܡܛܠ
ܗܘ ܕܐܚܕܝܢ ܒܫܪܟܐ ܒܥܠܡܐ. ܘܡܟܝܠ
ܠܡܫܒܚܘ ܒܡܘܬܗ. ܘܡܠܟܘܬܐ ܠܗ
ܘܒܥܠܡܐ ܐܚܪܢܐ ܘܠܡܫܝܚܐ ܟܠܐ
ܢܫܡܫ ✤

ܡܚ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ. ܕܐܢܫ
ܕܡܣܬܪܩ ܡܢ ܡܕܡܝܬܐ. ܘܠܐ ܐܬܬܚܝܒ
ܟܠܗ ܡܬܥܒܕܐ ܕܫܩܠ ܕܝܠܗ ܢܦܠ ܒܡܠܟܘܬܐ
ܘܢܗܘܐ ܒܡܫܡܫܢܘܬܗ ܕܥܕܬܐ ✤

ܡܛ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ.
ܕܗܘܢܐ ܐܢܫ ܕܐܡܪ ܒܥܣܪܝܢ ܕܠܐ ܒܕܝܢܐ.
ܢܫܬܠܛ ܡܢܗ ܒܕܝܢܐ ܒܥܕܬܐ. ܗܘ ܕܝܢ
ܕܐܬܐܡܪ ܢܫܬܒܩ ܠܐܦܘܣܛܠܐ ܐܝܟ ܗܘ
ܕܒܟܬܒܐ ܐܬܐܡܪ ✤

ܢ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ.
ܕܐܢܫ ܕܡܟܪܝܢ ܘܡܫܡܫܝܢ ܕܝܢܐ. ܠܐ
ܐܬܬܚܝܒ ܕܢܦܩܘܢ ܟܐܦܐ ܘܡܢܗܘܢ ܒܛܝܠܐ
ܘܐܦܢ ܒܥܘܠܐ ܠܐ ܐܝܬ ܢܫܡܫܘܢ ܒܕܝܢܐ
ܐܝܢܐ ܐܠܐ ܢܬܪܣܘܢ ܒܡܫܟܢܐ ܕܥܠܡܐ
ܘܢܫܡܫܘܢ ܟܐܝܠܬܗܘܢ ✤

ܦܐ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ.
ܕܐܢܫ ܕܐܡܪ ܕܒܢ̈ܝܗܘܢ ܘܡܫܡܫܝܢ
ܟܢܫܬܐ ܘܡܥܒܕܢܘܬܐ ܠܐ ܢܬܦܪܫܘܢ
ܒܡܫܡܫܢܘܬܐ ܡܛܠ ܗܘ ܕܡܫܡܫ ܕܝܢ
ܫܡ ܒܒܢ̈ܝܐ. ܡܛܠ ܕܠܐ ܢܗܘܐ ܢܝܚ ܗܘ.
ܘܥܠܝܗܘܢ ܐܚܪܢܐ ܘܐܦ ܦܘܪܥܢܐ ܠܐ
ܐܢܫ ܘܡܢ ܕܡܛܠ ✤

ܦܒ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ ܢܗܘܘܢ
ܡܫܡܫܐ ܠܐ ܡܫܡܫܢܐ ܘܐܢܫ ܒܡܫܘܕܥܢܐ
ܘܢܬܚܝܒ ܕܢܫܐ ܕܥܠܝܗܘܢ ܕܫܠܝܛ ܗܘ
ܡܬܠܐܟܝܢ ܥܠܝܗܘܢ. ܐܦ ܡܫܬܐܠܐ
ܓܒܪ ܗܘܢܐ ܡܛܠ ܗܘܐ ܡܢ ܒܝܬܐ ܒܝܬܐ.

ܦܓ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ
ܕܡܫܟܚܐ ܐܢܫ ܕܒܫܡܝܢ ܕܢܘܡܣܐ
ܒܡܥܡܝܐ. ܗܘܐ ܡܫܟܚ ܠܗܘܢ ܘܢܫܩܘܢ
ܘܢܣܒܘܢ ܡܛܠ ܡܕܝܢܬܐ ܟܡ ܡܕܝܢܬܐ
ܕܒܝܬܐ. ܡܫܟܚ ܐܦ ܕܝܢ ܘܐܢܫ
ܕܐܬܚܘܐ ܗܘܐ ܫܘܠܛܢ ܗܘܐ ܘܡܢܫܐ
ܗܘܐ. ܡܛܠ ܡܕܝܢܬܐ ✤

ܦܕ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ. ܘܠܐ
ܐܢܫ ܢܥܒܕ ܘܢܫܬܡܫ ܡܛܠ ܒܫܘܠܛܢܐ
ܕܡܕܝܢܬܐ ܘܠܐ ܒܕܝܢܐ ܘܠܐ ܒܥܠܡܐ.
ܐܠܐ ܒܡܠܟܘܬܐ ܘܠܐ ܕܡܠܐ ܘܡܫܡܫ ܟܐܦܐ ✤

ܦܗ. ܦܩܕܘ ܗܘܘ ܐܦ ܡܠܟ̈ܐ ܕܟܠܢܫܐ
ܕܡܫܬܪܝܢ ܒܥܘܠܐ ܘܡܬܟܐܦܐ ܢܫܬܒܩ ܠܐ
ܡܕܝܢܬܐ. ܘܠܐ ܟܠܗ ܡܛܠܐ ܡܕܝܢ. ܘܠܐ
ܡܫܡܫ ✤

ܗܠܝܢ ܩܢܘ̈ܢܐ ܕܐܬܬܣܝܡܘ ܡܢ ܡܠܟ̈ܐ
ܡܗܝܡ̈ܢܐ ܒܬܫܡܫܬܐ ܕܥܕܬܐ ܡܩܕܫܬܐ ✤

ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܥܠܝܗܘܢ ܠܐ ܗܘܐ ܒܠܚܘܕܝܗܘܢ
ܦܩܕܘ ܡܠܟ̈ܐ. ܐܠܐ ܐܦ ܐܒܗ̈ܬܐ ܗܘܘ
ܥܒܕܘܗܝ. ܩܢܘ̈ܢܐ ܗܘܘ ܓܝܪ ܕܥܕܬܐ
ܘܐܚܐ. ܘܢܛܪܘܢ ܒܟܠܗܝܢ ܘܐܡܪܐ. ܠܗܘܢ

ܓܝܪ ܦܫܝܛܐ ܗܘܬ ܙܘܓܐ ܕܒܪܡܠܟܘܬܐ
ܘܒܢܘܗܝ. ܐܝܟ ܕܦܫܝܛ ܠܐܒܗܝܗܘܢ ܐܘܟܝܬ
ܠܡܕܒܪܢܐ ܠܐܒܪ ܐܝܟ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ. ܗܢܘܢ
ܓܝܪ ܕܡܬܕܠܝܢ ܗܘܘ ܡܢ ܡܕܡ ܚܝܠܐ
ܘܡܬܚܠܦܢܐ ܠܐ ܦܣܩܝܢ ܗܘܘ ܘܡܢ ܐܢܫܐ
ܬܠܦܫܥܬܗܘܢ ܠܗܘܢ ܠܡܫܬܥܝܐ. ܘܐܦ
ܦܘܠܘܣ ܓܝܪ ܘܛܝܡܬܐܘܣ ܟܕ
ܡܟܪܙܝܢ ܗܘܘ ܟܠܐܠܗܘܬܐ ܘܫܘܘܕܝܐ
ܘܡܬܟܬܫܝܢ ܥܡܗܘܢ ܠܘܩܒܠ ܦܘܩܕܢܐ
ܘܢܩܘܫܐ ܕܡܟܣܢܐ ܘܕܘܒܪܐ ܠܗܘܢ
ܘܐܬܟܠܝܘ ܗܘܘ ܠܫܡܗ ܐܝܢܐ ܕܡܟܣܢܐ
ܦܟܝܠܝܢ ܗܘܘ. ܟܟܪܐ ܘܠܐܠܗܘܬܐ ܘܡܟܪܙܝܢ
ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܘܡܬܩܛܪܝܢ. ܐܠܗܐ ܕܝܢ
ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܐܘܟܝܬ ܐܚܪܢܐ ܘܡܬܚܪܝܢ ܘܫܡܥܘ
ܗܘܘ ܠܐ ܡܟܝܠ ܗܘܘ ܡܢ ܦܘܪܥܢܐ
ܘܚܕܝܘܬܐ. ܘܡܢ ܢܝܚܐ ܐܦܘܬܐ ܘܦܩܕ ܗܘܐ
ܡܢܝ ܕܐܝܬܝܗܘܢ. ܟܠܐ ܓܝܪ ܦܘܠܘܣ
ܦܠܝ ܗܘܐ ܡܟܣܢ ܢܝܫܗܘܢ ܘܡܩܒܠܢܝ
ܗܘܐ ܠܡܫܡܫܢܐ ܘܡܢ ܡܬܬܢܝܚܐ
ܐܝܠܝܢ ܕܐܝܬ ܗܘܘ ܢܝܫܗܘܢ. ܘܡܟܝܠ
ܗܘܘ ܘܡܬܟܠܝܢ ܒܟܬܒܘܗܝ. ܠܦܩܢܘܬܗ
ܐܝܟ ܘܠܡܫܠܡܘ ܕܫܡܥ ܡܢ ܕܡܫܝܚܐ
ܘܡܘܕܝܢܐ ܐܝܟ ܗܘܐ ܢܝܫܗܘܢ ܘܡܟܣܢܐ
ܒܫܘܠܛܢ ܡܟܝܠ ܗܘܐ ܠܡܫܬܠܛܘܬܗܘܢ.
ܡܗܘܕܐ ܕܝܢ ܘܟܠܗ ܘܦܠܢ ܘܡܬܦܫܩ
ܘܡܬܦܫܛܘܢ ܟܠܗ ܢܝܫܐ ܦܘܪܫܐ
ܘܐܬܚܙܝܘܗܝ ܦܘܪܥܢܐ ܐܝܟ ܗܘܐ ܢܝܫܗܘܢ
ܘܡܟܣܢܐ ܠܟܠܗܘܢ ܟܕ ܡܬܕܒܪ ܗܘܐ
ܠܡܫܡܫܢܐ. ܘܐܦ ܗܘ ܘܠܐܠܗܐ ܘܡܫܟܚ ܗܘܐ
ܡܢ ܟܠܗ ܠܡܚܘܐ ܘܢܝܚܘܬܗ ܘܚܝܠܘܗܝ
ܘܚܕܐ ܐܠܗܝܬܐ. ܘܡܟܝܠ ܗܘܐ ܐܝܟ
ܡܟܣܢܐ ܢܝܫܗܘܢ ܟܕ ܐܦܩܪ ܠܗܘܢ
ܘܠܐ ܡܟܝܠ ܢܦܩܘܬܐ ܘܡܫܟܚܐ ܕܚܝܢܝܟܐ

ܐܠܡܟܢܝ ܡܫܝܚܝ ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܘܠܐܠܡܟܢܝ
ܟܡܐ ܕܐܬܡܛܝܘ ܘܦܫܘ ܘܡܫܝܚܐ ܘܡܟܠܗ
ܟܠܗܘܢ. ܠܐ ܓܝܪ ܡܟܣܠܐ ܦܘܡ ܟܠܗܘܢ
ܘܟܕ ܐܝܬܝܗܘܢ ܟܡ ܦܝܫܘܗܝ. ܐܠܐ ܠܗܘܢ
ܘܐܬܚܕܝܘ ܟܡ ܡܬܠܐ ܕܟܠܗ ܦܝܪܐ.
ܐܡܬܐ ܢܫܬܠܡܘܢ ܘܐܬܚܠܠ ܘܡܫܬܘܫܦܝܢ
ܟܡ ܥܢܝܐ ܟܕ ܟܡ ܕܐܠܐ ܐܬܡܠܝܘ.
ܐܠܐ ܐܘܪܚܗ ܠܟܠܝ ܘܐܝܟ ܐܬܢܐ ܘܡܬܕܡܪܝܢ
ܟܡܫܝܚܐ. ܐܘܪܚ ܟܕ ܓܝܪ ܟܠܐܠܗ
ܡܫܬܡܠܝܢ ܗܘܘ ܘܡܬܩܛܠܝܢ. ܟܕ ܕܝܢ
ܡܟܣܢ ܗܘܐ ܗܢܝܢ ܐܝܟܢ ܡܢ ܐܠܗܘܬܐ
ܡܢܗ ܗܘܐ ܦܠܓܘܬ ܡܘܡܢܐ ܐܝܬܝ ܬܠܝ
ܦܘܬܐ ܦܘܡ ܦܠܗ ܟܠܐ ܕܡܟܣܢܐ.
ܘܟܡܫܝܚܐ ܘܐܘܪܚ ܡܫܡܫܝܢ ܘܡܬܕܡܪܝܢ
ܘܐܬܟܠܝܘ ܡܢ ܡܟܝܠ ܟܕܐ ܘܟܠܗܘܢ
ܡܫܡܫܝܢ ܘܟܠܝܢ ܘܐܬܦܫܡܘ ܦܘܪܣܝܢ.
ܐܦ ܦܘܩܕܢܗ ܘܟܠܗ ܡܟܣܢ ܗܘܐ
ܦܘܪܫܢܐ ܠܡܫܝܚܐ. ܘܡܟܝܠ ܕܡܫܬܥܠܝܢ
ܘܟܠܗ ܕܡܫܡܫ ܠܗ. ܠܐ ܪܫܝܢ ܗܘܘ
ܘܢܗܘܘܢ ܟܐܠܗܐ ܟܡܫܝܚܐ ܘܗܠܝܢ ܠܗܘܢ
ܘܡܫܡܫܐ ܘܡܕܒܪܐ ܗܘ ܦܪܝܫܐ. ܘܠܐ ܐܦܠܐ
ܪܒܘܬܐ ܦܪܫܘܗܝ. ܟܕ ܡܟܣܢ ܗܘܐ
ܐܟܬܒܝܢ ܗܘܘ ܬܠܝܢ ܐܘܟܝܬ ܡܢ ܟܬܒܘܗܝ.
ܠܡܫܬܠܡ ܗܘܐ ܠܗܘܢ ܠܗ. ܠܐ ܗܘܐ ܐܦ
ܡܟܝܠ ܘܡܫܡܫܢ ܗܘܐ ܠܡܫܝܚܐ. ܐܠܐ
ܟܠܐ ܘܐܬܟܠܝ ܗܘܐ ܘܡܬܦܫܩ ܘܚܝܠܐ
ܘܐܬܚܙܝܘ ܦܘܡ ܟܠܗ ܟܡܫܝܚܐ. ܐܝܬܝ
ܐܦ ܘܡܫܡܫܢ ܗܘܐ ܢܦܫܗ ܗܘܐ ܠܗܘܢ
ܠܡܫܝܚܐ. ܘܡܢ ܪܫܝܢ ܗܘܘ. ܠܐ ܡܫܬܪܝܢ
ܗܘܐ. ܘܫܠܡ ܗܘܐ ܘܗܘ ܦܪܝܫ ܘܡܟܠܦܝܢ
ܗܘܐ ܠܡܫܝܚܐ ܐܝܬܝ ܟܡܫܝܚܐ ܦܪܫܝܢ
ܗܘܐ ܟܕ ܦܘܡ ܦܠܓܘܬ. ܘܐܦܩ ܘܐܬܟܠܝ
ܐܘ ܙܘܓܐ ܦܐܡ ܗܘܐ ܟܠܐ ܠܡܫܝܚܐ ܐܝܬܝ

ܗܘܐ ܕܬܬܟܠܐܢܝ ܗܘܐ ܠܡܥܒܕܗܘܢ
ܘܡܫܝܚܘܬܐ ܢܝܪܐ ܘܫܬܘܩܐ ܡܩܒܠܝܢ
ܗܘܐ ܒܠܚܘܕܝܗ ܘܡܫܬܠܡܢܘܬܗܘܢ
ܘܠܡܫܝܚܐ ܡܠܠ ܢܩܦܘ ܢܬܝܚܘܗܝ
ܠܡܫܝܚܐ ܡܚܕܐ ܗܘܐ ܡܢܗ ܚܘܕܬܐ.
ܘܡܥܕܢܐ. ܘܡܢ ܡܕܡܐܗܘܢ ܘܢܟܣܐ ܗܘܐ
ܡܕܒܪܢܐ ܘܦܩܕܬܐ ܠܟܬܒܐ. ܘܗܘܐ ܡܕܒܪ
ܘܐܝܟ ܗܘܐ ܢܟܣܐ ܘܡܫܒܠ ܗܘܐ
ܡܢܗܘܢ ܡܠܟܐ ܐܚܐ ܘܢܫܝܗܘܢ ܡܬܠܦܝܢ
ܗܘܐ ܠܡܫܝܚܐ. ܐܦ ܢܘܚܝ ܐܝܟ
ܒܟܘܠܐܝܗܘܢ ܐܝܟ ܗܘܐ ܘܐܥܠܡܗ
ܗܘܐ ܠܟܠܗܘܢ ܥܡܗܘܢ ܬܠܗܘܢ ܦܠ
ܩܕܡ ܘܡܠܟܐ ܗܘܐ ܡܢ ܢܟܣܐ. ܐܦ
ܡܢ ܕܐܡܠܟ ܗܘܐ ܡܥܒܕ ܡܢ ܐܘܪܫܠܡ.
ܘܡܥܕܢܘܢ ܡܢ ܢܘܗܪܐ ܡܕܝܢܬܐ.
ܘܡܘܫܐ ܡܢ ܐܦܣܘܣ. ܘܡܪܩܘܣ ܡܢ
ܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܕܡܨܪܝܢ ܘܐܢܛܝܘܟܝܐ ܡܢ
ܦܪܘܣܝܐ. ܘܟܠܗܘܢ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܘܩܘܪܝܐ
ܘܐܬܪܐ ܡܢ ܒܬܪܗ ܕܐܦܣܢܝܗ ܕܡܫܝܚܐ
ܬܠܡܝܕܐ ܘܬܠܡܝܕܝ ܟܬܒܐ ܕܦܠܛܐ ܐܦ.
ܐܝܟ ܕܬܠܡܝܕܝ ܢܘܚܐ ܘܡܫܠܡܢܘܬܗܘܢ
ܗܢܘܢ ܕܡܠܟܘܬܗ ܘܠܐܘܡܐ. ܘܕܚܘܪܐ
ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܢܦܫܐ ܡܫܝܚܐ ܘܬܫܠܡܬܐ
ܠܡܫܝܚܐ ܡܫܝܚܐ ܕܡܢ ܚܕܐ ܐܠܗܐ
ܒܟܠܗܘܢ. ܘܐܚܝܕܐ ܪܘܚܐ ܡܟܠܟܠ
ܒܟܠܗܘܢ. ܡܢ ܚܕ ܐܠܗܐ. ܘܗܘܝ ܗܘܐ
ܠܗ ܡܠܟܘܬ ܘܡܚܙܝܢܘܬ ܗܘܐ ܡܠܟܘܬ.
ܘܡܫܒܚ ܐܠܗܐ ܡܚܠܦܢܘܬܗܘܢ. ܦܠܐ ܩܕܡ
ܢܦܠ. ܘܐܬܡܠܟܘ ܡܢ ܟܢ ܢܟܣܐ.
ܘܢܟܣܐ ܐܢܫܝܢ ܗܘܐ ܠܟܠܗܘܢ
ܐܬܡܫܚܘ ܘܐܬܒܚܪܘ ܒܟܠ ܐܠܗܐ ܕܡܫܚܘ
ܘܡܢ ܕܐܡܪ ܠܗܘܢ. ܘܡܫܝܚܐ ܐܢܐ ܒܪܗ
ܠܡܫܠܡܘ ܘܠܠܥܠܡ. ܟܕ ܕܝܢ ܗܘܐ ܠܗ

ܡܘܕܝܢܐ ܡܢ ܫܡܝܐ ܕܢܒܝܐ. ܘܡܥܒܕܝܢ
ܗܘܐ ܐܦ ܠܗ ܫܪܝܐ ܠܒܢܐ ܠܒܢܝܐ ܕܫܡܝܐ
ܘܡܬܒܝܢ ܗܘܐ ܠܡܥܡܘ ܕܡܫܝܚܐ.
ܠܡܫܝܚܐ ܒܝܕ ܡܠܟܘܬܗ ܐܦ ܢܘܚܝ ܘܡܦܢܝܢ
ܗܘܐ ܠܐܠܗܘܬܐ ܐܠܝܢܐ ܡܫܠܡ ܗܘܐ
ܘܡܠܟܘ ܘܐܘܪܚܗ ܠܡܫܠܡܢܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ.
ܘܐܝܟܢ ܕܡܢܘܪܝܢ ܗܘܐ ܡܠܟܝܢ ܗܘܐ
ܒܢܘܡܘܣܐ. ܘܥܘܪܐ ܕܢܘܡܘܣܐ ܘܡܘܡܬܐ ܐܝܬܘܗܝ
ܡܫܠܡܢܐ ܠܟܠ ܘܗܘܝܢ ܘܢܘܗܪܐ ܡܢ
ܡܢܗ. ܘܐܝܟ ܗܘܐ ܕܝܢ ܡܢܗܘܢ ܘܡܫܠܡܐ
ܠܐܢܫܐ ܡܠܟܘܬܐ ܗܘܐ ܠܟܠܗܘܢ. ܘܐܝܟ ܗܘܐ
ܡܢܗܘܢ ܘܩܕܡ ܘܡܢܝ ܗܘܐ ܡܫܡܫܝܢ ܗܘܐ
ܡܢܗܘܢ. ܘܡܕܝܢܝ ܗܘܐ ܠܗܘܢ. ܘܡܫܠܡ
ܘܐܘܪܚܐ ܡܠܟ ܗܘܐ ܠܟܠܗܘܢ ܡܢܦܫܬܗܘܢ
ܠܚܕܘܬ ܗܘܐ ܘܡܢܟܝܢ ܘܡܫܝܚܘܬܐ
ܘܠܟܠܗܘܢ ܡܠܬܐ ܘܠܐ ܢܦܫ ܡܫܡܠܝܢ
ܗܘܐ. ܘܡܠܟܐ ܘܡܘܕܝܢܐ ܘܡܫܡܠܐ ܗܘܐ
ܡܢ ܡܢܝ ܢܘܢ ܢܟܣܐ ܦܪܝܫ ܡܫܬܪܝܘܢ
ܠܐܘܪܚܐ ܦܢܝܬܗ ܘܡܠܟܐ ܡܫܠܡܢܐ.
ܘܟܕ ܡܫܟܚܝܢ ܗܘܘ ܠܟܬܒܐ ܡܫܡܫܝܢ ܗܘܐ
ܠܗ ܫܪܝܪܐ ✣

ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܐܠܗܘܬܐ ܘܡܫܠܡ ܦܠܐ ܡܢ
ܢܝ ܡܢܗܘܢ ܐܒܐ ܘܡܘܕܝܢܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ
ܩܕܝܫܐ ✣

ܡܫܠܡ ܐܒܐ ܘܡܘܕܝܢܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ.
ܐܘܪܫܠܡ ܘܡܫܠܡ ܐܠܗܐ ܘܦܠܛܝܢܝܐ.
ܘܡܢܗ ܡܦܪܫܐ. ܘܡܢܗ ܐܘܪܚܐ ܘܡܢܗ
ܦܠܣܛܝܢܐ ܘܐܠܗܐ ܘܚܕܬܐ ܘܡܘܢܝܐ ܘܡܢܝ
ܒܫܢܬܐ. ܡܢ ܡܫܡܫܢ ܗܘ ܕܗܘܐ ܗܘܐ
ܡܫܟܚܐ ܘܡܕܒܪܢܐ. ܒܟܠܗ ܕܡܫܝܚܐ
ܘܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܗܘܐ ܒܪܘܡܝ ✣

ܡܫܠܡ ܐܒܐ ܘܡܘܕܝܢܘܬܐ ܕܡܫܡܫܢܐ.
ܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܕܒܗ ܘܐܬܠܐܝܬ ܡܠܟܗ

ܘܡܬܢܝܚ ܒܫܡܝܐ ܘܡܫܒܚܝܢ ܠܐܠܗܐ
ܘܫܡܠܝܘܗܝ ܒܕܘܒܪܐ ܠܡܫܝܚܐ ܘܒܬܘܕܝܬܐ.
ܡܢ ܩܕܡܘܗܝ ܡܫܡܫܢܐ ܘܗܘ ܗܘܐ ܗܘܐ
ܐܝܟ ܫܦܝܪܐ ܘܡܫܡܫܢܐ. ܘܟܕ ܪܒܐ ܗܘܐ
ܐܝܟ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܀

ܡܛܠܗ ܐܚܝ ܕܥܘܗܕܢܐ ܕܩܕܝܫܐ.
ܬܘܒ ܡܛܠܗܘܢ ܕܐܚܐ ܘܥܡܗ ܘܡܬܒܪܟܝܢ
ܒܪܘܚܐ ܠܟܠܐ ܐܚܪܢܐ. ܡܢ ܐܠܗܐ ܘܗܘ
ܗܘܐ ܡܫܡܫܢܐ ܘܡܫܡܫ ܗܘܐ ܠܟܪܝܐ.
ܘܟܕ ܗܘܐ ܐܝܟ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܀

ܡܛܠܗ ܐܚܝ ܕܥܘܗܕܢܐ ܕܩܕܝܫܐ
ܐܢܛܘܢ. ܘܡܠܟܘ ܩܕܝܫܐ ܘܡܟܬܒܢܐ
ܘܬܠܡܝܕܐ ܒܪܘܚܐ ܠܒܝܬܗܘܢ ܡܢ
ܡܫܡܫ ܟܠܗ. ܘܗܘ ܡܢ ܗܘܐ ܡܫܬܥܒܕ
ܕܫܦܝܪ ܘܐܝܟ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܡܫܡܫ ܗܘܐ
ܐܝܟ ܫܦܝܪ ܒܪܘܚܐ ܠܟܠܢܐ ܕܡܫܡܫ ܗܘܐ
ܠܥܘܗܕܢܐ ܩܕܝܫܐ ܡܫܡܫ ܢܨܚܢܐ. ܗܘ
ܩܕ ܡܠܟ ܒܗ ܕܦܘܠܘܣ ܘܠܐܫܬܠܡ ܠܗ
ܠܐܚܪܢܐ ܗܝܡܢܘܬܗ ܠܟܝܢܗ. ܐܝܟܢܐ
ܠܗ ܡܢ ܒܪܝܬܐ. ܐܠܐ ܒܒܪܝܘܬܐ. ܘܠܐ
ܕܟܠ. ܫܪܝܪܐ ܓܝܪ ܩܕܡܝܗ ܘܡܠܦܢܐ
ܘܐܡܪ ܥܠ ܐܠܗܐ ܘܐܡܪ ܠܐܚܪܢܐ ܕܢܗܪ
ܟܡܠܦܢܐ ܘܡܢܝ ܡܬܩܒܠܐ ܠܝ ܩܕܡܝܢ
ܘܐܡܪܢܐ ܐܢܐ. ܘܐܡܪ. ܗܟܢܐ ܢܗܘܐ
ܐܘܚܪ. ܘܡܘܕܝܢ ܐܚܪܢܐ ܒܐܠܗܘܬܐ.
ܘܐܫܬܠܡ ܠܗ ܒܝܘܡܗ. ܗܘ ܕܝܢ
ܘܡܘܕܝܢ ܡܫܬܡܥ ܠܗ ܩܕ ܠܗ ܠܐܚܪܢܐ
ܡܫܠܡ ܒܟܠܗܘܢ ܕܒܗܝܡܢܘܬܐ

ܘܕܟܘܟܒ̈ܐ ܘܟܠܗ ܚܘܫܒܐ ܦܪܝܫܐ. ܡܢ ܕܝܢ
ܡܫܠܐ ܘܟܬܒܘܗܝ ܒܚܘܪܘܬܐ. ܘܐܝܟ ܠܝ
ܘܢܠܟ ܡܢܗ ܕܡܠܟܐ. ܡܟܝܠ ܕܝܢ
ܦܘܡܐ. ܟܕ ܐܝܬ ܕܐܦ ܐܘ ܟܢܘܫܝܐ
ܘܡܫܝܚܘܬܐ ܘܠܐ ܒܟܬܒܐ ܡܫܠܡܐܝܢ.
ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ ܡܢ ܟܬܒܐ ܐܪܙܝܢ. ܡܢ
ܐܦܝܣ ܡܫܝܚܐ ܕܝܠܗ ܠܟܠܟܘܢ. ܣܝܡܐ
ܘܡܫܝܚܘܬܐ ܕܒܪܐ ܠܟܬܒܘܗܝ. ܘܟܬܒ̈ܐ
ܠܐܣܘܪܐ. ܘܐܬܟܢܫܘ ܡܠܟܐ ܕܐܡܪ.
ܘܡܢ ܕܐܡܪܝܢ ܠܐܠܗܐ ܘܐܫܬܡܥ ܠܗ
ܠܐܘܪܫܠܡ. ܘܫܡܥܘܗܝ ܐܡܪܝܢ. ܦܫܩܘܗ
ܠܗ ܠܐܝܠܐ ܐܘܕܝ ܘܦܪܐ ܒܟܬܒܐ ܘܡܢܝܢܐ
ܠܦܠܟܐ ܡܢ ܫܡܝܐ ܕܐܪܥܐ. ܘܐܡܪܝܢ
ܡܢ ܟܠܗ ܘܠܐ ܕܝܢ ܐܬܐ ܠܐܡܫܝܚ
ܠܟܠܟܐ ܘܡܟܬܒ ܦܘܡܐ. ܘܐܪܙܐ ܡܢ
ܟܬܒܐ ܡܢ ܡܢܘܬ ܠܝ ܢܦܠܐ ܠܡܫܝܚܘܬܐ
ܘܟܠܗ ܚܫܒܐ. ܘܐܫܟܚܘܗ ܒܐܘܪܚܐ
ܡܫܒܚܢܘܬܐ ܘܟܬܒܐ ܡܪܘܡܐ ܠܒܢܝܢܐ.
ܡܟܝܠ ܕܝܢ ܘܠܐ ܢܦܠ ܐܡܪܝܢ
ܘܐܫܬܡܥܘ ܕܝܠܗ ܘܟܠܗ ܘܡܢܗ
ܦܫܩܘܗ ܕܡܢ ܟܬܒܐ ܢܦܫܐ. ܘܡܢ
ܐܢܫܐ ܡܢ ܡܢܗܘܢ ܠܗ ܠܐܝܠܝܢ ܐܡܪ
ܠܗ. ܕܝܢ ܠܟܬܒ ܘܐܬܐ ܐܝܬ ܠܡܫܝܚ.
ܘܠܐ ܠܐܘܪܚܐ ܕܫܡܐ ܘܐܫܬܡܥܘ ܐܝܟ
ܫܡܝܐ. ܡܢ ܠܐ ܡܫܒܚܢܝܢ ܘܫܡܘܬܐ
ܟܬܒܐ ܗܟܢ ܕܡܠܟܘܬܐ. ܘܕܫܠܡܘܬܐ
ܒܢܘܬܗܘܢ ܠܟܠܟܐ. ܐܠܐ ܕܝܢ ܐܬܐ ܘܡܢ
ܡܢ ܦܘܡܐ ܠܐܬܟܠܝܬ. ܟܠ ܡܫܝܚܘܬܐ
ܘܡܢ ܩܕܡ ܚܫܒܐ ܕܟܠܗܘܢ ܠܟܠܗܘܢ
ܒܢܘܬܐ ܘܠܐ ܦܘܪܫܢܐ ܡܪܘܡܐ ܠܗ ܠܗܘ
ܘܡܫܡܫܢ. ܡܢ ܐܝܬ ܠܗ ܡܢܟܘܢ
ܘܦܘܪܥܢܐ ܗܘ ܚܫܒܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܡܢ
ܟܠܗܘܢ. ܘܐܝܢܐ ܡܫܝܚܘܬܐ ܕܟܠܗ

ܚܫܒܐ ܘܐܝܟܢܐ ܠܗ ܐܣܛܪܘܢܘܡܝܐ ܕܟܬ̈ܒܐ
ܠܥܠܐ ܘܓܐܘܡܛܪܝܐ ܕܡܫܘܚܬܐ.
ܘܠܘܓܝܩܐ ܘܡܠܐ ܡܫܡܠܝܐ ܠܗ. ܗܘ ܕܐܡܪ
ܡܫܬܡܠܝܐ ܢܒܝܐ ܘܡܠܟ̈ܐ ܕܗܘܢܐ
ܢܒܝܐ ܡܢܐ. ܒܢܘܢܐ ܦܠܚ ܘܦܠܚܘܢ
ܠܡܫܝܚܐ ܢܐܡܪܘܢ ܒܥܘܗܝ ܠܐ. ܘܗܘܐ
ܡܫܝܠܐ ܡܫܝܚܝܐ ܐܡܪ ܠܗ. ܘܡܢ ܕܝܢ
ܠܗ ܠܡܫܝܚܐ ܐܡܪ ܡܫܡܫ ܡܢ ܟܠܗ.
ܘܡܢ ܟܬܒܐ ܡܢ ܕܡܢܐ ܡܫܝܚܘܬܐ ܡܫܠܡ
ܘܐܦ ܡܫܡܫܐ ܠܡܟܬܒܘܢ. ܘܐܝܟ ܗܘܠܝܢ
ܡܠܟ ܒܪܘܚ ܐܢܫܝܢ. ܠܡܫܝܚܘܬܐ
ܘܟܠ ܟܬܒܐ ܡܢ ܕܡܢܐ. ܡܢ ܠܟܠܟܠܐ
ܕܝܢ ܡܢ ܟܠܗ ܘܚܫܒܘ ܘܐܫܬܡܥܘ
ܟܬܒܢܐ ܘܐܝܟܢܐ ܡܢ ܦܘܡܐ. ܐܬܡܫܟܚܘ
ܠܡܫܘܚܬܐ ܘܡܢ ܕܝܢ ܗܘܘ. ܡܢ
ܗܢܘܢ ܡܫܡܫܢܝܢ ܗܘܘ. ܘܬܒܪ
ܡܬܡܢܐ ܗܘܐ ܒܗܘܢ ܡܫܡܫܢܐ ܠܐܘܪܚܐ
ܘܡܫܬܥܝܢ ܡܢ ܟܬܒܐ. ܘܡܟܝܠ ܘܡܢ
ܒܗܘܢ ܡܢ ܐܡܪ ܕܡܫܡܫ ܡܫܡܫܢܐ ܠܐܘܪܚܐ
ܘܠܐܟܘܪܟܐ ܡܫܘܚܬܐ ܡܢ. ܐܝܟ
ܡܫܝܚܘܬܐ ܘܐܢܫܘܬܐ ܡܢ ܦܘܡܐ.
ܠܟܠܗܘܢ ܡܢ ܘܡܢ ܗܘܐ. ܘܡܫܝܚܘܬܐ
ܘܟܠܗ ܚܫܒܐ ܡܫܘܚܬܐ ܘܡܢܐ ܐܝܟ
ܘܫܡܘܬܐ ܢܦܫ ܘܡܢ ܠܗ ܠܟܬܒܐ.
ܘܡܢܐ ܗܘ ܚܫܒܐ ܘܫܡܘܬܐ ܗܘ ܦܘܪܫܢ
ܐܝܟ ܘܐܡܪ. ܘܫܡܘܥܐ ܢܦܫܐ ܘܡܫܝܚ
ܘܟܬܒܐ. ܫܡܘܥܐ ܠܐ ܡܫܝܚ. ܘܡܫܡܫܢ
ܘܡܫܡܫܢܐ ܐܘ ܟܬܒܐ. ܘܠܐ ܟܠܐ ܘܡܢܗ
ܘܠܐ ܡܫܡܫܢ ܘܠܐ ܡܫܒܚ ܟܬܒܐ. ܘܠܐ
ܡܢܐ ܟܠܟܘܬܐ. ܡܢܐ ܕܝܢ ܟܬܒܪܐ.
ܘܦܠܐ ܡܫܒܚ ܘܦܠܐ ܡܫܡܠܐ. ܫܡܘܥܐ
ܠܐܝܠܐ ܢܦܠܐ. ܗܟܢ ܚܫܒܘܢܐ
ܘܦܘܪܫܢܐ ܘܡܢܐ ܘܘܚܕܐ ܘܫܡܝܐ

ܬܠܬܐ ܘܢܦܩܘܢ ܡܢ ܐܡܝ ܠܡܫܬܘܬܐ
ܘܡܢ ܡܡܫܚ ܕܢܫܐ. ܘܡܛܠ ܗܕܐ
ܘܡܢ ܐܡܪ. ܕܠܐ ܢܫܬܡܥܘܢ ܠܗ ܦܘܩܕܢܘܗܝ
ܠܗ. ܐܝܕܐ ܗܘܦܟܐ ܕܡܬܝܠܐ ܠܝ
ܡܠܐܟܐ ܩܕܝܫܐ ܘܐܒܗ̈ܬܐ ܐܠܗܝܐ. ܗܘܢܐ
ܘܡܘܕܝܢ ܚܕܐ ܠܗ ܠܡܠܟܘܬܐ ܐܠܗܝܐ.
ܠܐܢܫܝܢ ܕܠܗ ܐܝܟ ܕܡܬܚܙܝܐ ܠܗܘܢ.
ܘܡܬܥܒܕܐ ܐܝܟ ܕܡܠܟ ܗܠܝܢ ܥܠ ܩܕܝܡ
ܢܦܫܗ ܠܡܫܬܡܠܝܘ ܘܐܬܪܐ ܠܐܢܫܝܢ
ܘܡܚܡܣܝܢ ܢܒܚܐ. ܗܘ ܕܐܬܓܠܝܬ
ܘܐܬܦܪܩ ܠܢܦܫܗ ܒܪܘܚܐ. ܐܝܟ ܕܐܡܪ
ܠܡܫܝܚܐ.

ܐܠܐ ܕܦܪܝܫܐ ܪܘܚ ܘܡܠܬܐ
ܐܝܟ ܡܫܡܫ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܐܡܪ ܠܗ ܕܢܗܘܐ
ܡܢ ܚܕܐ ܘܐܠܗܝܢ ܡܢܝܢ ܘܡܕܒܪܢܘܬܐ
ܢܡܘܣܐ ܕܟܠܗ ܡܫܡܠܝܘܬܐ. ܘܡܛܠܗ ܕܐܝܟܢܐ
ܥܠ ܟܠ ܡܫܡܠܝܐ.

ܪܫܐ ܚܝ.

ܡܛܠ ܢܘܪܗ ܘܙܘܗܪܐ ܕܒܪܘܢ
ܢܗܝܪܘܬܗ ܡܬܡܠܝܐ ܒܕܪܓܐ
ܘܐܝܕܝܟܘ.

ܟܝܢܐ ܐܠܗܐ ܘܢܘܪܗ ܘܐܝܬܘܗܝ
ܡܕܒܪܢܐ ܘܢܘܗܪܗ ܒܟܠܗܘܢ ܡܫܡܫ
ܘܥܠ ܡܠܐܟܐ ܕܐܬܝܕܥܘܢ ܫܡܗ ܡܠܟܐ
ܘܢܘܗܪܗ ܒܪܘܚܐ ܡܕܒܪܢܐ ܘܡܠܟܘܬܐ
ܗܘܐ ܡܢ ܩܕܡ ܐܠܗܐ. ܘܡܫܡܠܝܢ
ܗܘܘ ܡܠܟܐ ܘܡܫܡܫܝܢ ܠܗ ܒܛܟܣܐ.
ܘܒܬܪܟܢ ܬܘܒ ܘܐܝܟ ܡܠܟܐ ܢܗܘܘܢ
ܐܡܪ ܠܗ ܪܘܚܢܝܐ ܘܠܗ ܠܡܕܒܪܢܘܬܐ
ܠܢܦܫܐ ܕܪܓܐ ܘܡܫܡܫܢܘܬܐ. ܘܐܠܗܝܢ
ܪܘܚܢܐ ܠܡܫܡܫ. ܘܡܠܟܘܬܗܘܢ
ܘܒܡܫܬܘܬܗ ܐܠܗܝܢ ܕܪܘܚܢܐ. ܡܢ
ܗܘ ܐܒܐ ܘܪܘܚܐ ܡܠܟܐ.

f.166.a ܐܠܗܝܐ ܘܡܛܠ ܪܘܚܗ ܕܪܘܚܢܐ.
ܠܐܠܗܝܐ ܐܝܟ ܕܪܘܚܢܐ ܕܡܕܒܪܢܐ
ܐܝܟ ܕܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܗܘܝܐ. ܟܠ ܦܘܪܫܢܘܬܗܘܢ
ܘܟܠ ܡܫܡܫܢܘܬܗܘܢ ܡܢ ܚܝܠܐ ܘܡܕܒܪܐ:
ܘܦܘܪܩܢܗܘܢ ܘܫܘܬܦܘܬܗܘܢ ܘܪܘܚܐ
ܘܡܫܡܫܢܐ: ܐܝܟ ܕܡܕܒܪܢܐ ܪܘܚܐ ܘܚܝܠܐ
f.166 b. ܘܐܬܓܠܝܬ ܐܠܗܢܘܬܐ ܕܡܢ ܩܕܡ ܪܘܚܢܐ
ܗܘܝܐ ܠܟܠ ܡܢ ܗܘܦܟܐ ܕܟܠܗ ܟܠܗ:
ܘܡܫܡܫܢܐ ܕܚܝܠܐ ܘܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܕܡܘܬܗܘܢ
ܘܦܪܫܢܘܬܗܘܢ ܘܡܫܡܫܢܘܬܗܘܢ
ܘܡܕܒܪܢܘܬܗܘܢ ܡܠܟܘܬܐ: ܐܝܟ ܕܟܠܗ
ܡܕܒܪܢܐ: ܘܚܝܠܐ ܘܐܬܓܠܝܬ. ܐܝܟ ܕܠܗ
ܚܝܠܐ ܕܡܠܟܘܬܐ ܢܘܪܐ ܚܝܠܐ ܡܫܡܫܢܐ
ܡܢ. ܐܝܟ ܠܗ ܠܡܫܡܫܢܐ ܘܪܘܚܐ ܕ.
ܐܢܫܐ ܘܡܠܟ ܡܠܟܐ ܘܡܢܝܢ ܡܕܒܪܢ
ܟܠܗܘܢ ܡܫܬܡܠܝܢ. ܐܝܟ ܠܗ ܡܠܟܐ
ܘܪܘܚܐ ܡܫܡܫܢܐ. ܡܢ. ܐܝܟ ܠܗ
ܡܫܡܫܢܐ ܘܪܘܚܐ. ܕ. ܐܝܟ ܠܗ ܐܠܗܐ
ܘܢܘܗܪܐ ܘܪܘܚܐ. ܦ. ܐܝܟ ܠܗ ܐܠܗܐ
ܘܢܘܪ ܩܕܝܫܐ ܗܘ. ܐܝܟ ܠܗ ܠܡܫܡܫܢܐ
ܘܟܠܗ ܗܘ. ܐܠܗܝܢ ܘܡܢ ܥܠ ܡܠܟܐ.
ܐܝܟ ܠܗ ܟܠܗ ܘܪܘܚܢܐ ܐܝܟ. ܐܝܟ ܠܗ
ܩܕܝܫܘܬܐ ܘܐܝܬܝ ܩܕܡ ܐܠܗܐ. ܐܝܟ ܠܗ
ܢܗܝܪܘܬܐ ܗܠܝܢ ܘܡܠܟܝܢ ܘܡܫܡܫܝܢ
ܐܠܗܝܐ ܐܝܟ ܠܡܠܟܐ ܕܡܕܒܪܢܐ.
ܩܕܡܝܢ ܘܡܫܡܫܝܢ ܘܐܪܒܥܐ. ܗܠܝܢ ܡܢ
ܗܠܝܢ ܘܡܠܟܝܢ ܘܡܫܡܫܝܢ ܠܡܕܒܪܢܐ.
ܐܝܟ ܠܗ ܚܕ ܡܠܟܐ ܐܝܟܐ ܘܡܠܟܝܢ
ܘܡܫܡܫܝܢ ܐܠܗܐ ܡܫܡܫܐ. ܐܝܟ ܠܗ ܠܡܠܟܐ
ܘܡܫܡܫܐ ܘܪܘܚܐ ܠܐ ܐܝܟ ܪܘܚܢܝܐ ܘܢܘܗܪܐ
ܘܡܠܟܝܢ ܘܡܫܡܫܘܬܐ ܐܠܗܐ ܐܠܗܝܢ
ܘܡܫܡܫܢܐ ܘܐܠܗܝܢ ܘܡܫܡܫܢܐ ܐܝܟ ܠܗ
ܠܐܠܗ ܐܝܟ ܪܘܚܢܝܐ ܘܢܘܪܐ ܘܒܗ ܐܝܟ ܗܢܘܢ ܡܫܡܫܢܐ

ܘܗܘ̈ܝ ܘܡܬܟܬܒܢ ܕܫܡ ܕܐܝܟ ܟܢܫܝܢ.
ܘܡܫܡܫܐ. ܗܢܘ ܕܐܡܪ ܐܦܝܦܢܝܘܣ
ܩܕܝܫܐ ܐܝܟܢܐ ܠܐܦܘܠܝܢܪܝܘܣ. ܘܐܦ ܗܢܘ
ܕܡܠܘܗܝ ܘܕܐܦܘܠܝܢܪ. ܘܡܫܠܡܢܘܬܐ ܐܢܫܝܘܬܐ
ܘܢܦܫܐ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܐܝܟ ܕܢܦܫܐ ܠܝܬ
ܘܥܒܕܘܗܝ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܠܝܬ
ܘܡܠܟܘܬܐ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܐܢܫܐ ܩܢܘܡܐ. ܐܝܟ
ܗܢܘ ܐܠܗܐ ܠܡܠܬܐ ܘܚܕܐ. ܐܝܟ
ܗܢܘ ܐܘܣܝܐ ܠܝܬ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܟܕ
ܐܘܣܝܐ ܐܘܚܕܐ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܐܣܩܘܡܐ ܠܐ. ܐܝܟ
ܗܢܘ ܒܣܪܐ ܘܢܦܫܐ ܘܪܘܚܐ ܘܡܠܬܐ ܡܕܡ.
ܟܠܢܫܐ ܐܠܗܘܬܐ ܘܡܠܬܐ ܘܟܠ. ܐܝܟ
ܗܢܘ ܐܘܢܘܡܘܣ ܠ̣ܘ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܐܦܘܠܝ
ܐܢܛܝܘܟܝ ܡܢ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܦܘܠܐ
ܟܠܐ ܘܒܣܪܐ ܘܢܦܫܐ ܡܫܡܫܐ. ܕ.
ܐܝܟ ܗܢܘ ܦܫܝܛܐ. ܡܢܗ. ܐܝܟ ܗܢܘ
ܐܦܫܪܐ ܘܡܫܝܚܐ ܘܐܡܪܘܗܝ ܠܐܝܟ ܐܠܗܐ
ܘܠܡܫܡܫܐ. ܐܝܟ ܗܢܘ ܕܫܡ ܐܣܝܐ

ܐܦܝܦܢܝܐ ܡܠܐܟ ܘܠܗܠܝܢ ܘܟܕ ܚܕܐ.
ܐܝܟ ܗܢܘ ܟܡܬܒܬܐ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܟܕ
ܐܣܩܘܠܐ ܡܠܐܟ ܘܡܫܡܫܝܢ ܘܐܘܪܚܐ. ܐܝܟ
ܗܢܘ ܐܦܝܦܢܐ ܘܢܛܪܝܢ ܡܬܝܕܥܐ ܡܫܡܫܐ
ܘܡܥܒܕܝܢ ܘܐܠܗܐ. ܘܡܫܡܫܝܢ ܠܐ
ܡܠܘܗܝ ܡܢܟܐ. ܘܗܘܝ ܠܐܝܬܘܗ ܘܡܠܬܗ
ܘܡܬܝܕܥܐ ܕܟܐ. ܗܘܐ ܕܝܢ ܡܬܚܘܝܐ ܡܠܬܗ
ܘܡܠܬܗ ܘܡܬܝܕܥܐ ܡܫܡܫܐ ܘܐܘܪܚܐ ܕܫܡܝܐ
ܘܡܫܐ. ܘܡܠܐ ܐܠܗܐ ܘܐܠܗܝܢ ܘܡܠܐ.
ܘܗܘܝ ܡܫܡܫܐ ܐܘܪܚܐ. ܗܘܐ ܡܫܡܫܢܐ
ܘܐܦ ܗܢܘ ܘܡܬܝܕܥܐ ܡܢ ܡܬܚܘܝܢܐ ܠܡܥܒܕܢܘܬܐ.
ܡܫܡܫܐ ܠܐܘܪܚܐ. ܘܡܢ ܐܪܥܐ ܠܡܫܡܫܢܐ.
ܡܫܡܫܐ ܠܐܘܪܚܐ.

ܡܫܡܫܝܢ ܗܘ ܕܝܢ ܐܠܗܘܬܐ ܘܢܦܫܐ
ܡܠܘܗܝ ܐܢܫܐ ܠܗ ܡܢ ܡܫܡܫܐ. ܡܠܐܟܐ
ܘܡܫܡܫܐ ܐܘܪܚܐ ܘܡܠܘܗܝ ܐܘܣܝܐ ܘܡܫܡܫܢܐ
ܘܡܘܫܐ.

ܘܥܠ ܟܠ ܡܠܘܗܝ ܘܐܦܣܩܐ ܗܠܝܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܘܪܚܐ ܘܐܝܟ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ.
ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܗܠܝܢ ܡܫܡܫܐ.

ZACHARIAE RHETORIS
EPISCOPI MELITINENSIS
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
CAPITA SELECTA
EX CODICE SYRIACO VATICANO (1).

CAP. I.

De Nestorii obitu.

Mortuo fideli principe Theodosio, imperium obtinuit Marcianus, qui instante apud eum uxoremque eius Pulcheriam Leone romano, congregari iussit synodum, quae reapse coacta est Chalcedone, anno Alexandri macedonis DCCLXIV, convenientibus ad eam episcopis sexaginta quatuor supra quingentos. Sed tamen Theodoretus Cyri episcopus Leonem antea concitaverat ad scribendum ad Flavianum eam epistolam, quae dogmatica dicitur, eutychianae doctrinae adversantem. Scribens itaque Leo, Theodoretum Marciano augusto eiusque coniugi impense commendavit: qui quidem Augustus Nestorii doctrinam hauserat (2), eiusque dogmatibus adhaerebat: quare et ipsum ex oasено exilio per Iohannem tribunum una cum Dorotheo Marciani ipsius populari, Nestorii socio, revocaverat (3). Porro redux Nestorius sanctam Virginem deiparam coepit his verbis irridere: quid est Maria? Adhuc ne mater Dei vocatur? Moxque ei poena Dei vindex supervenit, veluti olim Ario, qui in Dei filium blasphemus fuit: etenim iumento deiectus Nestorius, concisa lingua, atque ore vermibus abroso, in itinere extinctus est; cum eoque simul Dorotheus socius obiit: quibus auditis, doluit imperator, neque hanc rem sine suspicione et cura transmisit. Interim Iohannes tribunus litteras imperatoris Marciani Dioscoro et Iuvenali tradidit, quibus ad synodum invitabantur, iisque Nestorii et Dorothei obitus significabatur. Porro quum episcopi undique evocati synodum Nicaeae, prout primitus indictum fuerat, celebraturi essent, mandavit postea imperator ut Chalcedone potius congre-

(1) Has nobiles Zachariae historici partes, graece ab auctore suo scriptas, deinde ab anonymo factas syriacas, mihi latine scribenti interpretabantur ex syriaco idiomate perdocti duo Maronitae Matthaeus Sciahan et Franciscus Mehaseb. (2) Nimirum Eutychiani, quorum in numero fuit Zacharias, orthodoxis catholicis nestorianismi calumniam affingebant. (3) Legebat hunc Zachariae locum Evagrius hist. eccl. lib. II. 2: Ζαχαρίας μὲν ἐμπαθῶς ὁ ῥήτωρ καὶ Νεστόριον ἐκ τῆς ὑπερορίας μεταπεμπτὸν γενέσθαι φησὶ (πρὸς σύνοδον).

garentur; ne videlicet rebellium conventus Nicaeae fieret. Interim Nestorii adseclae imperatori persuaserunt, ut synodo praeses Theodoretus praeficeretur, cuius arbitrio cuncta definirentur.

De Dioscoro.

Apostolicus hic vir (1), apostolorum doctrinae adsecla, eiusque profitendae ritum ab infantia doctus, sede sua depositus fuit, et in exilium pulsus, quia personae unitatem in duabus naturis adorare renuit, prout a Leone et a concilio chalcedonensi definitum fuerat; et quia Theodoreti Ibaeque partes sequi noluit, qui ob suas blasphemias eiecti ab ecclesia olim fuerant. Aiunt Dioscorum, quum Theodoretum haud pro more stantem sed sedentem in concilio loqui vidisset; venia petita, et ceu ipse canonice de gradu sacerdotali depositus esset, thronum suum deseruisse dicentem: *non sedi cum impiis, neque cum stultis ingressus sum.* Quo viso, Theodoreti fautores ipsum sibimet dignitatem abrogasse exclamaverunt: reliqui contra episcopi vociferabantur fidem pessumdatum iri, si Theodoretus nestorianus admitteretur, quod perinde esset, ac si nos quoque Cyrillum reiiceremus. - Et paucis interiectis. - Postquam symbolum de duabus naturis episcopi receperunt, eique adsensum suum praebuerunt; fraudem propriam palam Theodoretus facere coepit, irridens illos atque subsannans; hem, inquiens, nestoriani dogmatis sucum eis propinavi, gratumque reddidi. Ceterum confessor Dioscorus Gangra ad habitandum extrusus est. Iuvenalis autem, qui secum fuerat, fidem negavit, postpositisque promissionibus, quas coram civibus hierosolymitanis fecerat, chalcedonensis synodi decreta amplexus est, uti deinceps patebit.

CAP. II.

De Proterio in locum Dioscori Alexandriae ordinato.

Dioscoro in alexandrina sede Proterius sufficitur, qui presbyter cum eo fuerat. Hic primum quidem vehementer synodo adversabatur; verum postea ut thronum sibi usurparet, factus est, veluti Iudas magistri, et veluti parentis Absalon, proditor. Mox rapacis ritu leonis in grege suo semet ostendit: etenim coepit multos iniuriis adficere atque opprimere, ut inviti in sententiam suam irent, eosque exilio et bonorum proscriptione mulctabat per civiles praefectos qui ei de mandato Caesaris obnoxii erant. Quamobrem presbyteri ac monachi populique pars maxima religionem corruptam reputantes, et iniquam Dioscori depositionem, Proteriique audaciam et improbitatem, consensu inter se inito ab eo secesserunt; coeperuntque Dioscorum proclamare, eiusque nomen tamquam probi fidelisque Dei sacerdotis libro vitae inscripserunt. Quod indigne admodum ferens Proterius, munera Romanis obtulit, eorumque arma contra populum commovit, interemptorum sanguine manus suas cru-

(1) Zacharias haereticus Dioscorum laudat haereticum.

entans: vim enim publicam intulit, nec sine multorum caede pugnatum est apud altaria et baptisterium, ad quae supplices confugerant (1).

CAP. III.

De Iuvenali atque Theodosio.

Paria, immo graviora, scelera in Palaestina acciderunt, quorum causa haec. Quo tempore Iuvenalis Chalcedonem evocatus est, quum e Iobanne tribuno imperatoris voluntatem Nestoriumque ab exilio revocatum obiisse cognovisset; satis praeterea exploratum habens quam turpis doctrina in dogmatica epistola contineretur, quippe quae Nestorio prorsus favebat; clero, monachis, populoque advocato, fraudem eiusmodi doctrinae aperuit, eamque anathematizavit, animosque plurimorum in vera fide firmavit: insuperque mandavit, ut si ipsemet sententiam in synodo aliquando mutasset, numquam se deinceps ad communionem admitterent. Reapse illuc cum Dioscoro socio progressus, diu pro fide certavit: postremo tamen, urgentibus imperii necessitatibus, imperatore ipso mire adulante atque blandiente, quippe qui episcopis manu propria ministrabat ad mensam, aliaque edebat demissi reverentisque animi indicia; accepta demum ab eo promissione de subiiciendis tribus Palaestinae sedibus honori cathedrae hierosolymitanae; mentis oculos sibi obstruxit, solum destituit in certamine Dioscorum, et adversariorum in partes transiit, spretoque Dei iureiurando, cum ceteris episcopis subscribere passus est. Re cognita Theodosius monachus eiusque socii, qui acta synodi studiose observabant, confestim in Palaestinam reversi proditam fidem Hierosolymae nunciaverunt, coactosque monachos de re tota certiores fecerunt.

Proinde omnes consilio inito redeunti Iuvenali occurrentes, de promissis factis et postea fractis admonuerunt, ab eoque ut res gestas anathemate improbaret, expostularunt: quibus ipse velut alter Pilatus ait: quod scripsi scripsi: quo audito monachi, se minime eum recepturos, quandoquidem iusiurandum promissionesque fregisset protestati sunt. Sic ergo ipse quidem ad imperatorem regreditur; hi vero Hierosolymam reversi populum et suarum partium episcopos convocaverunt capiendi consilii causa, atque alium episcopum Iuvenali substituendum decreverunt: habitaque primum deliberatione circa duos verecundos monachos Romanum atque Marcianum, aliosque claros virtute homines, suffragia tandem ad Theodosium contulerunt, praeditum zelo virum, et pro fide iamdiu decertantem. Hunc igitur ad episcopatum vi pertraxerunt, reiectis precibus eius atque adiurationibus, quibus orabat ut se ministrum potius alterius eligendi esse sinerent; consecratumque in sede collocaverunt. Hac accepta notitia, aliae Palaestinae urbes offerebant ei candidatos ad sa-

(1) Evagrius hist. eccl. II. 8. Τῷ μέντοιγε Ζαχαρίᾳ τὰ περὶ τούτων διηγουμένῳ δοκεῖ πεπρᾶχθαι μὲν τὰ τούτων πλείω, ἐξ αἰτίας δὲ Προτερίου, μεγίστας ταραχὰς τῇ Ἀλεξάνδρου ἐμποιήσαντος· οὐκ ἐκ τοῦ δήμου ταῦτα τετολμῆσθαι, ἀλλ' ἐκ τινων στρατιωτικῶν, ἐξ ἐπιστολῆς Τιμοθέου πιστούμενος πρὸς Λέοντα γεγενημένης.

cerdotii officium consecrandos, quia videlicet hominis virtutem veritatisque zelum compertum habebant.

CAP. IV.

De Petro ibero.

In his novi episcopi admiratoribus Petrus iberus erat, toto orbe clarus, vir consiliosus, Theodosio olim obses datus, eique et coniugi ipsius carissimus propter actam recte vitam; namque in aula regia educatus fuerat, et magistri equitum dignitatem in imperio adsecutus erat. Is deinde relicta aula, christianam professionem amplexus est cum fideli patrino suo, a quo de fonte spiritali levatus fuerat: ambo itaque in viam virtutis valde provecti sunt, ita ut miracula etiam Deus Constantinopoli per illos ediderit; qua ex urbe fugientes ad Palaestinae deserta se contulerunt, ubi monasticam vitam studiose coluerunt; quantoque magis semet celare nitebantur, tanto de ipsis vehementior fama crescebat: etenim prodigia quoque non secus atque olim apostoli patraverunt. Denique dum varias stationes mutant, Gazam atque Maiumam devenerunt: quibus omnis generis conditionisque viri atque feminae obviam facti, Petrum vi correptum Hierosolymam ad Theodosium perduxerunt, orantes ut eum sibi episcopum daret. Et Petrus quidem multis causis in medium adductis resistebat; verumtamen Theodosius, cui candidatus satis erat cognitus, reluctantem imposita manu consecravit: qui in his angustiis positus coepit se haereticum dicere; quo audito parumper subsistens Theodosius; de me, inquit, et de te pariter tribunal Christi iudicabit: quo audito, verbum suum Petrus correxit, seque non haereticum sed peccatorem esse ait. Ceterum Theodosius, cui viri mores satis cogniti erant, Gazensibus episcopum eum ordinavit. Aliae etiam viri huius in scriptis feruntur laudes, quas nos brevitatis causa praetermittimus.

CAP. V.

De Theodosii expulsione.

Dum haec Theodosius prospere gereret, audita rerum notitia imperator Marcianus, Iuvenalem cum Dorotheo Comite exercituque misit, ut in vincula Theodosium coniicerent, episcopos ab eo auctoritate propria ordinatos sedibus pellerent, monachos populumque punirent atque vexarent, propterea quod Theodosium temere et audacter episcopum Hierosolymae fecissent; uno excepto Petro ibero, pro quo Augusta intercesserat, licet is cum universitate episcoporum communicare negaret. Adveniens igitur Iuvenalis multos invenit animo simplici monachos, vera tantummodo fide rectisque operibus armatos: quibus initio quidem blandiens ut secum communicarent orabat; verum hi dicta eius prorsus aversabantur, nisi ipse ea quae violenter apud Chalcedonem acta fuerant anathematizaret: quibus cum imperatoris voluntatem opponeret, nihilominus hi recusabant. Tunc demum mandato eius Romani ac Samaritani coeperunt monachos fustibus caedere atque enecare qui cantantes aiebant: *Deus venerunt gentes in hereditatem*

tuum, polluerunt templum tuum, posuerunt Hierusalem desolatam. Sane nonnulli Romanorum misericordia tacti flebant; alii tamen coniuncta opera cum Samaritanis permultos monachos interfecerunt, ita ut horum sanguine terra redundaret.

Quidam autem samaritanus caecus ducem suum fefellit dicens: quoniam oculis nequeo christianorum occisorum sanguinem cernere, eoque laetari, oro te ut ibi memet admoveas quatenus tangam: quem ubi dux admovit, is tacto sanguine manus oblinivit, humique pronus flens orabat ut eorum martyrii particeps fieret. Moxque surgens oculos suos eo cruore perunxit, sublatisque in caelum manibus, oculos sibi aperiri sensit ac vidit, et salutari baptismo donatus est: quam rem quotquot audierunt, admiratione tacti fidem susceperunt. Ceterum mandatorum regiorum ministri, quoscumque vivos dimiserant, finibus imperii extorres fecerunt. Aiunt autem, quod quum Petrus ille, de quo supra dictum est, tranquille ageret, nemine scilicet, ob Imperatoris mandatum et Augustae patrocinium, ei molestiam exhibente, Dominum nostrum per visum conspexerit subirato vultu sibi dicentem: ergo ne, Petre, ego in fidelibus meis persecutionem patior, tu vero quietem sequeris? Cui mox Petrus quietis suae paenitens obsecutus est, relictaque Gaza, cum agmine patientium demigravit.

CAP. VI.

De Salomone monacho.

Postquam Iuvenalis romano exercitu fideles ac monachos, qui in pagis degebant, persecutus fuit, Hierosolymam venit, sedemque suam occupavit, promissosorum suorum, caedium patratarum, periuriorumque, quae ingressum eius comitata fuerant, prorsus oblitus. Tunc quidam monachus, nomine Salomon, verecundiae typus venerabilis, zelo commotus, benedictionem ab archiepiscopo postulare se simulavit; sportamque cinere ac pulvere plenam brachio gestans, Iuvenali appropinquavit, quem hic conspicatus ad se accedere iussit: cui Salomon, adsum inquit, Domine, ut a te benedicar; Romanisque accessum ad personam concedentibus, ille sportam pulvere onustam in caput Iuvenalis effudit, his verbis utens: *pudore et ignominia suffusus est mendax et persecutor:* quem cum Romani verberaturi essent, non sivit Iuvenalis; neque excanduit, sed eo facto attonitus, pulverem capite excussit. Interim monachum apparitores e conspectu Iuvenalis removerunt, quem is viatico attributo discedere iussit; sed enim monachus repudiata pecunia abiit.

CAP. VII.

De Zenonis obitu et de Anastasii exaltatione.

Exactis Zeno in imperio annis XVII, sicuti in libri sexti capitulis dictum fuit, obiit olympiade CCCXVII, anno Graecorum DCCCII, indictione XIV, hebdomadae maioris feria quarta. Huic successit Anastasius, qui decurio silentiarius fuerat, urbe Dyrrachio ortus, specioso corpore, animo integerrimo,

fidelique dogmate praeditus vir (1): qui apud Ariadnem augustam stipendia faciens, gratia eius pollebat, donec ad imperium voluntate eiusdem adsumptus est.

CAP. VIII.

De visione Iohannis scholastici amidensis, Donati cuiusdam fratre, circa Anastasii imperium.

Paucis antequam Anastasius purpuram sumeret diebus, Iohannes quidam, cognomento scholasticus, Donati frater, amidensis, vir inlibata iustitia, Dei reverens, vitio omni alienus, et in suo scholastici ecclesiae officio sponte ac libere perseverans, quum ob patriae suae negotia Constantinopoli versaretur, bis per visum cognovit fore ut Anastasius silentiarius regnaret: quem ad se vocatum ita adlocutus est: te quantocius regnaturum vaticinor: cura igitur ut pro tua excellente animi virtute sanctae Dei voluntati acquiescas: pacificum te, tranquillum, humilem, cunctis dotibus exornatum exhibe, et erga omnes mitem et comem, et tui generis omnibus fave. Neque haec aio, quia tui sim indigus, vel ut sibi blandiar. Iam vero quia hic Iohannes satis erat clarus, multisque ob actae vitae rationem bene cognitus, fidem ei Anastasius sine dubitatione adhibuit, atque apud eum in ecclesiae vigiliis erat adsiduus. Contigit autem ut ad regium fastigium evectus gratiam rependere amico suo Anastasius satageret, iis videlicet rebus, quas mortales potissimum appetere solent; sed enim Iohannes nihil omnino ab Augusto accipere passus est; cito insuper ex urbe regia in patriam suam discessit; hoc uno contentus, quod ab Anastasio impetrasset ut ea, quae Zeno pro Christianis constituerat, firma manerent.

CAP. IX.

De Amida a Persis expugnata.

Regnante apud Persas Pheroze, anno Anastasii XIII, Hunni viis locisque montanis, quos Persae custodiebant, superatis in Persidem incurrerunt: quorum terrore Pherozes coacto exercitu obviam illis se obtulit, ut causam motus eorum atque incursionis in Persidem exploraret: cui responderunt illi, haud sibi ea stipendia sufficere quae tamquam barbaris Persae pendebant: nos enim, aiebant, sub dio ritu ferarum vivimus in septentrionalibus, quae ad occasum vergunt partibus, arcu et gladio victum quaerimus, atque omni carnium genere vescimur. Praeterea Romanorum imperator duplex nobis stipendium per legatos suos promisit, si certe nostram vobiscum, o Persae, societatem diremerimus. Haec igitur causa est, cur accincti huc venerimus: quamobrem vel nobis, quantum Romani, oportet detis; vel si minus, bellum parate.

His auditis Hunnorum molitionibus Pherozes, quamquam eos minore numero quam suas copias esse videret, nihilominus fallaci eos promissione decipere maluit. Interim Hunnorum duces cum quadringentis armatis proces-

(1) Hinc etiam Samuel armenius a me editus, de cuius monophysismo iam non dubito, scribit in chronico: *Zeno et Anastasius orthodoxi habentur.*

serunt, quibuscum erat Eustathius quidam apameensis mercator et magus, cuius Hunni consilio utebantur. Vicissim processit cum quadringentis viris Pherozes, simulque omnes conscenso monte, foedus inierunt, et communicato convivio, mutuam sublatis in caelum manibus fidem iurarunt. Exin discedentibus ad suam regionem Hunnis, praeter aliquot duces, qui cum quadringentis illis exigendi stipendii causa remanserant; Pherozes post decem dierum curriculum fidem fregit, bellumque adversus Hunnos instruxit: qui sane cum illis quadringentis, suisque ducibus, pedem iam referebant; nisi Eustathius Hunnorum animos instaurasset, quominus etsi minore numero extimescerent: interim vero, eodem suadente Eustathio, tus et muscum in quo loco iuratum fuerat, Deo incenderunt, ut periuros ulcisceretur. Deinde Pherozem bello adgressi cum eius universo exercitu occidione occiderunt, et Persidem depopulati, in suas terras sese receperunt. Porro Pherozis cadaver (quem in regione sua cognomento mendacem appellabant) nusquam apparuit.

Qui autem huic successit im imperio Cavades eiusque proceres infensis adversus Romanos animis erant, eosque incusabant de Hunnorum incursu et de patriae suae vastitate atque pernicie. Contractis itaque copiis Cavades Theodosiopolim in Armenia adgressus expugnavit; attamen eius civibus clementem se praebuit, quia nulla eum contumelia laeserant. Ceterum Constantinum urbis praefectum secum abduxit, et mense octobri ante Amidam constitit Mesopotamiae urbem, eamque magno impetu sagittis verberare coepit atque arietibus, quibus moenia prosternere nitebatur. Pellibus enim, tamquam tecto, machinas Persae protegentes, urbi admovebant, eductoque excelso aggere, moeniis coaequabant: nihilominus quotidie pugnantes, urbem haud expugnabant, miles autem varia opera et proeliis magnopere atterebatur. Per id tempus magna vi conviciorum et derisionum Cavadis aures ab iis qui in moeniis consistebant verberebantur: quibus ille summopere dolens, valde etiam animo angebatur, propterea quod et rigida ingruebant hiems, et Persae laxis vestibus implicati languidiores videbantur, et eorum arcus humido aëre enerves fiebant, frontes denique arietum moenia in cassum ferientes nullo his detrimento erant, neque ullam ruinam efficiebant: etenim defensores, iuncorum fascibus inter se connexis, ferientium arietum vim obtundebant, vel a recto cursu, quominus moenia diffinderent, dimovebant.

Iam ubi machina consistebat, cives urbis murum ab interiore parte perforantes, materiamque effossam foras proicientes, loci cavitatem sarmentis desub oppleverunt. Quo facto, quum in machinam quingenti circiter viri e Persis delecti cum armis inscendissent, iamque trabes in moenia protenderent, ut per eas insilirent (rege ipso adstante cum exercitu, et clamoribus animos addente, armis insuper et sagittis opem ferente, et praesentia adspectuque suo eos stimulante) defensores ervum cum stacte coctum trabibus e moenibus superiaciebant, bubulas quoque pelles aquis cum ervo decoctis, ut lubricas redderent, perfundebant; ignem denique sarmentis,

quae machinae supposuerant, iniiciebant: quamobrem continuato per sex horas proelio, dum Persas ab urbis aditu defensores repellerent; ignis sarmenta corripuit, statimque materia reliqua flammis exarsit, atque ita consumpta machina corruit, Persis qui in ipsa erant ambustis atque contritis, lapidum quoque grandine ab iis qui in muro erant percussis: ita ut rex pudibundus moestusque recederet; praesertim quia ab audacibus superbisque civibus magnopere maledictis proscissus irridebatur.

Quippe non aderat in urbe episcopus, qui eos ab illa temeritate compesceret: nam paucis ante diebus mortem cum vita commutaverat Iohannes episcopus, vir frugi et castus, et sanctis moribus praeditus. Hic e monasterio Cartaminensi ad episcopatum adsumptus, nihil de ieiunio abstinentia priscisque moribus immutaverat, sed diu noctuque in monasterio perstabat: opulentos autem civitatis, famis tempore et incursionis Arabum atque pestilentiae graviter admonuerat, ne frumentum in annonae caritate supprimerent, sed potius venderent indigentibusque concederent, ne forte ipsum venturis hostibus reservarent, ut ait scriptura, cuius vaticinium verax evasit. Huic palam conspiciendum se dedit in altaris latere angelus, hostiumque adventum praenunciavit: et praeterea quod ipse, institiae suae causa, antea ad Deum colligendus esset, quam hostes urbem invaderent: quae omnia ipse universo civitatis populo revelavit, ut paenitentiam agerent, et imminentem poenam vitarent.

Iam vero victus cum suo exercitu post repetita adversus urbem certamina Cavades, multisque suorum amissis, animo fractus petiit ut sibi tenuis argenti summa appenderetur, qua accepta, ab urbis obsidione discederet. Verum Leontius Bar-Paphi, nobilitatis princeps, et Cyrus praefectus, et Paulus oeconomus, Cavadi responderunt velle se, ut ipse potius segetis omnis pretium solveret, quam eius exercitus consumpserat, praetereaque tritici ac vini, quod e pagis ad se vehendum curaverat. Dum ergo his omnibus angustiis pressus ac perturbatus discessum rex moliretur, Christus ei per visum nocturnum apparuit (ut idem postea narravit) promittens se intra triduum urbem ei cum civibus traditurum, qui scelera adversus se commiserant. Res autem isthoc modo peracta est. Turris quaedam in parte urbis occidentali commissa fuerat custodiae monachorum qui monasterium Iohannis iberi incolebant, quorum abbas gente persa erat. E regione turris huius vigilibus monachis creditae, castra posuerat dux quidam Canerakus Haghirus dictus, qui non solum notu diligenter advigilabat, verum etiam omne studium et artificium iamdiu adhibebat, ut stratagema aliquod ad capiendam urbem excogitaret.

Erat autem quidam in urbe cui nomen vulgo Cutricus, vir turbulentus et rapax, qui omne genus audaciae adversus Persas expromens, plurimam ex eis praedam agebat: atque hunc ipsi Persae, prout ab iis qui moenia tuebantur audiebant, Cutricum appellabant. Interim Canerakus prope turrim per acquaeductus exeuntem ipsum ad praedam regredientemque observabat: quin adeo quandoque Persae liberam ei

praeliandi potestatem permittebant, intentis in eum oculis, moxque eum persequebantur, atque ita exitus reditusque locum comperiebant. Ea vero nox, quae urbi suprema evasit, obscura admodum et pluvialis fuit, contigitque ut civis quidam monachis amicalem caenam instrueret vino ad multam noctem propinato: quare ipsi, occupante somno, excubias pro more solito non tenuerunt. Cum igitur Cancrakus cum paucis suis, Cutricum persequens, ad moenia accessisset, neque clamorem sustulerunt monachi, neque lapides iecerunt: ex quo intelligens Cancrakus monachos somno indulgere, statim scalas militesque accivit; atque illico qui cum eo erant per aquaeductus ingressi in monachorum turrim evaserunt, iisque interfectis turri potiti sunt, moxque applicitis ad moenia scalis nuncios ad regem miserunt. Eo casu intellecto qui proximam turrim custodiebant, clamore edito suppetias extinctis monachis ferre conati sunt; sed frustra; immo ex eis nonnulli sagittis Persarum icti perierunt. Tum Cyrus praefectus rei certior factus, cum lampadibus accensis accurrebat, atque ita facile Persarum telis patuit, qui in obscuro degentes ab hostium iaculis tuti erant. Sic Cyrus vulneratus discessit.

Diluculo autem rege cum copiis superveniente, scalae in moenia directae sunt, et miles conscendere iussus. Tum multi ex iis qui conscenderant, lapidibus telisque percussi, lanceisque repulsi, peribant: qui autem timore victi scalis desiliebant, eos rex ceu pavidos fugitivosque occidi iubebat. Quamobrem resumptis animis Persae, gloriam potius ex victoria et pugna, vel certe mortem pugnando partam adipisci decreverunt, quam a proprio rege contemni et occidi, qui certaminis spectator adstabat. Et cives quidem conati sunt turrim quam tenebant Persae subruere, iamque eius trabes dissolvebant; sed interim altera turris occupata fuit, et mox alia, moeniumque defensores occisi. Petrus autem quidam, patria hamcarensis, ingenti corpore vir, partem aggeris civitatisque solus defendendam sibi vindicavit, ferreo thorace munitus, missilia spargens, Persas propulsans, quemvis aditu egressuve prohibens, gigantis instar firmus atque inconcussus; quumque in aliis Amidae partibus multa hominum milia perissent, in caniculis, puteis, templisque, quinque iam turribus expugnatis, ipse incolumis, nullo vulnere accepto, fuga se subduxit. Persae vero ulterius progressi cunctis moenibus potiti sunt, repulsis occisisque continenter per duas noctes unamque diem custodibus: ac tum demum descensione facta portas reserarunt, atque universus irrupit exercitus cum mandato regis, ut tribus diebus totidemque noctibus cuiusque gradus dignitatisve viros ac feminas interimerent. Exitium evasit una ecclesia, quam magnam appellabant, XL. martyribus dicata, regulo quodam christiano, ex Aran regione, apud regem intercedente, qui eam plenam hominibus servari indulsit.

Triduo demum exacto, vastitatem rex inhibuit, deputatique fuere custodes spoliorum aedium sacrarum atque palatiorum, ut quidquid coacervatum fuerat, regi servarent: qui etiam mandavit, ut occisorum conquisita cadavera extra occidentalem portam

efferrentur, ut ipse postea per meridionalem ingrederetur. Coacervata itaque sunt et inter efferendum numerata cadaverum octoginta milia, praeter illa quae vel mersa cuniculis, vel in puteos proiecta, vel in atriis relicta fuerunt. Deinde rex ecclesiam ingressus, quum ibi domini nostri Iesu Christi qui Galilaei habitu depictus erat, imaginem aspexisset, cuiusnam ea esset percontatus est; respondentibus autem qui aderant, Dei Nazarenorum esse imaginem, inclinato rex ante illam capite; hic, inquit, mihi dixit, remane: urbemque a me tibi tradendam propter civium scelera, cape.

Sic igitur Dei nutu tradita Persis urbe, Cavades ingens argenti pondus sacrorumque vasorum aureorum, aliamque pretiosam supellectilem cepit, quae ante paucos annos legata fuerat ecclesiae ab Isaaco Barai filio, consulari viro et inter cives valde opulento. Reperit etiam magnam optimi vini vim, ad faecem usque exsiccati, quod moris erat in sole per septennium collocari, atque ita aridum solidumque fieri. Hoc in pulverem redactum solebant oeconomi in itineribus secum ferre, lineis sacculis pure repositum, eiusque tenuem partem potioni admiscebant, id quod vini saporem gustumque reddebat, ignaris autem *hana* id esse, crocum videlicet, persuadebant. Id vini genus magnopere admiratus est rex, secumque abstulit; verum ex eo tempore ars huiusmodi gastrimargica inter Christianos oblivione deleta est. Aurum deinde argentumque et omnis pretiosa vestis ex aedibus optimatium collecta praefectis aerarii regii tradita fuit: statuae quoque depositae sunt, et horologia (*solaria*) et publica marmora, et aes omne, et quidquid libitum fuit, tumultuariis scaphis impositum per Tigrim, qui partem urbis orientalem praeterfluit, in Persidem deferebatur.

Conquiri deinde rex iussit urbis magistratus et gubernatores, eique oblati sunt Leontius et Cyrus praefectus, qui telo vulneratus fuerat, reliquique duces. Nam oeconomum quidem Paulum Bar-Zainab Persae trucidaverant, ne is forte regi vim magnam auri renunciaret, quae apud ipsum comperta fuerat. Leontium deinde et Cyrum veste sordida indutos, fune suillo collis illigato, porcasque femellas eis imponentes, trahentesque infamiae causa clamabant: hoc opprobrio digni sunt praefecti illi qui male urbem suam rexerunt, neque eius populum ab irridendo rege *nostro* cohibuerunt. Postremo catenis vincti, cum omnium artificum turba, regio servitio seu captivitati addicti in Persidem a militum manu deducebantur. Post haec nonnulli de exercitu regem adeuntes sic eum adfati sunt: cognati nostri fratresque ab huius urbis civibus in proelio percussi perierunt; postulamus igitur, ut decimus quisque civis ulciscendi gratia nobis tradatur. Reapse instituto calculo, is numerus e civium coetu concessus fuit, quos exquisitis cruciatibus necaverunt. Rex autem in balneo Barzainabi lavit, et hieme exacta urbe digrediebatur, relicto ad eam regendam Eglone tribuno militum cum aliis duobus ducibus, tribusque militum milibus ad praesidium, nec non Iohanne Bar-Balha

optimate, et Sergio Bar-Zabduni, qui militiae praeessent.

Proxima vero aestate adventarunt Amidam Romani, ducentibus exercitum Patricio supremo duce, provectae aetatis viro, et recto ac fideli, sed consilii inope, cum Hypatio, Celere magistro, et Areobindo: quibuscum erat etiam Iustinus Comes, qui post Anastasium purpuram induit. Hi collatis viribus urbem quatere bello coeperunt, turribus ligneis, machinis, cuniculis; portaeque ipsi, cui nomen Mar-Zoane, ignem iniecerunt: verum ingressu prohibiti a Persis sunt, qui portam denuo clauserunt; quare frustra fuere Romani, neque urbem marte obtinere potuerunt. Iam quanta fuerit populi angustia famis causa, quae in dies saeviebat, adeo ut cives invicem devorarent; quamque tetra et lacrymabilis sit haec narratio, in sequenti capitulo palam fiet, ubi belli amidensis historiam persequor.

CAP. X.

De redemptione Amidae.

Cavades rex, quum ab urbe Amida, uti supra dictum est, cum exercitu discederet, reliquit ibi Eglonem ducem, duosque praefectos, et tria circiter militum milia praesidii causa, cum duobus tribusve optimatibus aliisque eiusdem urbis hominibus. Quum autem praedicti Romanorum duces Amidam expugnare nequaquam potuissent, Patricius tandem in Persarum terras descendit, captivosque fecit, et munita castella obtinuit: Areobindus vero et Hypatius Nisibin adgressi sunt, quamquam eius munitiones occupare frustra conati sunt, civibus licet Romanos desiderantibus, ideoque languidius resistentibus. Re intellecta Cavades cum exercitu contra Romanos profectus est, qui se fugae commiserunt, Areobindus quidem ex agro Arzamenorum, Patricius vero et Hypatius e Siphrin castello, relictis castris impedimentisque suis, ac multis equis (praeter illos quibus ipsi insidebant) qui se rupibus praecipites dederunt, et vel graviter vulnerati sunt vel distracti perierunt. Unus inter hos Pharazmenes feliciter saepe pugnavit, suumque nomen iamdin notum formidandumque Persis reddiderat, quos variis adgressionibus carptim minuebat consūmebatque, ita ut timidi ante ipsum corruerent. Hic demum cum quingentis equitibus Amidam accessit, coepitque insidias struere Persis, qui pabulatum in pagos exibant, quos partim occidebat, partim gregibus equisque spoliabat.

Per id tempus Pharazmenem adiit vir callidus cui nomen Gadanas, e pago Achedorum, quem ego ipse de facie novi, cepitque cum eo consilium dandi operam astu aliquo et fraude ut Eglon Persarum dux cum trecentis vel quadringentis equitibus ex urbe prodiret. Clarus venator erat Gadanas silvestrium ferarum, perdicum et columbarum, eratque ei liber accessus ad Eglonem, cui de suo venatu partes offerebat, mensae quoque eiusdem adhibitus; a quo vicissim urbana officia haud certe minoris pretii impetrabat. Hic tandem Egloni dixit, romanos pedites vix aequare centenarium numerum, cum quingentis equitibus, septemque circiter pas-

suum milibus ab urbe abesse in loco dicto *Habeto Rohen* : quare amice ei suadebat, ut ad praedanda armenta, occidendos Romanos, gloriamque sibi conciliandam prodiret. Misit tamen Eglon exploratores, qui regressi paucos Romanos equosque se vidisse dixerunt. Tum accinctus Eglon cum quadringentis equitibus exiit, ipsum Gadanam mulo impositum ducens, a quo in mediis Romanorum insidiis constitutus fuit : atque ita Persas Romani occidione occiderunt, caputque Eglonis in castellum tulerunt.

Haec caedes filio Eglonis magnum maerorem iramque iniecit; praefecti autem cautiores redditi, civibus obsessis haud deinceps copiam faciebant, exeundi ad nundinas, quae prope moenia fiebant, quo rustici vinum, triticum aliaque id genus e pagis deferebant, ut Persis aeque ac civibus venderent : nam delecti equites obviam facti, rusticos excipiebant, atque in urbem deducebant : nemoque, iuxta laudabilem Persarum legem (1), pagorum incolis quicquam eripere audebat; sed hi pro libito res suas pretio vendebant, vicissimque in urbanis nundinis quae sibi opus erant coëmebant. Verumtamen ob Eglonis eiusque armatorum caedem, hae nundinae desierunt, et qui reliqui erant in urbe optimates, et hominum ferme decem milia in stadium quoddam detrusi fuerunt a militibus custoditum : qui alimonia destituti mori coeperunt, postquam sua calceamenta et stercora comederant, atque urinam biberant, postremo inter se mutuo saevire coeperant, donec prope omnes consumpti sunt : qui autem in stadio vivi superfuerant, tamquam mortui e sepulchris prodeuntes ex urbe dimissi sunt. Feminae quoque fame efferatae viros passim fraude callida artificiisque circumventos occidebant eisque vescebantur; ita ut viri ultra quingentos a feminis vorati sint: tantaque fuit in hac urbe famis calamitas ut Samariae ac Hierosolymae excidium, de quo in sua historia Iosephus, superaverit.

Ad extremum Pharazmenes ad urbem progressus, conditiones Persis iam debilitatis obtulit : quamobrem sedentibus in urbis porta Romanorum Persarumque ducibus, exibant sine armis Persae quidquid poterant secum ferentes : qui autem e civibus eos sequebantur, optio eis nominatim fiebat, ut siquidem manere vellent, liceret; secus libere cum Persis abirent : atque ita ex urbe migratum fuit. Cavadi tamen centum supra mille auri pondo data sunt per Celerem magistrum, redemptae urbis pacisque pretium. Foederis conscriptae tabulae regi ad subscribendum oblatae fuerunt; qui interposito somno, per visum admonitus est ne pacem componeret; quare experrectus scriptum conscidit, et in Persidem, auro secum ablato, recessit. Porro Pharazmenes urbi et incolis administrandis remansit, qui tributo immunes decreto Caesaris per septennium fuerunt; eosque benigne tractabat, et qui e captivitate redibant beneficiis ornabat, cunctos-

(1) De hac militari Persarum lege confer sis fragmenta politica Petri magistri a me edita in Collect. Vat. T. II. p. 594, ubi sermo est de ipso rege Pheroze Cavadis decessore.

que pro singulorum gradu pacifice excipiebat: quamobrem civitas quiete et tranquillitate frui coepit, atque aedificia in moenibus augeri: ad eamque missus est episcopus Thomas monachus, vir pacificus, comis, atque misericors. Insuper Dei providentia illuc adduxit de monasterio Cataraeorum Samuelem quemdam, virum iustum, et miraculorum operatorem, nodis (*daemonum*) expediendis idoneum, qui suis precibus urbem conservávit, et quamlibet civibus opem praestitit.

CAP. XI.

De urbe Dara condita.

Graviter admodum increpuit Anastasius Caesar romanos milites eorumque duces, qui ad imperii metropolim post bellum persicum pervenerunt, quia scilicet haud ex eius sententia, quam Deo placuisse sperabat, bellum prospere cum Persis gessissent, neque eos armis, sed auro a se misso, Amida expulissent. Illi contra se purgabant dicentes, arduum fuisse bellum cum rege gerere, quem licet assyrium et hostem, Deus tamen in romanam ditionem immiserat peccatorum causa puniendorum, ut ipsemet Deus adfirmaverat; praeter quam quod exercitu etiam valde numeroso stipatus erat. Ad Nisibin quod adtinet, eam prorsus expugnari non potuisse, absente licet rege, deficientibus idoneis machinis, nullo quieti nocturnae asylo, romanis castellis longe dissitis, et exercitui continendo ineptis, praeter annonae et aquae penuriam. Hinc imperatorem rogabant ut urbem aliquam prope montem fabricari mandaret, quae exercitui perfugium esset et statio, armorum officina, et regionis arabicae praesidium adversus Persas latrones atque Ismaëlitas: porro alii Daram alii Ammodiam aedificandam muniendamve suadebant.

Ergo imperator Thomae Amidae episcopo misit epistolam cum architectis: qui cum urbis futurae graphide venit ad Caesarem, cui placuit cum procerum consilio ut Dara aedificaretur. Praefectus eo tempore erat Philaesimus, vir fortis et sapiens, pecuniae minime cupidus, sed aequus, et erga operas pauperesque benivolus. Dum itaque imperator bellum cum Tamaritis aliisque hostibus gereret, certam auri summam Thomae episcopo dedit, pagi (*Darae*) pretium qui ecclesiae patrimonium erat; eoque empto cunctos advenas ibi degentes dimisit liberos, domibus singulorum areisque coëmptis: ad urbis vero aedificium multa centena auri pondo suppeditavit, iuratamque fidem dedit se liberaliter quidquid episcopus expendisset compensaturum, et neminem mercede fraudatum iri: denique amplum edictum proposuit de urbe ad nutum episcopi aedificanda, et de augendis artificibus atque operis, et de materia aedificii undique convehenda. Misit insuper scalptores multos atque artis murariae opifices, et lege cavit ut nemo laboris sui praemio careret: his quippe conditionibus urbem quantocius in imperii finibus aedificatum iri intelligebat.

Porro episcopus, quum Dei ope urbis aedificandae initium fecisset, praesides incorruptos operi praeposuit Cyrum, Adamum, atque Eutychianum

presbyteros, diaconos autem Paphnutium, Sergium, et Iohannem, aliosque ex Amidae clero: ipseque episcopus saepe loco aderat, eosque invisebat, atque abunde pecunia artificibus atque omnis operae hominibus sine ulla fraude dabatur; ita ut singuli in diem perciperent unum danek (quae est sexta pars drachmae); et qui iumentum habebant, duos danek. Ex hac urbis aedificatione multi divitias compararunt; cumque operis et mercedis aequae fama percrebuisset, certatim ex oriente atque occasu murariae artis opifices concurrebant, nec non operum praefecti, qui suas crumenas cuncti impleverunt; merito et favore episcopi, liberalis hominis comis atque benigni, qui Caesaris iusti promissis confisus erat: quare intra biennium trienniumve consummato opere, urbs in imperii finibus veluti germen quoddam, subito apparuit.

Ubi rei notitiam accepit Cavades, urbem evertere nisus est; sed frustra; validis enim muris vallata erat ad incolarum propugnaculum. Regium quoque balneum et speciosa horrea aedificata fuerunt, cum aquaeductu qui ad radices montis decurrit; intra urbem autem piscinae mirabiles ad aquae receptaculum. Operum vero exactores ac praesides praeclaram de episcopo famam ad Caesarem perferendam curabant, videlicet de eius rectitudine ac iustitia: quare hoc homine Augustus mirifice delectabatur, eique quantamcumque auri summam petenti mittebat. Postremo calculus initus est pecuniae universae quae missa fuerat; responditque Caesari episcopus, testem Deum invocans, omnem eam pecuniam in aedificium fuisse insumptam, nihilque vel in manu sua vel ecclesiae suae devolutum remansisse: simulque accuratas et firmas rationes perscripsit, quibus demonstrabat universum aurum ad se missum in pago ad urbis formam dignitatemque redigendo consumpsisse. Dara autem ab imperatoris nomine Anastasiopolis dicta fuit.

Deinde Thomas Eutychianum presbyterum urbis primum episcopum consecravit, vigilantem virum, et gerendarum rerum peritum, eique pronomiam, id est ab Amidensi iurisdictione exemptionem, attribuit. Huic adsiduus socius erat Iohannes quidam, Amidae nutritus, quamquam gente romanus, cui tonsuram contulit Eutychianus atque presbyteratum, fecitque syndicum, et comitem itineris ad imperii metropolim secum duxit. Caesare autem convento, dotem ab eo ecclesiae suae reportavit. Insuper Abrahamus quidam Bar-Chili telebranensis, eo tempore notarius comite adsumpto Ephraemo quodam telensi, secutus est Eutychianum episcopum, a quo presbyter ordinatus, missus fuit curator aedificii balneorum regiorum, et denique oeconomatum ecclesiae obtinuit. Caesar autem Eutychiano dona contulit, sacram nimirum supellectilem, et auri vim ad ingentis ecclesiae aedificium, cumque ex aula dimisit. Ceteroquin parum fuit superstes hic episcopus; eique successit Thomas resinensis, Abdiae filius, ortu romanus, qui Amidae erat oeconomus. Hic navus vir erat, et negotiorum gerendorum gnarus, carumque habebat magnopere Iohannem syndicum, propter eius aequitatem

ac verecundiam. Quum autem sede sua ob fidei zelum pulsus fuit, secutus est eum fideliter hic Iohannes, quem etiam corepiscopum fecit. Exulavit autem Thomas annis circiter XVII, in fide sua constans, mortuusque est indictione tertia, quo tempore Cosroës Antiochiam cepit (*anno Christi* 540), sepultusque est in monasterio tirensi, ubi semet cum monachis congregaverat, qui Merdino ab hostium conspectu fugerant; et iuxta episcopum eius monasterii, qui ibi pariter quiescebat, depositus est.

CAP. XII.

De Marino apameensi (1).

Post Macedonium Timotheus Constantinopolis episcopus factus est, vir orthodoxus, (*impius scilicet eutychianus*) cuius nomini opera consentiunt: honorans enim Deum interpretatur. Eius diebus Marinus quidam apameensis extitit, vir vigilans, dexter, operibus sagax, sapiens, et doctus. Hic orthodoxam etiam fidem colebat, et imperatoris amicus, a secretis et consiliis erat: qui cum per vicos urbis incederet, aut alicubi sederet, quidquid observatu dignum in mentem ipsi succurrebat, litteris mandari iubebat. Praeterea atramentarium ad lectulum appensum tenebat, accensa iuxta pulvinar lucerna, ut cogitationes suas in charta describere posset, quas orto sole imperatori significabat, eumdem admonens, ut eas executioni mandaret. Et quoniam ex Antiochiae provincia oriundus erat, quae ab Eusthatii episcopi temporibus dictionem *qui crucifixus est pro nobis*, primum praedicare tentavit, ipse etiam omni studio Anastasium imperatorem ad hoc idem peragendum sollicitabat. Quos hominis conatus quum haeretici quidam cognovissent, ipsum catervatim adorti; cur, inquiunt, terrenos homines inducere vis, ut faciant praeter sanctum hymnum, quem angeli Trinitati offerunt, dicentes, sanctus, sanctus, sanctus Dominus fortis, cuius laudibus pleni sunt caeli, et terra? Ad haec Deus Verbum, qui pro nobis hominibus crucifixus est, in ore eius apologiam huiusmodi statim praeparavit: angeli quidem hymnum confessionis suae recte ad adorandam et consubstantialem Trinitatem dirigunt, eumque pro ipsis crucifixum nequaquam praedicant; nos vero in hymno confessionis nostrae crucifixum pro nobis hominibus illum iuste dicimus: ex nobis enim, non ex angelis corpus assumpsit. Atque ita illis quidem os obturavit; imperatori vero sensum patefecit, qui particulam illam, *qui crucifixus es pro nobis*, sicut in Antiochena provincia, sic et urbe regia praedicari iussit.

CAP. XIII.

De eclipsi solis.

Hoc eodem tempore prodigium accidit, *simile illi* quod olim prudentibus ostendit Christi divinitatem in carne crucifixi Hierosolymae, nempe defectus solis, qui ab hora sexta ad nonam obscuratus est.

(1) Capituli huius latinam interpretationem sumo ex Assemani bibliotheca or. T. II. p. 59-60.

CAP. XIV.

De Ariadne augusta.

Ariadne augusta post viri sui Zenonis obitum, nuptias cum Anastasio celebravit, eumque regni socium adsumsit, mortuaque est anno Graecorum DCCCXXIV, post administratum imperium annis XL. Vir eius iam aetate provectus, sancte recteque vixit, remque publicam vigilanter rexit.

CAP. XV.

De obitu Anastasii augusti.

Exactis in episcopatu Timotheus annis sex vel septem, obiit, indictione nona, eique successit Iohannes. Quo anno mortuus est Anastasius multi Aegyptii, Alexandrini, accolae trans Iordaneum, Idumaei, et Arabes, qui Hierosolymam venerant ob festum exaltatae Crucis pridie idus septembris, a daemonibus obsessi fuere; et canum more adversus crucem latrantes, deinde taciti exibant. Prodigium hoc dolorem atque tristitiam prudentibus iniecit: quamquam ne ipsi quidem rei causam intellexerunt, nisi postquam factis innotuit: portendebantur videlicet contentiones et scandala quae deinde fidei acciderunt, quaeque Deus mature praedixit; ut venturam tentationem accurate perpenderemus, atque ita eam immota fide perferentes, gaudium illud consequeremur, de quo Iacobus apostolus ait: *omne gaudium vobis sit, fratres mei, cum in tentationes multas et varias incideritis; scientes quod probatio fidei patientiam vobis acquirit; huic patientiae autem erit opus perfectum; ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Et Anastasius quidem quinta idus iulii obiit, eique successit Iustinus, qui in exercitu versabatur quo tempore Cavades Persarum rex Amidam venit. Erat is aetate matura, formoso aspectu, prolixo canoque capillo; religionem autem Romanorum profitebatur quia indidem erat, ortus in castello Bederiana, cuius aquae pessima natura sunt, nam decoctae vertuntur in cruorem.

CAP. XVI.

De sanctorum confessorum Homeritarum martyrio (1).

Epistola, quam scripsit Simeon Christianorum in Perside episcopus anno Iustini sexto ad Simeonem abbatem gabulitanum ita se habebat.

Dilectioni tuae significamus die vigesima ianuarii praesentis anni Graecorum octingentesimi trigesimi quinti ex ditione Naamanis discessisse nos, una cum Abrahamo presbytero Euphrasii filio, qui a Iustiniano imperatore ad Monderum Arabum regem pro pace concilianda allegatus est: sicuti de ipso in priore nostra epistola scripsimus, gratias eidem agentes cum nos, tum fideles omnes, quod partes nostras foveat; et ipse perspecta habet, quae olim scripsimus, et quae modo scribimus. Per desertum igitur diebus decem

Affinitas baptismi etiam ita est: ille qui suscipit, pater est illius qui suscipitur; et uxor illius, mater eiusdem est. Et illa, quae suscipit, item mater est illius quae suscipitur; et maritus eius pater, et filii eorum fratres, et sorores in generationem generationum: et fratres, ac sorores eorum patrui, et avunculi, et amitae, et avunculae, ita et filii eorum usque ad complementum septem facierum.

Et in sponsione coronarum etiam sponsor frater est sponsi, et paranympha soror est sponsae: et nati eorum, filii, et filiae fratrum, ac sororum usque ad complementum quinque facierum, si quidem viri fuerit sponsio: et usque ad trium, si feminarum, uti definiunt Dionysius patriarcha Telmaharensis, et religiosus Iacobus Edessae. Quod autem uxorem accipiat vir ex illis, cum quibus affinitatem ex baptismo contraxit, dicit, neque esse concessum, neque prohibitum in canonibus antiquis: nunc quia scandalizat fideles, non oportet id facere.

Directio.

Et affinitas affinium in duo dividitur, in affinitatem sponsae, quae obiit, aut derelicta fuit verbo legali; et in affinitatem affinium genericorum. Et illa prima ad typum affinitatis genericae commensuratur, eo quod vir et mulier una sunt caro, ut dixit Deus. Itaque filia mulieris, filia est mariti eius, quamvis ex alio marito sit; et mater eius (*mulieris*) mater eius (*mariti*); et soror eius, soror eius; et ce-

tera talia, quae inquiruntur in generationem generationum; aut usque ad complementum septem facierum. Et haec confirmat S. Basilius dicens: illud enim, ne ingrediaris ad omnem proximum carni tuae ad revelanda verenda eorum, transcendens est, et commune: quis enim est magis proximus, et domesticus viro, quam uxor eius? Non enim duo sunt, sed una caro. Non ergo mater uxoris suae, neque filia uxoris suae, neque soror eius, similiter neque uxor, potest matrimonio coniungi cum propinquis viri sui.

Directio.

Et in affinitate affinium genericorum rursus, secundum canonem divinum, quo unitas est carnis, uxor patris, mater est: et uxor filii, rursus filia est: et uxor fratris, soror est, et uxor patrui, amita est: et uxor filii patrui, filia patrui est: et uxor avunculi, avuncula est: et uxor filii avunculi, filia avunculi est, et ita reliqua, ut dixit Deus: verenda uxoris patris tui ne reveles, verenda sunt enim patris tui etc. Et Paulus divinus dixit ad Corinthios: exercetur inter vos fornicatio; at qualis fornicatio? qualis ne inter gentes quidem nominatur, adeo ut accipiat filius uxorem patris sui. Et S. Basilius dixit: ille, qui tollit uxorem fratris sui, nisi separentur, et paenitentiam agant, non recipiantur: de filiis autem eorum, quomodocumque cura geratur, minime vero heredes sint ipsorum.

Directio.

Illegitimitatem desponsationis illorum, qui affines sunt, quinque causas rationales probare scimus: unam quidem, quia ab affinitate extinguitur ipsa concupiscentia causa foecunditatis: 2. autem, quod ad similitudinem animalem ducit hominem: 3. quod magis faveat corruptioni, nam si coniugio legitimo posset homo communicare propinquae carni suae, etiam in communicationem fornicationis facile prolaberetur, eo quod sine impedimento conversatur cum ea: 4. quia perturbationum causa esset, nam impossibile foret, ut desponderet mulier filium soceri sui, si hunc amaret, mortem viri sui desideraret valde, ac cum delectatione, aut ipsa accusationes, dum ad sui propositi consummationem tendit, instrueret: 5. est, quia desponsatio affinium societatem cum remotis impediret, et cum alienis affinitatem, conciliationem iratorum, et familiae incrementum.

Directio.

Christiano non licet despondere sibi ancillam suam, quamvis ea christiana sit, nisi postquam eam manumiserit; sed neque servam alterius. Verum cum homo inops est, neque potest sibi despondere liberam; aut cum potest, non est praesto ei, ac timet, ne Sathan ipsum tentet propter desiderium corporis sui, ac prolabatur in fornicationem; si, inquam, potest sustinere, magis praestat, quam filios suos in servitutem domini uxoris suae redigere. Filii enim ancillae, servi sunt, etiamsi liber sit eorum pater: et filii servorum, liberi sunt, si libera fuerit mater eorum; nam ex matre homines perfecti nascuntur; ex patre autem, non homines, sed gutta seminalis. Sed neque ancillam infidelem, aut ancillam, cuius dominus infidelis est, potest christianus sibi desponsare, ne filios non fidelitati pro-

crect, sed infideli qui potestatem habeat in natos eius. Virum, cuius uxor captiva abducta est, obligant leges, ut eam quaerat per regiones, et redimat eam, si possit, ac eam liberet; et postea eidem communicet; et si aliam possideat, eam a se separet, et in natos eius potestatem habeat: et mulierem, cuius vir captivus ductus est, similiter cogunt leges, ut eum redimat, et liberet; et si alium possederit, cum a se separet, et in filios suos potestatem habeat. At alii dicunt, quod mulier non cogatur redimere virum suum.

Et ancilla, quae viro coniungitur iussu domini sui, die quidem eius ministerio addicta est, et nocte viro suo traditur; et vir eius debet ei expensas pro dimidia parte: et si die, ac nocte ei tradatur, omnes expensas ei debet subministrare.

Et si servus, domini sui iussu, mulierem sibi desponsat, dominus eius sumptus uxori servi sui subministrare debet: et illa, quae sine iussu domini sui sequitur servum, etiam ipsa in servitutem ducitur, si fuerit libera, et sciverit illum esse servum; alias separentur.

Directio.

Infidelitatis autem sex novimus diversitates genericas: ethnicos, magos, iudaeos, saracenos, christianos de deitatis fide dubios, qui sunt Ariani, ac socii eorum; christianos dividentes unitatem naturalem et personalem, cum phantasiastis.

Et mulieres, quae sunt ex quinque generibus primis, cum baptizantur, suscipimus ad nuptias: at mulieres, quae ex genere sexto, non baptizamus, sed solum cum recte instituuntur, recipimus: similiter et viris infidelibus, qui sunt ex quinque illis generibus, si non baptizantur, et credunt; et illis, qui ex genere sexto, si non recte instituuntur, canones non concedunt ut demus uxores. Et si uxores demus sexti generis hominibus, cum refugiunt rectam institutionem, magis id damnabile est, quam si ab eis accipiamus. Aegyptiis autem, et Chusaeis, et Nabathaeis, et Armenis, cum solis consuetudinibus separati sint a nobis, libere damus uxores, et accipimus ab eis.

Obiectio.

Paulus divinus permittit fideli habitare cum infideli, et infideli cum fideli, dicens: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.

Responsio.

In exordio evangelicae praedicationis, quando vir et mulier infideles pariter erant, et unus ex eis fidelis fiebat, apostoli eos ab invicem non separabant propter spem institutionis; neque fideli praecipiebat apostolus, ut denuo desponderet infidelem, aut viceversa: id autem constat ex eo, quod addidit, ac dixit: quid enim scis, mulier, utrum virum tuum vivificabis? aut tu vir scis, utrum uxorem tuam vivificabis? Quemadmodum ergo infideli non permittit despondere sibi mulierem infidelem, neque viceversa: ita nunc cum ambo sponsi fideles essent, in unum autem ex eis intraverit Sathan, ita ut abnegarit, separamus eos a communicatione, eo quod in exordio evangelicae praedicationis non simus, sicuti fuerunt apostoli.

Directio.

Alieni a confessione, qui credunt, et baptizantur, si coniugiis illegitimis impliciti sunt, scilicet quod duas uxores aut plures simul habeant, aut uxores fratrum suorum, aut quidpiam simile, separentur, et canonice coniungantur novis nuptiis: et siquidem plus quam unam habuisset quispiám, illam, quam velit, sumat, si canonica fuerit uxor eius. Alii dicunt, quod non; sed primam illam, quam possidebat, sumat, si legitima fuerit, et eas, quae post illam, dimittat. At sententia prima rata est, scilicet ut illam, quam ipse voluerit, possideat.

SECTIO IV.

De pherne, et doro, zebdis, et schiadche, et conviviis.

Directio.

Pherne quidem est id, quod in domum viri sui defert mulier per scripturam e domo dominorum suorum.

Dorum est id, quod offert vir mulieri suae, aut promittit ei per scipturam.

Zebdae sunt monilia, et supellex, quae sine scriptura dant parentes eius.

Schiadche similiter sunt monilia, et supellex, ac cibus, et potus, quae sine scriptura mittit vir per desponsantes. Et quia quidam populi consuetudinem non habent, ut scribant, admittunt leges similem fiduciam: et illud, quod offertur ab utraque parte, uti illa, quae scripta sunt, considerant et reputant, ac proinde etiam zebdae, et schiadche, cum dote et doro numerantur, excepto cibo, et potu: et hoc confirmat lex imperatorum graecorum.

Directio.

Omne id, quod venditur et emitur, datur loco dotis donique, nempe supellex, monilia, servi, ancillae, greges, boves, equi, praedia, domus, uti decernit lex octogesima imperatorum graecorum.

Timotheus autem, et Iesus Bar-Nun, non permittunt, ut adsignet homo praedia, aut domos loco dotis, aut doni: at horum sententia rata non est. Alii in pherne concludunt et dorum; aut virum dant uxori suae in dorum, veluti si homo scribat filiae suae mercedem famulatus servi, non servum; et mercedem operis beluae, non beluam; et mercedem domus, ac fructus horti, et similia, aut mercedem operis personae suae. Ecce enim Iacob per quatuordecim annos, quibus servivit Labano pro Lia et Rachele, ab eo sponsas obtinuit sibi. Illud autem, quod promittit vir filiae suae in phernem, aut uxori suae in dorum, quod docturus sit eam artem, quae conveniat feminis, etiamsi id mercede dignum sit, attamen non admittunt leges, quia definiri non potest merces huiusmodi neque quantitate neque qualitate.

Directio.

In aestimatione quantitatis phernae, et dori, eius exiguitatem, magis laudant leges, quam excessum, tam relate ad illum qui accipit, quam ad illum qui dat: et propterea beatus Cyriacus patriarcha sub censura Dei definivit, ne divites plusquam mille et CL drachmas pecuniae; et mediae conditionis homines plusquam mille dent dorum, neve accipiant; diminuere a u-

tem possunt. Definivit quoque sciadchem in doro computari; zebdas in pherne, excepto cibo et potu.

Et orientales definiernnt, ne divites plusquam CD. drachmas pecuniae, et unum denarium auri; et mediae conditionis homines plusquam CCC; et inopes plusquam C. dent, neve accipiant. Et quod pecunia argentea sit, non autem aurea, liber regum testatur; semel enim quolibet triennio veniebat navis ex Tharsis, et ferebat pecuniam, et aurum.

At alii dixerunt, quod minus numero perfecto, idest decem, non debeat esse pherne, aut dorum.

In occidente, idest ditione constantinopolitana, vir dorum offert iuxta phernem, quam affert mulier.

In oriente autem, et in ditione antiochena pherne duplo maior est doro, quemadmodum significat lex imperatorum. Timotheus vero, et Iesus Bar-Nun, viceversa sanxerunt, scilicet ut pherne sit iuxta dimidium dori.

Directio.

De doro autem, quod scribit vir uxori suae, et non tradit in manus eius, in morte solum unius ex eis, aut separatione legitima, canones adigunt virum ad complendum id, quod scripsit.

Et de doro, aut sciadche, et pherne, ac zebdis, quae traduntur in manus uxoris, sine iussu viri sui non potest mulier disponere, et dare cui voluerit: nisi forte cum testamentum condit; tunc enim etiam sine iussu viri sui, eoque etiam invito, ipsa quod vult facit.

Alii vero dicunt, quod in phernem, et zebdas potestatem habeat, dum vivit, iussu patris sui: et in dorum, et schiadchem iussu viri sui: at haec sententia rata non est quoad virum; nam ipse phernem accepit, quemadmodum et ipsa ab illo dorum accepit. Et nonnisi exacto quinquennio post nuptias, si quidem pater puellae non compleverit phernem, quam ei constituit, neque chirographum debiti sui tradiderit, licet sponso exigere alimoniam ullam: et sine consensu non potest vir dominari phernae eius, aut doro, aut cuipiam rerum ipsius.

Directio.

Per modum procurationis administrat vir ea, quae sunt uxoris suae, dorum scilicet, et phernem, et schiadchem; et ideo quando corrumpitur aliquid ex eis, quae in manu sua sunt, non debet persolvere, quamvis debeat ea caute custodire et administrare, exceptis drachmis, quas scripsit in doro, et non tradidit uxori suae, quia non debet eas administrare pro uxore sua.

Si vendiderit vir rem ex doro, et eam nomine uxoris suae scripserit, emolumenta domorum, tabernarum, hortorum, praediorum, et apum, mulieris sunt. Et nata ex ancillis, iumentis, et ceteris similibus, sunt viri ex dimidio, et ex alio dimidio uxoris eius, siquidem ipse aluit ea; et si mortua fuerint, non est debitor ei ob illa.

Supellectilis, quae cum ipsa defertur, et cuius pretium scriptum est, si non subsistant segmenta, debet vir uxori pretium persolvere; et si scriptum non sit pretium eius, mercatores scient illud: quod si subsistant segmenta, vir non debet no-

vam pro vetere conficere, secundum legem LXXXVIII et LXXXIX. imperatorum.

Directio.

In plerisque locis mos non est offerendi mulieribus phernem, et dorum, sed solum vestes viles, et monilia: at non idcirco illegitima censenda est talis desponsatio, neque filii eius hereditate excludendi sunt. Sine schiadche autem, etiamsi unicus fuerit annulus, qui benedicitur, non potest desponsari mulier fidelis: et omne id, quod benedicitur cum ipsa, uti monilia et vestes, quamvis non scribatur in scheda, ipsius est, uti pherne, et dorum.

Directio.

Cum timet mulier, ne vir disperdat phernem, et zebdas quas detulit secum, et dorum quod sibi oblatum fuit, et schiadchas, quae super ipsam benedictae fuerunt; aut cum vult ea dare mercatoribus, eo quod vir eius non valeat in eis negotiari; potestatem habet accipiendi ea ab illo, et tradendi cui voluerit. Et si repugnet vir, potest seipsam subtrahere ab eius communicatione. Postquam autem haec ille tradidit ei, non potest ab eo se subtrahere, nisi fuerit parva, aut infirma, aut menstruata, aut gravida, aut cum vult accipere mysteria vivifica, aut nisi dies sint in quibus vita spiritualis exigitur, uti dixit apostolus " ne itaque fraudetis invicem, nisi quando ambo digni fueritis oratione, et ieiunio „ et toto tempore quod praecedit benedictionem coronarum. Praeter has vero causas, si repugnaverit, violenter ducatur.

Directio.

Si vir scribens phernem filiae suae, aut dorum uxori suae, centum denarios scribat manifeste, et centum occulte, si duo aut tres viri iusti testimonium de ea re non perhibeant, non exigantur ab eo, nisi illi centum dumtaxat, quos promisit manifeste.

Et cum dixerit puella curatori: desponde me illi, qui centum denarios offert, aut scribit mihi dorum, ipse autem eam despondeat cum quinquaginta, ipsa quidem desponsatio non solvitur, ac curator ex proprio debet ei persolvere quinquaginta. Et si cum ducentis eam desponderit, augumentum est desponsationis, et non curatoris. Et si dixerit: desponde me sub ea quantitate quam volueris, aut solum desponde me, dixerit, et non addiderit sub illa quantitate quam volueris; non poterit eam despondere sub minori doro, quam sit illud filiarum propriae conditionis: sunt autem conditionis suae, sorores, amitae, aut filiae patruorum illius: et non commensuratur cum filia sua, neque cum matre, neque cum sorore matris suae, quia sunt ex alieno semine: quemadmodum neque feminarum conditionem efficit aequalitas gradus: nam conditio earum ex pulchritudine, statura, et virginitate, ac castitate, mente, arte, divitiis, et civilitate, aut rusticitate, desumuntur.

Directio.

Et convivium epulum est, quod ob laetitiam nuptialem exhibetur affinibus, et amicis eorum, qui sponsi fiunt. Et quidem Dominus noster, ac discipuli eius, cum vocati fuerunt ad convivium Canae, profecti sunt: et vocatos, qui se excusarunt a caena, quae ipsis parata fue-

rat, non solum verbo parabolae, sed et opere Dominus percussit: et propterea non est aequum, quod non eat is, qui vocatur, nisi fuerint in ipso convivio visiones obscoenae, choreae, et saltationes meretriciae, mimi, et tibicines impudici. Itaque si speret, quod ii exeant, quando ipse ingreditur, eat; aliàs antequam ingrediantur, exeat, potissimum si filius ecclesiae fuerit, secundum canonem synodi Laodiceae. Et si fuerit in parietibus triclinii aut in velis aliquid ex figuris idololatricis, aut historiis ethnicis, et si in peristromatis, quae conculcantur, fuerint similia, non nocet eorum visio; aut si fuerint in crapulam effusi convivae, non oportet sedere inter eos: alii tamen dicunt, quod liceat sedere cum eis, cum et Dominus ad publicanos ingressus sit, et apud eos recubuerit, ac manducarit. Aut enm erunt dies, in quibus vetantur convivia; uti ieiunium magnnm, et dies pentecostes; aut cum fuerit symposium polygamorum, idest plus quam duarum. Synodus enim Neocaesareae canone quarto presbytero ne in symposio quidem digamorum permittit comedere. Canon synodi Laodiceae ostendit, quod possibile est hominem libere et legitime secundo coniugio copulari: et ubi in oratione, ae ieiunio brevi tempore perseveraverint, indulgentia et oblatio eis dantur. Alii vero dicnnt, quod cum Dominus symposii vocat, non licet se excusare: minime vero cum is, qui quiescere facit. Et non reputant, quod Dominus iratus fuerit etiam contra eos, qui a servis vocati non venerunt.

Directio.

Ille, qui supra facultatem suam facit convivium, reus est una cum illis, qui ad hoc ipsum cogunt; minime autem reus est, si minus, quam possit, faciat. Et vocati non oportet eligant primos accubitus, sed ibi recumbant, ubi illos recumbere iubent, neqne vinum multum, tamquam ad ebrietatem intemperantem bibant. Illi, qui convenient ad benedictionem coronarum, si praemittant munera in domum convivii ante diem laetitiae, convenientissime faciunt, semina scilicet, fructus siccos tantummodo, siceram, aut nuces, aut amygdalas, aut uvas passas, et non denarios, aut drachmas, aut obolos, licet divites sint: et illos, qui colliguntur ex terra, colligant, et non ab invicem rapiant, et id quod cecidit ex seminibus in sinum alicuius, aut cum non apprehendisset ipsum, cecidit, potest socius eius accipere ipsum: alias non. Volatile autem, quod in atrio homo possidet, cum volat, illius, qui venatur, est; et illud qnod e laqueo evadit, est domini laquei, et non quidvis venatur, si in laqueum eeciderit.

SECTIO V.

De separatione.

Ius coniunctionis ipse Deus principio confirmavit. Relinquet namque homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae. Et sapiens Salomon in proverbiis suis ostendit, quod a Domino desponsatur mulier viro. Et Dominus noster praecepit: id, quod Deus coniunxit, homo non separet. Separatio ergo communica-

tionis comprobatae, ut est ista, non iocose fit, sed per causas has, aut naturales aut legales. Et naturales quidem, veluti est mors viri, aut mulieris; sive mors post desponsationem, idest benedictionem annuli, contigerit, sive post convivium, idest benedictionem coronarum.

Causae vero legales septem ratae noscuntur. Fornicatio mulieris proprie: magia: affinitas impediens: monachatus: servitus: vitia corporis impedientia communicationem, vel foeda. Imperatores autem graeci, etiam si habitaverit mulier domi non suae absque iussu viri, aut iverit in theatrum ad spectaculum indecens, iactura etiam phernae eam afficiunt, ac separant solvuntque: et vir rursus, si testentur adversus eum duo, aut tres testes, et iurent, quod ipse percusserit uxorem sine lege, scilicet virga, aut calceo, aut flagello instar servi et ancillae, aut extulerit super eam ferrum, aut superintroduxerit meretricem, et adiunxerit ei amasiam: vel si magus fuerit, aut latro, aut adulter, potest mulier recipere ab eo phernem suam, dare libellum repudii, uti significant leges LXXXV et LXXXVI. illorum.

Directio.

Post desponsationem, et ante symposium, si sponsus moritur, dimidium eius, quod oblatum ei fuit, accipit (*femina*), et dimidium aliud heredibus sponsi sui restituit, excepto potu et cibo; et hoc est, quod dictum est in lege LIV. imperatorum. Quod si vero fuerit puellae hortus, et cetera, dimidium eius, quod accepit, restituit genti sponsi sui, et nihil ex bonis eius hereditat: et siquidem eam viderit aut osculatus fuerit, id non dignum existimamus definitione, eo quod canonicum non est, quod illam videat aut osculetur ante symposium. Si autem post symposium moriatur sponsus, omnia, quae accepit, sua erunt, et nihil omnino restituet; quin et hereditando hereditabit ex bonis viri sui, sive is communicaverit cum ipsa, sive non. Si autem post desponsationem ipsa mulier moriatur, omne, quod oblatum fuerit ei, sponsus eius resumit, excepto cibo et potu, et non hereditat de pherne sua quidpiam. Si autem post symposium moriatur mulier, omne, quod oblatum fuerat ei, ipsius erit, et vir eius hereditatem solum, quae ad ipsum pervenit, hereditat de pherne eius et de omni re.

Directio.

Tractatum de divisione schiadcharum, et dori, ut dimidium scilicet cedat sponsae, et dimidium genti sponsi, quaestiones quinque exsequuntur.

Quaestio 1.

Cum vineam offert sponsus sponsae suae, et moritur ante symposium cum fructus nondum maturi fuerint, hi sponsae sunt, neque possunt consanguinei sponsi illam vexare circa vindemiam ante maturitatem. Arborum autem dimidium est eius, dimidium vero eorum. Et hic quidem difficulter solvitur controversia, quantum scilicet debeat illa amittere pro irrigatione, et quantum illi: non enim aequaliter amittit, et amittunt: eo quod fructus sunt ipsius proprie, et arbores solum communitatis. Et si non irrigaverint, fructus propter humiditatem arborum possunt prosperari, arbores autem laeduntur.

Quaestio 2.

Si autem ancillam gravidam offerat sponsus, cum ea pepererit, siquidem sponsus moriatur ante convivium, non licet sponsae accipere cum dimidio ancillae, dimidium partus: nam cum ancilla foetus, non autem natus oblatus est ei ab initio. Et hic etiam difficulter cognoscitur quantitas pretii foetus, ut accipiat sponsa dimidium.

Quaestio 3.

Si autem armillas, sive torques offerat sponsus, cum conterit illas sponsa, monilia, aut inaures conflat ex eis, si moritur sponsus ante convivium, consanguinei sponsi eius haud dimidium murenularum novarum accipiunt, nec si adauctae fuerint, nec si defecerint, sed dimidium pretii argenti, aut auri, et dimidium mercedis artificum primorum: et ita si vinum obtulerit ei, et acescat, pretium vini, et non aceti, restituet.

Quaestio 4.

Si autem debitum (*creditum*) offerat ei, idque perit, ac postea vir moritur, difficile solvitur controversia; nam iustum non est, ut ab illa extorqueant dimidium eius, quod ipsi persolutum non est: neque etiam iustum est, ut ipsam dimittant, quia sub ipsa, et non sub sponso eius periit. Animalia autem, quae offeruntur ei, et moriuntur, non reddit, quia mortalia sunt, secundum vim legis LXXXVIII. imperatorum.

Quaestio 5.

Si autem vendidit, aut concessit aliquid, quod ipsi oblatum fuerat, illa venditio, et illa largitio firmae sunt, dimidium tamen pretii venditionis, quod recepit, restituat. Et si res restituantur, dimidium earum, et non pretium dimidii earum, restituat. Si autem locavit, aut legavit, usque ad complementum pacti expectent, et deinde accipiant dimidium legati, et non mercedis, aut emolumenti.

Directio.

Fornicatio uxoris, causa separationis est a muliere, et non fornicatio viri, ut testatur magnus Basilius, dicens: de mulieribus quidem multis invenimus firmam famam fornicationis, cuiusmodi scilicet illa est, quae cum viro derelicto habitat: haud enim scio, an possit nominari adultera, nec ne: ille enim, qui derelictam sumit, absque dubio adulteratur secundum verbum dominicum. Et paulo post. Ille itaque, qui fornicatus est, non prohibetur a cohabitatione cum uxore propria, et haec recipiat eum, cum redit. Vir autem expellat eam, quae polluta est in domo eius, neque recipiat eam, cum redit. Et imperatores graeci lege LXIX. praeceperunt, quod feminis concedant leges, ut accusent viros suos de re nequam ab iis perpetrata. Et iuris huius tres scimus esse causas. Una quidem diffamatio mulieris de fornicatione per uterum magis quam viri. Alia, quod filii adulteri non commiscentur cum natis uxoris suae legitimae, neque hereditant cum eis. At filii mulieris fornicariae confunduntur cum filiis viri ipsius legitimi, et hereditant cum eis iniuste. 3. Quia nati fornicariorum putativi sunt, at filii fornicariarum certi sunt. Fornicatio proinde mulieris causa est separationis, at fornicatio viri non est separationis, sed increpationis, et prohibitionis ab oblatione.

Directio.

Quatuor sunt causae confirmantes fornicationem mulieris. Una quidem, si conceperit absente marito suo, aut praesente et non communicante ei. Secunda: si infametur de fornicatione manifeste cum uno aut pluribus. 3. Si lingua sua fateatur, se fornicatam esse. 4. si testentur adversus eam sex testes viri pii, non tamen feminae; nam in ore duarum animarum fit testimonium, si videant eam omnes simul cum alieno sub pallio visione foeda: testimonium autem feminarum recipitur, cum virgo fuerit ea, quae accusatur. Itaque cum sex viri pii testantur, illam fornicatam fuisse, et duodecim feminae piae testantur, illam esse virginem, testimonium feminarum destruit illud virorum; nam fieri potest, quod fornicaria commixtio non fuerit exercita, etiamsi in typo illo foedo aspexerint eam.

Alii dicunt, quod mulierum testimonium non destruat virorum, sed illam fornicatam fuisse, etiamsi virgo sit, quia venae, quae dilacerantur in coitu, rursus iunguntur. Et sententia prima vera est, et non omnis fornicatio causa est separationis, nam si nondum implevit aetatis XIV annum et prolapsa est, non separatur: et ita si obsessa fuerit, aut vi ducta, et vociferata est, aut cum muta esset, vi oppressa fuit; aut cum erravit, scilicet vidit in lecto virum alienum, illumque proprium maritum existimavit, et ad illum ingressa est; et cum mersa somno gravi, passa est, uti Loth e duabus filiabus suis passus est.

Directio.

Cum ceperit maritum mulieris spiritus zelotypiae, et existimaverit illam fornicatam fuisse, et testes perfecti sex non sint adversus eam, neque deprehensa fuerit, offerat vir mulierem ante altare, et accipiat sacerdos aquas in aliquo vasorum altaris, et in eas immittat paululum pulveris e fimbriis altaris, et oret super aquas orationem convenientem, ac dicat mulieri: si desipuisti, et dormiit apud te vir praeter virum tuum, det te Dominus in maledictiones, et aquae istae probatae et sanctae inflent viscera tua, et ventrem tuum, et putrefaciant femora tua: quod si non desipuisti, neque polluta fuisti, expiata es ab aquis istis. Et cum ter dixerit amen, ac biberit, et post quadraginta dies non deprehendatur in elemento aquarum faetor, aufertur ab ea opinio mala fornicationis; et virum eius, qui eam ignominia affecit et oppressit, damnant ac increpant canones.

Directio.

A nato uxoris suae, si vivit triduo, non potest vir alienari, quamvis comprobetur eius fornicatio, nisi ostendat, quod a tempore septem mensium ante generationem ei coniunctus non fuerit: nam infantes, qui minori tempore generantur, non vivunt penitus: et ita si viro albo nascatur filius niger, non potest ab eo alienari, nam figurae sensibus exhibitae causa sunt similitudinis, ut testantur virgae Iacobi, quas decorticavit, et strinxit in cursu aquarum contra oves, quando veniebant ad bibendum, et incalescebant super virgas, et generabant agnos varios, et versicolores, et omne nigrum cum albedine. Et apud sapientes exteros sunt argumenta multa de simili re.

Directio.

Magia dissolvens coniugium non solum est illa mulieris, sed et illa viri. Magi autem sunt, qui faciunt divinationes, et illi qui canunt, et vociferantur, et ululant ex terra, et ex ventre, et ex latere, et illi qui corrumpunt vultus, et viri qui vulnerant sinus suos, et mulieres, quae aperiunt sinus suos, et incantant, et illi qui ligant viros a mulieribus suis, et illi qui divinant in vitris plenis aqua, et speculis, et manuum palmis, et in spatulis ovium, et in ossiculis fructuum, et in granis leguminum, et in placentis hordeorum: et ierunt quidem senes Moab, et Modin ad Balaam, et divinationes ipsorum in manibus suis: magia autem, quae super tumores, et vulnera, et incantatio reptilis mali, et serpentium, et cetera, et auspicia ex vocibus volatilium, ac serpentium, et observatio occursuum, et divinatio quae ostendit negotia stupenda per constrictionem oculorum, et confectio sortium, quae appenduntur super pueros, et explanatio somniorum, ac explicatio volatuum (*aut* aurarum), et astrologia, quamvis impediant per canones apostolicos, verumtamen non separant, uti illa alia. Imperatores autem magos damnant ad decertandum cum beluis mortiferis.

Directio.

Quid efficiat magia, historia Saul confirmat. Et dixit quidem mulier, quem educam tibi? Et dixit: Samuelem: et eum eduxit eum, exclamavit, quod dii ascenderent e terra, et en vir senex amictus pallio: et cognovit Saul, quod Samuel esset, et adoravit eum, ac dixit. Magnus quoque Basilius, cum audivit a Liso tribuno historiam mulieris illius, quae accusavit coram Iuliano tyranno de crimine, quod scilicet filius eius magiae morbo insaniret, non phantasma id reputavit.

Directio.

Cum unus ex ambobus coniugibus confessionem abnegat, et transit ad gentilitatem, aut iudaismum, aut saracenismum, aut arianismum, separando separamus eos ab invicem. Si autem ad diophysismum, aut phantasiastismum redit, non separamus, sed solum admonemus, et increpamus opportune, et importune. Separamus autem rursus et illos, qui intercedente inter ipsos duos cognatione impediente, communicant, et praesentantur sine scientia sacerdotis: et ita cum vir, aut mulier schema monachatus vult induere, si consenserit alter, ut induat, socius eius coniungatur legitime, si voluerit, sive vir fuerit, sive mulier (1).

Directio.

Servos, et ancillas, qui desponsantur, et coronantur sine auctoritate dominorum suorum, si domini ipsorum non consentiant, separando separamus eos ab invicem.

Filia liberorum, quae coniungitur servo, postquam ter flagellata fuerit, si non abstineat, etiam ipsa in servitutem redigitur, secundum legem LXXIV. imperatorum.

Si mulier serva deceperit virum in-

(1) Et hoc et alia plura in his capitulis a catholica rectitudine aberrant. Nisi forte sermo de sponsalibus tantum est.

genuum, quasi ipsa haud serva sit, et ei schiadchas dederit, eamque desponsaverit, nati eius quidem liberi erunt, at desponsatio non confirmatur, nisi ubi simul dominus eius, ac sponsus eius consenserint: neque potest sponsus ei communicare, nisi cum domini ipsius consensum impetraverit per syngraphas, et testes, et non potest omnino illam dimittere, si postquam cognovit eam esse servam, illi communicaverit: de schiadchis autem, et doris, quae scripsit, potest ipse diminuere.

Directio.

Septem sunt defectus separantes: quatuor impedientes communicationem: duae in viris, semiviratus, et abscissio: et duae in feminis, adhaesio (*carnositas*) et tumor (*apostema*) et tres abominabiles hermaphrodismus, lepra, et obsessio.

Et semiviratus duo sunt modi, unus quidem, quod non possit vir communicare ex natura, aut ex accidente morboso: alius vero, quum uterque sexus eidem contingit. Itaque si postquam commixtus fuerit cum ea, contigerit passio semiviratus, a quibusdam legislatoribus non solvuntur, eo quod viri maior est naturalis necessitas, quam mulieris: aliqui vero solvunt, eo quod etiam ipsi mulieri sit lex naturae, et difficulter tolerat infirmitatis causa; et idcirco non solum viro, sed ambobus dixit apostolus, ut non tentet vos Sathan propter concupiscentiam corporum vestrorum. Nos autem septem annos iustos esse dicimus ad servandam invicem libertatem: tum si vir non sanetur, separentur. Si autem nullatenus potuit communicare ei, uno anno servet libertatem: et si spes nulla sit sanitatis, separetur, si velit, et recipiat *schiadchas*, ac *dora*, quae oblata sunt et scripta ei, nisi praesciverit semiviratum suum: et si praesciverit, etiam *phernem* suam amittit, si separetur.

Abscissio, aut eunuchismus, idest ereptio testiculorum, aut abscissio virilitatis radicitus. Et in ambobus simul solvunt leges: et si haec praecesserint, neque ea novit sponsa, aut postea acciderint, recipit *schiadchas*, et *dorum*, quae oblata ei fuerant, et separantur, si velit. Quod si novit, et sub conditione despondit, etiam *phernem* suam perdit, si separetur.

Directio.

Carnositas est via mulierum, et apostema proiectio quaedam est in superficie vulvae mulierum; et cum duobus his defectibus, si potuerit coire cum ea vir, non potest ullatenus eam a se separare, neque illi detrimentum inferre: et si prohibita fuerit ab eo via mulierum communicationis, uno anno servat ei libertatem, et si eam non pudeat, separat ipsam, et privat eam una cum *schiadchis*, et *doro*, etiam *pherne*, si non praescivit. Et si sub conditione accepit eam, duplicat ei *dorum*, si nolentem separet.

Directio.

Lepra scabies separans est, et antiqua, quae corporis maiorem partem tenet, illudque profunde immutat in albedinem multam, ita ut etiam capillus albus crescat in eo, et cum pungitur acu, humorem lacteum, et non sanguinem emittat.

Scabies separans est illa, quae foedat vultum, et elevat pupillas, et cadere facit summitates membrorum,

et efficit expansionem, et pustulas asperas in corpore facit. Daemonis obsessio separandi causa est. Morbum comitialem agnoscunt legislatores, eo quod modi omnes melancholiae non incurabiles sunt. Et nonnulli quidem uno anno expectant curationem ipsorum, alii quatuor, et alii septem. Et imperatores graeci lege LXXXI, et LXXXII. definierunt, quod si post convivium acciderit mulieri diabolus, aut morbus alius,qui separet mulierem a viro, reddat ei *phernem*, et *dorum*, ac dimittat eam. Et si ab antiquo fuerit in ea, neque advertit, *phernem* tantummodo ei reddat, et non *dorum*, ac dimittat eam. Timotheus autem alexandrinus illum, cuius mulier daemone tenebatur et sustinebat, ac petebat suam mulierem, neque prohibuit, neque indulsit, nisi forte adulterium intervenisset : et idcirco responsum non dabat, nec dedit. Alios autem et faetor oris, et axillarum, et purgatio non sanabilis separat (1).

SECTIO VI.

Quanto tempore conservanda sit libertas; et cuinam debeat homo stipendia seu alimenta.

Directio.

Mulier, cuius maritus obiit, decem mensibus custodiat suam libertatem. Et si quidem ante expletos decem menses insaniat, ut se tradat viro, privant eam leges honore suo, et iuribus suis, quae ipsi scripta sunt in testamento, et alibi, uti decernit lex LXX. imperatorum graecorum : sive maritus eius eam cognoverit, sive conceperit, sive non. Et illa, cuius maritus periit, a die, quo venit fama mortis eius, computet dies custodiendae libertatis, et non a die, quo mortuus est.

Et cum in viam longinquam abiit, et venit fama eius, aut delitescit, si satis fuerint ei divitiae, quas reliquit, donec moriatur, aut quoad confirmetur mors eius, uxor eius est, si sustineat, et non concupiscentia vincatur: alias post septem annos nubat viro; et secundum alios post viginti annos. Quod si non reliquit ei divitias, quatuor annis maneat, et secundum alios septem. Sustentatio autem eius ex suis sit, si habeat; alias ex dominis suis, aliàs ex ecclesia.

Viri, cuius mortua est uxor, tempus custodiendae libertatis suae non invenimus; at congruum est, ut ante quinque menses minime nubat.

Directio.

Decem hisce mensibus, quia dies sunt luctus eius, non debet ornari purpurea rubrica, aut croco, aut optimis sericis, neque hyacintho, sed causa tumoris oculorum nocte stibio eos liniat, et die lavet; neque exeat e domo sua, ceu ad relaxationem animi, a balneo tamen non prohibeatur, neque ab ecclesia, verum diebus festis. Et consanguinei mariti ipsius non possunt educere eam e domo mariti eiusdem violenter, et si mercede conducta sit domus eius, ac locationis tempus exactum, ab ipsa hereditate communi conducant pro ea domum, ut habitet usque ad complementum decem mensium. Et si natos habeat, ac velit eos educare,

(1) In margine - purgatio dicitur esse pollutio dormientis. -

quamdiu non desponsetur, potest habitare in domo mariti sui, attamen auctoritate iudicis, cum est curator super hereditatem pupillorum, uti decernit lex quarta imperatorum: nam sine curatore non potest administrare hereditatem filiorum suorum.

Directio.

Tres sunt causae, quae iubent alimenta suppeditare, persona mariti, cognatio, dominatio. Et maritus quidem debet mulieri suae sustentationem, indumentum, domum, famulam; et panem quidem quotidie ex specie illa, quae consueta est; minam (1) unam et dimidium minae ob unguentum (*oleum*) aut adipem, (*puta* butyrum); et qualibet hebdomada carnis minam unam cum dimidio. Et in diebus ieiunii loco carnis, det arida. Haec debet ei, etiamsi illa minus comedat: et non debet eam cogere, ut nutriatur cum ipso, si non velit; quod si verecundia non afficiatur, non debet ei pretium alimenti. Et indumentum debet ei pallium, et peplum, et lampades, et maapharum (*amictum*), et in hieme rursus tunicam, et domum debet ei cum vasis figlinis, aut ligneis, aut lapideis, et si nobilis sit, ex aere. Et ancillam debet ei, maxime in ipsius aegritudine, licet non debeat ei medicamenta, et mercedem medici, si possideat divitias; neque idcirco dicat, ego serviam ei, quia caput eius est: quod si in aegritudine eius dicat: ego serviam animae meae, non potest ipsa petere ab eo stipendia ancillae, et mercedem. Quod si habuerit ancillam, et existimationem malam habuerit vir de ea, potest hanc expellere, et quam voluerit adducere: et ob hanc causam etiam patrem et matrem eius potest arcere ab ea. Et si plures ancillas habeat, uni tantum debet stipendia et habitationem.

Directio.

Uxori, quae conturbatur per suam nequam conditionem sine insipientia, non debet vir eius alimenta, quamvis non exeat e domo eius. Et illi, quae aegrota est, et illi, quae dum esset parva, illegitime desponsata est, debentur alimenta: et quamvis vir eius aegrotus sit, aut parvus, debentur rursus. Et illi debentur, quae diebus dominicis dissidet propter mysteria: at reliquis diebus non potest abstinere, nisi ille abstineat, alias non debentur ei. Et illum, qui eget, compellunt leges ut laboret, et suppeditet uxori suae alimenta: et si non possit, licet uxori eius se ipsam prohibere a communione eius, et quatuor annis conservare ei libertatem, dum ex proprio, aut ex cognatis suis, aut ab ecclesia sit alimonia eius. Et si non mutetur vita eius, cogunt eum leges ad exeundum e saeculo per monachatum, et erit mulier ei, quem voluerit. Et virum non egenum, qui causa odii, aut avaritiae negligit uxorem suam, damnet episcopus, et in carcerem mittat hegumenus, donec obediat. Et servam, quae iussu domini sui desponsata est, si velit vivere cum marito suo in misera vita, non potest dominus eius illam impedire ab

(a) In margine - Mina una et dimidium eius, scilicet 360. drachmas, nam quaelibet mina constat 240 drachmis cum octo stateribus. In margine - quilibet stater quatuor drachmis constat.

eius communione propter inopiam alimentorum: si tamen lucretur ex aliquo opere, stipendia sunt domini eius, et non propria, quamdiu non liberatur.

Directio.

Filii cognationis, quibus debentur alimenta, nati sunt, et nati eorum, et genitores, et avi miseri, quotquot scilicet non possunt laborare propter pueritiam, aut senectutem, aut infirmitatem. Alii patrem non compellunt laborare, quamvis possit, cum necessarius sit honor eius; honora siquidem patrem tuum, et matrem tuam, dixit Deus. Et nobiles rursus non cogunt exercere artem, in qua labor est, et petitio eleemosynae culpabilis est in eo, qui potest laborare, et in propinquis eius, si possunt supplere indigentiam eius, quando laborare non potest. Et petitor ne contemnat, aut offendat eum, a quo quaeritur, neque replicet petitionem. Et quidquid supererit indigentiae suae quotidianae, licet vel unus obolus, debet ipsum natis suis, et genitoribus suis egenis: et haec alimenta pro custodia animae definiuntur. Cum pater occiditur, potest mater ex proprio sine iussu eius subvenire indigentiae natorum: et si mutuum acceperit, verum iussu episcopi, persolvat. Et si plures fuerint nati, illi, qui proximior est; et si postea hereditet, antea subveniatur indigentiae eius, scilicet natae ex filia; ante filiam filio filii, et genitoribus; pater ante matrem accipit, et cum filio, quia minister est, et habet ius ministerii, et aliqui coaequant eos: et ita cum mater, et filius erunt, aut avus, et filius. Et patet, quod coniux praecedat omnibus, quia debitum usque ad finem vitae manet.

Directio.

Mater natum lactare debet, quamdiu lac eius non defecerit, neque infirma sit, et non separata, nec desponsata; alias ex possessione matris, et non patris, detur merces nutrici. Et ius ipsum lactationis matri convenit, deinde matri matris, deinde matri patris, deinde sororibus, deinde amitis, deinde filiabus fratrum, deinde amitis per omnium feminarum progenies, quia illae magis sunt piae; et idcirco soror, quae ex matre, praecedit sorori, quae ex patre.

Et si non fuerit illa ex his mulieribus, tunc viri filii cognationis debent conducere nutricem, idest pater; dein frater; deinde filius fratris; dein avus; dein patruus; dein filius patrui; dein filiae patruorum, et filiae materterarum, amitarum: et filiae avunculorum, ac filiae avunculorum, non habent debitum lactationis in oriente, eo quod desponsentur, licet illegitime. Et mater, ac avus debent educare filium, donec possit per se solus comedere, bibere, indui, et emundari; et filiam usque ad tempus fluxus. Et cum intelligens fit natus, voluntati eius relinquatur electio, utrum apud patrem, an apud matrem sit: et illud firmum est, quod filius sit apud patrem, et filia apud matrem: et filius fidelis eum intelligens fit, separetur ab infideli.

Directio.

Filiam virginem, cum crescit, possunt pater, ac avus sunt habitare iubere ubi ipsi voluerint. Et filia vidua, ubi voluerit, habitet, modo opinio ma-

la non oriatur de ipsa: sed omnes filii cognationis eius, illi, qui ius habent rationis, possunt illam collocare, ubi voluerint, et in eam inquirere. Et cum natus patrem elegerit, illum non potest cohibere a visu matris eius: et si matrem elegerit, debet pater iure educationis, et tradat cum artifici, ac doctori. Et cum via longinqua procedere vult pater, non potest mater prohibere natum, qui lac non sugit, ne eat cum eo. Verum si ad relaxationem animi, aut mercaturam, potest cohibere eum. Et illa, quae separatur a marito suo, non potest accipere natum suum, et migrare ad regionem aliam; nisi in ea regione desponsata fuerit. Filius fidelis debet alimenta patri suo, et matri suae, ac senioribus suis non fidelibus. Pater autem, et mater, et seniores fideles non debent filio non fideli. Et filio caeco, aut paralytico, aut filiae, quae adolevit, et desponsata non fuerit, duas partes alimentorum pater subministret, et unam mater suppleat. Et cum filius fuerit absens, et eguerint parentes et seniores eius, possunt aliquid ex propriis eius vendere, exceptis domibus, et terris, et ob conservandam vitam pretio uti, neque postea persolvere; quin etiam mutuo accipere, iussu episcopi; et filius cum venerit, persolvat. Alienus autem, penes quem est depositum filii, iussu episcopi det parentibus eius; aliàs persolvat.

Directio.

Dominus debet servis suis alimenta competentia, prout eis opus fuerit: et si ipse iusserit, ac possint laborare, laborent, et alantur, et vestiantur; et si non potuerint laborare, compellat episcopus dominum, ut vendat: et si vendantur, increpet dominum, ut alat, et vestiat eos; et si inops sit, et non possit, ecclesia suppleat inopiae eorum, etiamsi infideles fuerint, quoad iudicetur dominus, et in promptu sit emptor: et non debet constituere servo suo pecuniam certam quotidie, sed debet servus pro virtute sua operari, et debet dominus eius supplere inopiae ipsius, neque cogat eum ad opus supra vires ipsius. Similiter stabulum animalibus debet dominus adquirere; quod si non faciat, compellatur ab episcopo, ut vendat: et non debet ea cruciare oneribus gravibus etc., neque occidere, nisi ea, quae comedi possunt, neque avarus esse super lacte, et nocere natis eorum. Illis autem, quae aliqua memoria pollent, non est damnabile, si negetur stabulum: et in penuria aquae fas non est privare iumentum potu propter ablutionem.

CAPUT IX.

De testamentis.
Et in eo sunt sectiones quatuor.

SECTIO I.

Directio.

Condat homo testamentum, idest mandatum, et disponat de rebus suis ante mortem suam, quas quidem iure possidet. Nam etiam iusti veteres ante mortem suam ita mandabant; dedit siquidem Abraham omnia, quae habebat, Isaaco; filiis autem concubinae suae dedit dona, ac seiunxit eos ab Isaaco, dum ipse esset vivus. Et cum appropinquassent dies Israëlis ut moreretur, vocavit Ioseph,

ac dixit ei sic et sic; et benedixit reliquis filiis suis. Et Ioseph item dixit fratribus suis: ego morior etc. Legatum autem tertiam facultatum partem non excedat, ita ut duae partes hereditati relinquantur; non enim aequum est, ut relinquantur domestici pauperes et inopes, et alieni illi, quibus micam attribuit sapientia Dei, panem, hoc est maiorem partem hereditatis, obtineant. Non enim rectum est accipere panem filiorum etc. Et divus Paulus item dure arguit eos, qui curam domesticorum suorum non habent: si quis enim suorum, et potissimum cum erunt filii ecclesiae, curam non habet, hic fidem negavit, et peior est infidelibus. Et quia lex V. et XI. imperatorum graecorum contrariae sunt nobis circa legatum, eo quod usque ad tres partes per testamentum distribui concedunt, et unam solum e quatuor partibus manere hereditati permittunt, illos non sequimur: et forte propter filios spurios hoc definierunt. Cum ergo vir scribit testamentum, et ostendit spurios esse aliquos e suis filiis, aut affinibus, potest illud, quod vult, relinquere, eis; si autem non confirmaverit in scripto, illos esse spurios, non potest privare heredes suos haud infames duabus partibus hereditatis suae: nisi forte illi fateantur se consentire testamento, et iuribus, quae scribit in testamento: praestat autem, si adhuc vivens, et oculis suis videns, dividat eas partes.

Directio.

Ab energumeno autem, aut puero minore quatuordecim annis, aut puella minore duodecim annis, non fit validum testamentum secundum legem II. imperatorum; neque ratum est, ut prodigus dissipet bona sua. Et manifestum est, quod neque servus potest facere testamentum, eo quod iuris sui non existens, ne in bona quidem sua potestatem habet, quia domini ipsius sunt, sicuti etiam ipse est. Si scripserit testamentum, et postea libertate donatus fuerit, ac possidebat bona, cum obiit, valet testamentum, quod fecit, si non antea abrogavit ipsum.

SECTIO II.

De illo, cui praecipitur (*id est* herede.)

Directio.

Heredi non est iussio (*testamentum*), nisi forte consentiat; si minus, quam ei contingat, praecipitur pro eo (*legatur ei*); aut consentiant heredes alii, si amplius, quam ei contingat, praecipitur pro eo (*legatur ei*). Et post consensum omnium non remanet ei hereditas alia cum ipsis ullatenus. Et cum pater duorum filiorum legat alicui alieno, consentientibus filiis suis, dimidium bonorum suorum, et uni ex filiis suis dimidium, et alium filium privat, ipsimet filio privato dimidium sextae partis attribuit lex: eo quod sexta pars, quae est hereditas; quae est supra tertiam partem, quae est sepimentum testamenti, quod in gratiam alieni conditum fuit, filii illius, qui privatus est, existit: et quia ambo fratres consenserunt testamento patris sui, ambo concedunt illi alieno dimidium suum, idest unusquisque dimidium sextae partis; et ita accipit ille alienus dimidium, id est tres partes; et filius, qui privatus est, dimidium unius partis e sex, et frater

eius quartam partem et sextam, scilicet duas partes et dimidium.

Et cum legat homo tertiam partem suorum bonorum alieno, et heredi, deinde removet heredem, ipse alienus sextam partem accipit. At alii dixerunt, quod tota tertia pars illi alieno maneat.

Directio.

Et servo item heredis non est testamenti beneficium, quia ad dominum heredis res recideret. Si tamen libertate donatus sit ante mortem testantis, accipit, et possidet. Et servo alieno, qui heres non est, confirmatur testamentum, cum acceptat, et domini eius fit dominatio. Et si non acceptat, nihil possidet dominus eius, qui non potest illum cogere ad acceptandum. Et iumento etiam confirmatur testamentum, cum acceptat dominus. Et curatori datur quantitas, ut expendat pro alimento eius, et non domino. Et ecclesiae, atque diversorio, et ponti confirmatur, quod testamenti est: et curatori datur quantitas, ut expendat pro aedificio. Et illis, qui sunt sub hostium potestate, non est testamenti beneficium. Et cum occidit vir illum, qui ipsi aliquid legaverit, cessat legatum. Et si postquam percussit, testatur illi, qui percussus est, confirmatur testamentum, ac possidet. Et concepto item confirmatur testamentum, verum cum formatus fuerit in ventre ante testamentum; nam si condito testamento generatur post menses plusquam novem, dicimus, quod nondum formatus fuerit: et concepto, qui mortuus nascitur, non est testamentum, neque hereditant heredes eius legatum ipsius: nam testamentum fit in gratiam eius qui superest.

SECTIO III.

De re, quae legatur.

Directio.

Illa res, quae legatur, existere debet tempore testamenti; veluti foetus animalium gravidorum, et fructus in campis existens. Et illius, qui testatur debet esse res; nam si leget aliquis rem non suam, irritum est legatum eius; quamvis postea sua fiat res illa. Et acceptabilis rursus debet esse, nam si leget aliquis pretium canis, aut fornicariae mercedem ecclesiae, non confirmatur; nam contrarium est testamentum legi. Diversorio autem, ac ponti confirmatur. Et tertia pars bonorum, aut minus tertia debet esse, nam si supra tertiam leget, non confirmatur, nisi forte ex consensu heredum. Et dona, ac eleemosynae, quas aliquis distribuit in letali infirmitate, aut in sanitate, cum aegrotat repente, et moritur ipsis diebus illis, in quibus distribuit, ex tertia parte bonorum eius computantur. Et infirmitatem mortalem, omnem aegritudinem non praevisam dicimus, quemadmodum est dolor choli, et corrugationis, et alvi solutio, et retentio urinae crucians, et reliqui dolores, quos testimonio duorum medicorum peritorum fidelium confirmatur improvisos esse; et eo in casu usque ad tertiam partem bonorum suorum leges hominem sinunt dare: et quae supersunt, heredibus conservantur.

Quod si vendat homo aedem suam centum, quae valeat biscentum, aut emat aedem alterius biscentum, quae valeat centum, centum superfluum computatur in tertia parte. Et cum

liberat duos servos, quorum unusquisque aequalis sit tertiae parti bonorum suorum, heredes mittant sortes, et ille, cuius sors educta fuerit, liberetur. Et cum legat homini alicui tertiam partem bonorum suorum, et duae aliae tertiae partes non adsunt, non accipit ille quicquam, donec adsint; et si pereant, tertiam tertiae partis solum, et non tertiam partem accipit.

Directio.

Cum dicet ille, qui legat: detur illi tali ovis una, non detur ei agnus, neque agnicula. Et cum dicet: vaccam aut asinam, non detur ei bos aut asinus. Et cum dicet: camelum, potest dari femina propter homonymiam. Et cum dicet: possessionem unam, asinus unus detur ei. Et si dicet: caput possessionis, ovis una, aut capra detur pro more loquendi eius regionis. Et cum dicet: detur et unus servus ex meo, si non habebat servum, quando legavit, ematur servus ex bonis eius, et detur; at si habebat, et mortuus fuerit ante mortem ipsius, non emitur ex bonis eius quidquam, neque datur. Et cum cum dicet: liberetur unus servus e servis meis, et non demonstret, quis sit: sortes mittant. Et cum dicet: si filium parit talis, detur ei hoc; et contingat illam parere gemellos, neutri eorum datur quidquam: et alii dixerunt, quod super ambos dividitur aequaliter, si ambo filii fuerint: et si filius, et filia sint, filio datur: et si filiae sint, nihil recipiunt.

Et cum dicet: detur vicinis meis hoc, habitantibus in XL. aedibus circum aedem eius a quatuor lateribus, detur. Et si dicet: orbis simpliciter, non detur ei, qui habet patrem, neque excedenti quatuordecim annos, sed minori, et egeno. Et si dicet: viduae, non detur viduo: et si dicet viduis (*in genere masc.*) detur viduis utriusque sexus, quia nominatio masculina etiam super feminas cadit collective, propter maiorem indigentiam mulierum; non tamen detur divitibus. Et si dicet senibus, excedentibus quadragesimum annum detur.

Directio.

Et cum dicet: detur pauperibus hoc, detur plusquam uni. Et si dicet: tali; et pauperibus hoc, tamquam uni ex pauperibus detur illi tali. Et cum dicet: tali denarium unum, et pauperibus decem, non accipit ille talis cum pauperibus quidquam aliud, licet pauper sit.

Et si dicet: tali, et Domino nostro hoc, dimidium illi tali, et dimidium pauperibus. Quodcumque quippe feceritis uni ex his parvulis, mihi ipsi fecistis, Dominus noster dixit.

Et cum dicet: detur filiis generis talis hoc, patri eius, et matri, et filiis, et fratribus, et sororibus, et patruis, et avunculis dividitur aequaliter. Et aliqui dixerunt: patri eius, et matri; at filiis non detur quidquam, quia filii generis vocantur lingua consueta.

Et cum dicet: detur tali instar hereditatis filii mei. Si unum filium habeat, dimidium accipiat ille talis: et si duos filios, tertiam partem: et si tres, quartam; et ratum non est illud, quod dicitur, si duos filios habeat, dimidium accipit ille talis, quia dimidium est hereditas uniuscuiusque eorum. Quod si secus, cum unus filius sit ei, totam hereditatem deberet accipere ille talis, quod absurdum est.

Et cum dicet : uti hereditas unius ex heredibus meis detur tali, uti illud, quod minimum est, detur ei.

Directio.

Licet homini irritare testamentum, quod fecit, etiam sub testimonio, idque quamvis non scribat aliud : et si scribat, semper ultimum illud, quod praecessit, solvit. Et ipsa irritatio quadrupliciter comprobatur. Primum quidem, cum dicet coram testibus : irritavi aut solvi testamentum, quod feci. Aut dicat : omnia mea heredibus meis : aut nulla res est alicui cum heredibus meis.

2. Cum dicet : vendat, aut det homini rem, quam legavit, aut liberet servum. Si autem legaverit Petro hortum, et eumdem postea Paulo, si non dixerit : irritavi legatum Petri, ambo accipiunt hortum aequaliter. Et si leget tertiam partem horti sui, deinde vendat totum hortum, ac moriatur, si non antea dixerit : abrogavi legatum meum, illud tertium pretii accipient domini quibus est legatum.

3. Cum dicet : volo vendere illud, quod legavi, irritando irritavit testamentum ; similiter si largiatur, aut dicat : volo largiri.

4. Si legaverit lanam, et deinde neat ipsam ; aut pensum ; et deinde texat ipsum ; aut grana tritici, et ea molat ; aut aedem, et eam diruat ; signa sunt irritationis testamenti. Si panniculum, quod legavit, amputet, et suat : si lignum secet, et tabulas faciat, haec non irritant testamentum : si aedificet, aut plantet in desertis, quae legavit : variant auctorum sententiae. Et ita eum legat modium granorum tritici notorum, et deinde commisceat ea cum aliis melioribus, aut peioribus ; et ita cum lanam, quam legavit, in strato suo ponat : et ita eum deferat illud, quod legavit in regionem aliam, quae remota est ab illo, cui legavit.

SECTIO IV.

De procuratione.

Directio.

Procuratori quinque proprietates inesse debent. Prima, quod perfectus sit statura, et mente. Et propterea puer, et energumenus curatores esse nequeunt. Secunda, ut liber sit, quoniam dominationis est administratio, et servitus contraria est dominatui ; praeterea sufficientiam exigit illa administratio, et servus in ministerio distractus est domini sui : at imperatores graeci lege XVI. permittunt homini constituere servum suum curatorem filiorum suorum parvulorum, et hoc quamvis illum libertate non donet, ac dicunt, curationem eius signum esse libertatis ipsius.

Tertia frugi sit, nam si prodigus, licet pater fuerit, aut senior, non est in eo fiducia de custodia bonorum pupillorum. Itaque si frugi fuit, cum constitutus fuerat, et dein prodigus evaserit, episcopus potest illum removere ; et hominem frugi constituere in locum eius. Et eum poenitentiam egerit, non tamen redit ad ipsum curationis officium, nisi forte pater fuerit. Quarta fidelis sit : sed infidelis potest constitui curator infidelis. Quinta sit capax administrandi : propterea imperatores graeci lege XIV. dixerunt : et eum quinque filii erunt viro, tunc potest se excusare quominus sit curator pupillorum : et ita et-

iam cum caecus, aut paralyticus fit, cessat in eo tutelae debitum. Et mulieri est ius tutelae, praesertim si mater sit, et sit; qui iussit, pater, ut regat filios suos: et illud firmum est, ut tutor alius constituatur, et ipsa cum illo regant natos, quamdiu ad alias nuptias non transierit.

Directio.

Tutor non potest constituere tutorem alium universalem, neque dum vivit, neque dum moritur; licet ipsi praeceptum fuerit, ut cum moritur, ipse constituat, sed episcopus constituit. Potest autem solum constituere, cui persolvantur debita pupillorum loco sui. Neque etiam pater potest constituere tutorem filiis suis, quamdiu pater eius vivit; avo favet lex, et ipsius est tutela. En enim Israël etiam Ephrem, et Manassem filios filii sui Iosephi cum filiis suis ordinavit in numero tribuum. Si autem dicat alicui: tu es tutor, donec adolescat puer hic, et tunc ipse sit tutor, ratum est mandatum. Et ita cum duos tutores constituit, ac dicit: cum unus eorum moritur, ille alius solus administret. Et si non dicat sic, cum moritur unus ex eis, episcopus pro eo alium constituat. Potest autem tutor persolvere debita, et emere, ac vendere, verum modo utili: et dare pupillis alimenta demensa? et fides habetur ei in omnibus dispensationibus suis absque testibus, quia nisi fidelis habitus fuisset, haudquaquam constitutus fuisset. Non potest autem despondere, aut emere sibi ipsi quidquam ex iis, quae sunt pupillorum: et potest se excusare, et episcopus constituet alium pro eo. Et lex IC. imperatorum non concedit tutori, ut removeatur, postquam gessit res pupillorum.

CAPUT X.

De hereditate.
In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De gradibus hereditatis.

Directio.

Ut homo heredes bonorum suorum faciat propinquos suos, Deus per Moysen mandavit. Vir siquidem cum moritur, nec habet filium, dat hereditatem suam filiae suae: et si filiam non habuerit, fratri suo: et si non habeat fratres, patruis suis, et si non habeat patruos, is, qui ex tribu ipsius propinquus illi est, hereditatem eius consequitur. Lex autem, quae per Christum nobis data est, viam sublimiorem nobis stravit, et ut demus illis, qui petunt tunicam, etiam pallium monuit; et ut proximos nostros secundum spiritum magis, quam proximos secundum carnem nobismet adsociemus hortata est: quae est enim mater mea, et qui sunt fratres mei? cc. Sed postea doctores sancti, cum viderent avaritiam, oppressiones, et rapinas multiplicatas in mundo, leges posuerunt mundanas hereditatis, et aliarum rerum secundum mores et regiones.

Et causa hereditatis aut voluntaria est, aut naturalis, aut coacta respectu superiorum, aut coacta quoad genera.

Et prima est mariti, et coniugis. Et secunda illa, quae a generantibus erga genitos. Et tertia, quae a genitis erga generantes. Et quarta est,

quae a fratribus, et filiis patruorum erga patruos.

Et quoniam vir, et uxor eius ipsi sunt fundamentum naturae, ipsi primum invicem hereditant, et postea ab aliis: et feminis dimidium partis masculorum in hereditatem damus, quando cum ipsis fuerint, licet filiae cum filio, et sorori cum fratribus, et amitae cum patruo, et matri cum patre, et aviae cum avo.

Praeterea et mulier cum viro hereditat dimidium illius, quod vir ex uxore sua hereditat, eo quod mulier adiutrix creata est masculo, et costa est ex costis eius, et subdita est masculo, et ipsa privavit eum hereditate paradisi, et memoria tribuum per masculos, et non per feminas conservatur: et ipsa etiam sapientia Dei pretium masculi, qui vovetur, viginti definivit, et pretium feminae decem.

Directio.

Vir ab uxore sua, cum haec moritur, si filium, aut filios habeat, aut natos filiorum, quotquot descendunt ex eo, aut ex viro alio, uti quartam partem portionis unius ex filiis hereditat. Et quamvis filios item habeat cum filiabus, et si filiam habeat, aut filias absque filiis, uti dimidium unius ex filiabus hereditat. Et si prole careat, et habeat affines, sive affines paterni sint sive materni, dimidium omnium bonorum eius accipit maritus; et dimidium aliud affines distribuent inter se. Et si neque affines habeat, duas tertias partes bonorum eius maritus accipit, et unam tertiam ecclesia.

Et mulier rursus ex marito suo, cum moritur, sic dimidium harum partium accipit; scilicet si filium, aut filios habeat, aut natos filiorum quotquot descendunt ex ipsa, aut ex muliere alia; et licet sint cum eis filiae; uti octavam partem unius ex filiis accipit; et si filiam, aut filias habeat absque filiis, ut quartam partem unius ex filiabus accipit: et si prole careat, habeat vero affines, sive affines fuerint paterni sive materni, quartam omnium bonorum eius accipit, et tres alias quartas partes affines dividant inter se: et si neque affinem habeat, tertiam partem bonorum mariti sui accipit, et duas tertias partes ecclesia. Et quia vir, et mulier cum omnibus gradibus aliis hereditant, cum ipsis (*feminis*) iura sua commiscent.

Directio.

Sciendum est autem, quod aliqui legislatores orientales confundunt seriem feminarum cum serie masculorum in hereditate: et natos filiae, quae mortua est, cum natis hereditare faciunt; et ita natos sororis, et amitae, ac filiae patrui cum fratribus, et sororibus, et patruis, et amitis. Et avunculos etiam cum patruis, et ita hereditatem a proximis ad remotiores transferunt. Nos autem natos filiorum, et fratrum, ac patruorum, qui mortui sunt, solum coaequamus hereditate cum patruis, et amitis eorum; et hoc haud temere, sed super fundamentum, quod Constantinus rex fidelis directione patrum 318 (*nicaenorum*) posuit, aedificantes: et gradus hereditatis ordinamus post gradum mariti, et coniugis. Dixit enim in lege LXXXVII., quod a feminis quidem resecatur ipsa hereditas a gradu primo, ut non hereditent cum masculis: et neque filii sororum, neque filii filiorum ipsarum, si defecit

genus patris, quod est semen filiorum masculorum, tunc intrat in hereditatem genus patris ex feminis, tunc etiam vocatur ad hereditatem genus matris viri, et deciditur a lege, quod qui est proximus, et ipse hereditet.

In lege autem prima, et in XVIII., et in CXLII. confirmationem plurimam invenire potes eorum, quae coram te.

Gradus primus.

Filii, et filiae, et nati filiorum, quotquot descendunt, cum simul erunt, simul hereditant. Et si unus ex filiis moriatur, et habeat natos, ipsi hereditant partem eius, modo tali.

Vir mortuus est, et reliquit mulierem, et filium; mulieri unam ex novem, et filio octo.

Vir mortuus est, et reliquit filiam, et mulierem; mulieri una ex quinque, et filiae quatuor.

Mulier mortua est, et reliquit maritum, et filium; una ex quinque marito, et filio quatuor.

Mulier mortua est, et reliquit maritum, et filiam; una ex tribus marito, et filiae duae tertiae.

Vir mortuus est, et reliquit mulierem, et filium, ac filiam, et natos filii mortui, et natos filiae mortuae, et patrem, et matrem, et fratres, et sorores; mulieri una pars ex XXI., et filio octo, et filiae quatuor, et natiis filii praemortui octo: et quamvis una sola filia fuerit ei, qui mortuus est, ipsa sola octo partes accipit; natis autem filiae mortuae, et patri, ac matri, et fratribus, ac sororibus nihil obtingit.

Et si mulier sit illa, quae mortua est, et reliquit virum, et filium, ac filiam, et natos filii mortui, et natos filiae praemortuae etc.; marito una ex undecim partibus, et filio quatuor, et filiae duae, et natis filii praemortui quatuor: natis autem filiae praemortuae ac reliquis nihil.

Praeterea vir obiit, et reliquit mulierem, et natos filii praemortui, ac filiam; mulieri una ex XIII. partibus, et natis filii praemortui octo, et filiae quatuor.

Et si obeat mulier, et relinquat maritum, et natos filii praemortui, ac filiam; marito una ex septem partibus, et natis filii, qui mortuus est, quatuor, et filiae duae.

Gradus secundus.

Pater, et mater, hi quidem cum simul erunt, totam hereditatem adquirunt: pater duas tertias partes, et mater unam tertiam. Et si pater solus fuerit absque matre, ipse solus totam hereditatem acquirit, et non est natis eius, hoc est fratribus, et sororibus ipsius, qui mortuus est, cum eo quidquam. Et si mater sola absque patre sit, non totam hereditatem lucratur, uti firmat lex LXXXVII. imperatorum: sed si fratres, et sorores, aut nati fratrum, et nati filiorum fratrum, quotquot descendunt, fuerint; mater tamquam unus ex fratribus, scilicet tamquam duae feminae, hereditat: et si isti non sint, et senior est (masculus), aut senior (femina) scilicet pater patris, aut mater patris, ipsa mater dimidium hereditatis hereditat, et ambo illi, aut quisque ex eis fuerit, dimidium; et si isti non sint, et existat patruus, aut amita, aut nati patrui, aut nati filiorum patrui, quotquot descendunt, ipsa mater duas tertias partes totius hereditatis hereditat, et illi alii unam ter-

m

tiam dividunt inter se: et si ne isti quidem sint, ipsa mater sola totam hereditatem hereditat, et nihil est iis, qui post gradum patruorum, et natorum eorum cum ipsa sunt, scilicet patri patris, aut patruis, aut natis patruorum patris.

Vir obiit, et reliquit mulierem, et patrem, et matrem, et fratres, et sorores; mulieri quarta, idest una pars, et patri duae, ac matri una, et nihil fratribus, ac sororibus.

Vir obiit, et reliquit mulierem, et matrem, et fratrem, ac duas sorores; mulieri una ex quatuor, et matri una, et fratri una, et duabus sororibus una.

Mulier obiit, et reliquit maritum, et patrem, et matrem, et fratres; marito dimidium, hoc est partes tres e sex, et patri duae, et matri una, fratribus autem nihil.

Mulier obiit, et reliquit maritum, patrem, et fratres; marito dimidium, hoc est una ex duabus partibus, et patri una, et fratribus nihil.

Mulier obiit, el reliquit maritum, et matrem, et fratres; marito dimidium, hoc est duae ex quatuor, et matri una, et fratribus una.

Mulier obiit, et reliquit maritum, et matrem, et avum utriusque sexus; marito dimidium id est sex e duodecim; et matri dimidium eius, quod remansit, idest tres partes, et aviae duae, et avo una.

Vir obiit, et reliquit mulierem, et matrem, et seniorem utriusque sexus; mulieri quarta, duae ex octo, et matri dimidium eius, quod remansit, idest tres e sex, et avo duae, et aviae una.

Vir mortuus est, et reliquit mulierem, et matrem, et patruum, et duas amitas: mulieri quarta, duae ex octo: et matri duae tertiae eius, quod remansit, scilicet quatuor partes, et patruo una, et duabus amitis una.

Gradus tertius.

Fratres, et sorores, et nati fratrum, quotquot descendunt, cum simul sunt, simul hereditant: et si unus tantummodo frater sit, aut unica soror, licet ex matre sit, ipsa totam hereditatem hereditat post detractionem dimidii, quod hereditat maritus, si mortuae fuerit; aut detractionem quartae quum hereditat mulier, si mortuo fuerit: et si unus ex fratribus sit is, qui mortuus fuerit, et habeat natos, aut natos filiorum, et filios filiorum, ipsi hereditant eius partem. Et si una sit filia, ipsa hereditat partem patris sui cum suis patruis, et amitis: et nati sororis, quae obiit, in hoc gradu nihil hereditant. Et frater, ac soror, qui ex patre solum, sicut frater, et soror, qui ex patre, et matre hereditant. Et frater, qui ex matre solum, ut soror, quae ex patre, hereditat; et soror, quae ex matre solum, uti dimidium partis sororis, quae est ex patre, hereditat.

Vir obiit, et reliquit mulierem, et fratrem ac sororem, qui ex patre et matre, et fratrem ac sororem, qui ex patre solum, et fratrem ac sororem, qui ex matre, et natos fratris, qui obiit, ille scilicet, qui ex patre; et natos fratris, qui obiit, ille scilicet, qui ex matre; et natos sororis praemortuae ex patre; mulieri septem partes ex XXVIII, scilicet quarta totius possessionis, aut fratri, et sorori, qui ex patre, et matre, sex: et fratri, ac sorori, qui ex patre solum, sex: et fratri, ac sorori, qui ex patre so-

lum, sex: et fratri, ac sorori, qui ex matre solum, tres: et natis mortui fratris ex patre quatuor: et natis fratris, qui ex matre, duae: et natis sororis ex patre, quae obiit, nihil.

Vir obiit, et reliquit uxorem, et fratrem. Uxori una ex quatuor, et fratri tres quartae partes.

Vir obiit, et reliquit uxorem, et sororem: uxori una ex quatuor; et sorori tres quartae, licet illa ex matre sit.

Mulier obiit, et reliquit maritum, et fratrem: marito dimidium, et fratri dimidium; et si sororem solum relinquat, licet illa sit ex matre, dimidium marito, et dimidium sorori ex matre.

Declaratio.

Ubi mulier quartam partem totius hereditatis hereditare dicitur, definimus partes heredum omnium simul, deinde addimus super eorum definitionem tertiam partem eiusdem definitionis, et fit nobis fundamentum numeri divisionis: et ubi vir dimidium totius hereditatis hereditat, definimus partes heredum omnium simul. Deinde duplicamus definitionem, et fit nobis fundamentum numeri divisionis.

Gradus quartus.

Senior utriusque sexus, hoc est pater patris, et mater patris, si forte illis non supersint nati, aut genitores, aut fratres, et sorores, aut filii masculorum eorum, ipsi totam hereditatem hereditant, post detractionem dimidiae partis quae mariti est, et quartae quae uxoris est, si extiterit, seniori (avo) duae tertiae, et seniori (aviae) una. Et si senior solus extiterit, ipse totam hereditatem consequitur; et si senior sola fuerit, non totam hereditatem consequitur semper, sed cum patruis mortui, et amitis eius, et natis patruorum eius, uti unus ex masculis, hereditat, et cum avo et avia patris dimidium, et dimidium illis remanet: et cum patruis, et amitis, ac natis patruorum duas tertias ipsa senior hereditat, et unam tertiam illi. Et si quis ex his non existat, tunc senior sola totam hereditatem consequitur: et ostensiones (*argumenta*) gradus secundi sufficiunt ad ostendendum typum divisionum gradus huius; nam aequales sunt.

Gradus quintus.

Patrui, et amitae, et nati patruorum, ac nati filiorum patruorum, quotquot descendunt, cum simul existunt, simul hereditant: et si unus ex patruis fuerit mortuus, nati eius accipiunt partem eius, et quamvis una sit filia, illa accipit partem patris sui perfecte cum patruis, et amitis suis, ac natis patruorum suorum; nati autem amitae non hereditant in hoc gradu: et patruus, ac amita, qui ex patre solum, uti patruus, et amita, qui ex patre, et matre, hereditant. Et patruus, qui ex matre, uti amita, quae ex patre: et amita, quae ex matre, iuxta dimidium partis amitae, quae ex patre, post detractionem quartae in favorem uxoris, si maritus huius fuerit ille, qui obiit: aut dimidii, si coniugata sit, quae obiit. Et exempla gradus tertii sufficiunt ad demonstrationes divisionum gradus huius.

Gradus sextus.

Senior utriusque sexus patris, idest pater patris patris, et mater patris

patris, isti tamquam senior utriusque sexus hereditant.

Gradus septimus.

Patrui, et amitae patris, et nati patruorum eius, et nati filiorum patruorum patris, quotquot descendunt, et isti tamquam patrui, et amitaa hereditant, et hic deficit genus proprium, et intrat genus improprium, ex natis filiarum, et natis filiarum filii, qui aequales sunt in gradu octavo, et simul hereditant: incipit et nonus, nati sororum, et nati filiarum fratrum, qui aequaliter hereditant: et decimus, nati amitarum, et nati filiarum patruorum, qui aequales sunt, et hic consummatur genus feminarum, quae ex patre; et intrat genus maternum in gradu undecimo, senior utriusque sexus, qui ex matre, hoc est pater matris, et mater matris. Et duodecimus, avunculae, et nati avunculorum illius, qui obiit, hoc est fratres, et sorores, et nati fratrum matris eius. Decimustertius, senior utriusque sexus matris, idest pater patris eius, et mater matris ipsius matris. Et decimusquartus, patrui, et amitae, et nati patruorum matris. Hic desinit genealogia, quae meretur hereditatem; et illi, qui sunt post gradum hunc, scilicet pater matris matris, et mater matris matris, haud merentur hereditatem, quia hereditas ecclesiae debetur: verum si servus, qui libertate donatus sit, fuerit ille, qui mortuus est, tunc liberator eius, aut heredes ipsius hereditant eum.

Directio.

Scito, quod in quolibet ex his gradibus, etiamsi una persona masculina aut feminina sit, ipsa sola totam hereditatem consequitur, et impediendo arcet illos, qui post eam sunt, ex hereditate, exceptis viro, et uxore, quibus numquam tota hereditas debetur, sed quisque ex gradibus gradus ipsorum accidentalis particeps fit: mater quoque non totam hereditatem consequitur, sed post tres gradus fratrum, et seniorum, et patruorum, ut intellexisti. Itaque quemadmodum filius, cum solus existit, totam hereditatem patris sui, et matris suae consequitur; similiter et filia unica totam hereditatem patris sui, et matris suae consequitur. Sic et soror, licet ex matre solum sit, et ita amita, et ita filia patrui, et filia filii patrui, et reliqua.

SECTIO II.

Sex causae quae privant hereditate.

Causa prima.

Mutatio confessionis; nam christianus non hereditat ex non christiano, neque viceversa, quamvis pater sit, aut filius: orthodoxus autem, et hereticus alter hereditat ex altero, nam aequales sunt in nomine christiano: et iudaei pariter, ac samaritani, et scribae, et pharisaei, et sadducaei alter hereditat ex altero: et ex illo, qui credidit, et genuit natos fideles, deinde apostasiam fecit, abnegavit, non hereditant nati eius fideles, neque affines eius non fideles: sed ecclesia hereditat ex eo.

Causa secunda.

Servitus. Quia servus non hereditat ex affinibus suis cum moriuntur, quia neque affines eius hereditant ab eo, cum moritur, sed dominus eius. Et aliqui dicunt, quod dominus eius

accipit ius ipsius servi sui ex hereditate, quae ad eum pervenit, et dominium in eam habet. At id firmum non est. Itaque neque servus, cuius dimidium est libertate donatum, hereditat ex affinibus suis quidquam; et cum ipse moritur, dimidium bonorum eius hereditant propinqui ipsius, ac dimidium dominus eius.

Causa tertia.

Homicidium. Quia occisor non hereditat quidpiam ex illo, quem ipse occidit, et hoc quamvis absque voluntate sua, ceu ille, qui fodit puteum, et in puteum cecidit pater eius, ac mortuus est, non hereditat ex patre suo: et ille rursus, qui concitat latronem, aut energumenum, aut puerum parvum, aut animal mortiferum immittit adversus filium generis sui, licet per se ipsum non occiderit, non hereditat. Hegumenus (*praetor*) autem, cum occidit patrem suum, aut fratrem suum, aut filium per sententiam iuridicam mortis, non idcirco non hereditat, quia reapse lex est, quae hos occidit, non praetor Et ille, qui vi ducitur, ut occidat, non hereditat, quia particeps est peccati, quamvis compellatur.

Causa quarta.

Inscitia temporis mortis, veluti si moriatur vir, aut uxor eius, aut filius, et mater eius in destructione, incendio, aut mersione, aut in via simul, sive unus post alium, et non sciatur, quis prior obierit. Itaque hi non hereditant alter ex altero; sed bona uniuscuiusque proprie, absque hereditate quae pervenit ad ipsum e socio suo, hereditant heredes illius.

Causa quinta.

Fornicatio. Nam filius fornicationis non hereditat ex patre suo, neque pater eius hereditat ex eo. Matris autem heres est filius fornicationis, et ipsa est heres eius: et ita ille, qui accusat uxorem propriam de fornicatione, cessat hereditas inter ipsum, et natum eius, quamvis ex ipso sit; et fratres, qui ex fornicatione, licet gemelli sint, tamquam fratres ex matre, alter alterius hereditatem consequitur.

Causa sexta.

Dubitatio, cuius etiam quatuor sunt causae.

Causa prima.

Inscitia vitae illius, qui evanuit aut captivus ductus est, et fama eiusdem latet: et ab hoc nemo quidquam hereditat, donec confirmetur mors eius per testes, aut cum decurrerit a die mortis eius, et non a die, qua evanuit, tempus adeo diuturnum quale nullus homo eiusdem aetatis vivit: tunc propinqui eius, qui reperiuntur vivi tempore nuncii mortis eius, hereditant eum, et non illi, qui vivebant, cum evanuit; hereditas autem, quae pervenit ad illum, qui evanuit, custodiatur: et si innotescat accipiat eam; secus heredibus illius, qui obiit, et non heredibus suis dividatur, eo quod ignoratur, quisnam mortuus sit prius.

Causa secunda.

Inscitia affinitatis liquidae, scilicet cum ignoratur, utrum filius sit, an filius fratris, vel filius patrui. In omnes ergo aequaliter dividitur hereditas.

Causa tertia.

Dubitatio, quae sequitur foetum; nam infans, qui formatus est in ute-

fidelis ponitur apud infidelem, et conducitur pro servitio eius.

Directio.

Venditor oportet habeat haec specialia : puritatem : utilitatem : possessionem : servitutem : certitudinem.

Conditio prima.

Puritas. Itaque sanguis, et immolatum, et suffocatum invendibilia sunt. Et quidem dicunt, quod sanguis ob tincturam, et immolatum ac suffocatum ad alenda animalia venatoria venduntur, sicuti etiam stercus pro campis, et pelles cadaverum pro calceis.

Conditio secunda.

Utilitas. Quia illud, quod utile non est propter exiguitatem suam, uti granum unum tritici, aut propter vilitatem suam, uti reptile terrae, non venditur. Felis autem, et hirudo, et vespae venduntur, quia utiles sunt. Et canis quamvis utilis sit ad venationem, propter mandatum (*fortasse mahometicum*) non venditur : et organa cantus, quod in canonibus auditus (1) eorum non venduntur, excepto organo illo multarum fistularum, cum quo etiam in ecclesia canitur.

Conditio tertia.

Possessio. Quia ille, qui, quod proprium non est, vendit, non acquirit pretium, neque emptor venditum lucratur : et si quis diripuit bona, ac negotiatus est illa, potest dominus bonorum irritare omne datum, et acceptum, quod fecit raptor, et recipere bona sua, ubicumque extiterint : et cum emit Plato aliquid, et dicit se Socratis procuratorem, cum procurator non sit, compelliturne Plato ad accipiendum, an non? Aliqui dixerunt, quod ita est, quia in uno e duobus verbis, quae dixit, solum mentitus est, scilicet in eo, quod Socratis procurator esset, et non in eo, quod emi. Et alii dixerunt, quod non, et id ratum est : quia non pro se ipso emit. Et ille, qui vendit aliquid e bonis suis, non potest irritare venditionem, etsi iuret, quando vendidi, nescivi, an meum esset. Sed si ante dixit, quod alterius illud esset, et se constitutum procuratorem, ut id venderet, si res haud alterius sit, sed sua, cessat venditio.

Conditio quarta.

Subiectio. Quia pisces in mari, et aves in aëre, et bos errans, et asinus perditus, ac servus fugitivus, non non venduntur. Pisces autem in lacubus, et aves quae non liberantur, licet volent in atrio, venduntur. Columbae autem turricolae, cum non sunt in turri, non venduntur, quamvis soleant illuc venire, eo quod fieri possit, quod non veniant. Et ita apes mellifluae, cum sunt in suis alvearibus venduntur. Et ei, qui rapit (*potius* a quo rapitur) si dicat emptor, vende id mihi, et ego liberabo idem a raptore, valet venditio. Et si quis oppigneravit aliquid e suis bonis, non potest pignus vendere, nisi postquam ipsum redemerit, et per-

(1) Fortasse deest aliquid, quod scilicet auditio illorum musicorum instrumentorum non sit omnino conformis canonibus, eo quod per eam aetatem musicorum instrumentorum usus nondum obtinuerit.

solverit debitum, cui pignus obnoxium est. Et cum delinquit servus alicuius in aliquem, non potest dominus eius illum vendere, donec luat delictum suum. Et non valet venditio dimidii ensis, aut alicuius alterius rei, cuius cessat usus per eius amputationem, nisi venditionibus paribus utantur domini.

Conditio quinta.

Certitudo. Quia quod venditur, certum debet esse emptori, et venditori in substantia, quantitate, et qualitate. In substantia quidem, quia tum non licet homini vendere servum e servis suis, aut vestem ex vestibus suis, aut ovem ex ovibus suis, nisi ante ostenderit, qualis sit. Et si vendat unum ex duobus, aut tribus, et concedat emptori, ut eligat, quod voluerit, rata est venditio. Et si vendat iugerum certum in medio praediorum suorum, et viam simpliciter, neque designet viam; potest emptor viam sibi efficere in qualibet plaga sibi placita: verum si una ex plagis ipsius emptoris erit, per eam ingreditur, et egreditur. Simpliciter et si vicus fuerit in una ex plagis: et si dixerit venditor: vendidi iugerum hoc absque via: aliqui dicunt, non valere venditionem, eo quod utilitas non sit in praedio, ad quod dominus eius ingredi non potest: et alii dicunt valere venditionem, eo quod possit emptor adquirere viam per emptionem, aut mercedem. Et si dixerit; vendidi iugerum hoc, et non faciat mentionem viae; aliqui dicunt, quod non valeat venditio: et alii dicunt, illam valere, et posse emptorem efficere sibi viam, in qua plaga voluerit: et alii dicunt, quod verus est emptor, et compellatur emptor ad curandam sibi viam per emptionem, aut conductionem.

Et in quantitate. Nam si dicat venditor: vendidi *tali* eo (pretio), quo *talis* vendidit bovem suum, et nesciat emptor, quanti vendidit, non valet venditio, quamvis dicat vendidi: et cum dicit vendidi hunc cumulum decem denariis; valet venditio, quia pretium certum est; licet nota non sit quantitas cumuli. Et cum dicit: vendidi hunc cumulum totum, qualibet mensura, nummo uno; valet venditio, quia mensura, et nummus certi sunt; licet totus cumulus, et omnes nummi noti non sint. Et cum dicit: vendidi hunc cumulum viginti denariis: et addidit tibi mensuram aliam, non valet venditio, quia illa mensura, si donum est, cur commixta est cum venditione? et si vendita est, cur appellata est *additio?* Et cum vendit cumulum, qui super terra, non valet venditio, quia fieri potest, ut foveae aut saxa ingentia in illa terra sint et area.

Et in qualitate. Qualitas non consideratur in odore, et gustu, sed solum in visu, quia hic est communior. Omne enim odorabile, et gustabile, visibile est, et non viceversa: et propterea caecus, cum emit, procuratorem constituat, qui videat. Et an ratum sit, ut quis emat rem, quam non vidit; aliqui dixerunt, ita est, quia electio est emptori, et non venditori. Et aliqui dixerunt, quod id verum non est, quia fieri potest, ut opinari faciat, quod vitiosum vendat, et sit sine vitio.

Et si ostendat venditor partem rei venalis, valet venditio: et si ostendat ex simili, quod non venditur, non valet. Et si sacci (*latebrae*) fuerint naturales, in quibus recte custoditur res, non irritant venditionem, uti grana in malo punico, et nuces, ac amygdalae in corticibus duris, non dicam superioribus, sed in fabis teneris. Itaque lae in mamillis ovium et vaccarum, et caro ante excoriationem, valide non venduntur: et ita moschus, qui in putamine: et ita panniculus, qui in sinu, aut fasciculo (*ligamine argenti*).

Et ancillae, cum venditur, facies, manus, et pedes videantur; et aliqui addiderunt capillos; et pars aliqua ex lateribus eius videatur, ne forte fuerit picta: et non sufficit visio antecedens emptionem, eo quod mutentur res. Et si praevideat homo duos panniculos, si surripiatur unus ex eis, deinde paulo post emat illum, qui mansit, si omnino aequales fuerint, valet venditio.

Directio.

Cum erit aedes communis duobus, et vendat unus ex eis totam, scilicet propriam et non propriam, manifestum est, quod pars non propria vendita non sit: et de parte propria, aliqui dicunt, quod vendita est; alii dicunt, quod hoc ratum non sit, quia totum, et non partem illius vendidit venditor, et emit emptor. Et cum emit vir duas oves pretio unico, et moritur una ex eis apud venditorem, antequam tradatur emptori, aliqui dicunt, quod emptor accipiat ovem, quae mansit, cum ove quae mortua est: alii dicunt, quod si nolit emptor, ne ovem quidem, quae mansit, accipiat: et primum verum est. Et cum dicit venditor: vendidi linteum meum nummo, et locavi servum meum nummo ut metat, valet venditio, et locatio: at si dicat: vendidi sudariolum meum, et locavi servum meum duobus nummis, non valet venditio, eo quod nesciat, quanti vendiderit, et quanti locaverit. Et cum dicet venditor: vendidi aedem meam ambobus vobis centum denariis, et unus ex eis solum dicat, emi; aliqui dicunt, quod ille solus accipiat totam aedem centum: et aliqui dicunt, quod dimidium eius quinquaginta accipit; et illud ratum est, quod nihil accipiat, quia illi soli nihil vendidit venditor. Et cum dicet venditor homini: vendidi tibi duos modios farinae nummo, et dicat emptor - emi unum modium dimidio nummi, non valet venditio. De invaliditate autem, quae accidit ob usuras et fraudes alias, postea agemus.

SECTIO II.

De regressu rei venditae.

Quamdiu non discedunt emptor, et venditor ab invicem, potest quisque eorum rem venditam, aut pretium restituere socio suo, et acquirere proprium. At si quis eorum dixerit, non manet amplius mihi regressus, aut electio, non amplius potest restituere. Et similiter si quis eorum discedat a socio, non potest restituere, nisi determinaverit spatium electionis: et si una egrediantur, et procedant in via, aut navi, usque ad tres dies possunt restituere: postea autem, quamvis etiam non separentur, non possunt.

Et cum in iudicium contendentes

veniunt, et dicit unus ex eis, quod separati non fuimus, et volo restituere, creditur ei, quamvis non iuret, quia simultaneus regressus eorum testatur eos haud separatos invicem fuisse. Et si moriatur unus eorum, antequam separentur, aut energumenus fiat, aut in deliquium cadat, heres aut curator potest restituere, ita tamen si eodem instanti, quo audit nuncium, reclamet. Et spatium pacti electionis usque ad tres dies debet definiri. Et aliqui dicunt, quantum ambo consenserint, etsi excedat: at id ratum non est. Et si dicant usque ad festum, et nesciat unus eorum, quandonam sit festum, pactum firmum non est. Et si alteri relinquat unus ex eis electionem, licet ei: quod si non eligit ille, restituat ipse.

Et spatium pacti electionis a tempore venditionis numeratur, et non a tempore separationis: et cum unus ex duobus removet regressum ex parte sua, et alius ipsum definit, ille qui definivit, potest restituere (*revocare*) sine illo qui removit.

Directio.

Electio si venditori solum definiatur, scilicet dicat: vendidi, sed quiescat negotium usque ad tres dies, quia si non placet mihi, restituam pretium; non traditur res venalis emptori. Et cum impletur pactum, et placet venditori vendere, si rei vitium emersit tempore intermedio, non compellat emptorem, ut rem accipiat, quamvis cum toto vitio vendiderit. At si emptori solum definiatur, scilicet dicat: emi, sed quiescat negotium usque ad tres dies, quia si non placet mihi reddam, traditur res vendita emptori: et cum perficitur pactum, si vitium emersit apud eum, non potest rem restituere, quamvis sine vitio emerit. Et servus, qui emitur (*venditur*) cum pacto electionis, si illum libertate donet venditor aut emptor ante complementum pacti electionis, liberatur servus, quamvis nolit ille alius, neque ulli eorum manet electio. Et vir, qui emit ancillam cum pacto electionis, et violat ipsam, non potest amplius illam restituere, quamvis cum pacto electionis emerit eam. Et si venditor rursus violat ipsam, potest emptor illam non accipere, sed pretium, quod dedit recipiat, quamvis non cum pacto electionis eam emerit: et si foetus formatus sit, liber est natus secundum utrumque modum.

Directio.

Cum vendit homo servum, et dicit: est pistor, aut scriba: si non ita sit, potest emptor illum reddere: et si gnarus sit, sed simplex, non restituat, quamvis dictum ei fuerit, quod peritus esset, quia mos est venditionis laudare.

Et eunuchatus, etsi accrescat pretium, vitium est; item vitiatio illius, quae virgo venditur; stillicidium urinae, et excitatio fornicationis, vilia sunt, in ancillis tamen, et non in servis; fuga, et furtum in servis, et ancillis. Omnia haec vitia, cum ante venditionem sunt, restitutioni locum dant. Et pondus tributi vitium est in campo, et operariorum in aedibus molestia adversus somnum. Aut cum dicit venditor, quod non sit vitium in re vendibili, et innotescit vitium antiquum, quamvis non cognoverit venditor vitium, potest emptor reddere: at statim ae innotescit vitium, opor-

tet, ut restituat venditori. Et si non adsit duorum testium testimonium requirat: et si non aderunt, apud episcopum cat; si autem contigerit, ut postquam novit vitium, aut insederit super animal, dum it ad venditorem, aut testes, aut episcopum, ministerium ipsi deferatur a servo, non potest reddere. Sed etiam si clitellas (1) habet super animal, exuat ipsum; capistrum autem non removeat ab eo, neque tunicam a servo.

Directio.

Cum emit vir bovem sine vitio, et moritur bos, etiamsi fiat palam, quod vitiosus erat, non est revocatio, quia non est id, quod reddis, sed iuxta vitium illud tantummodo emptor a venditore damnum requirat. Et cum emit asinum, et bovem, et moritur bos, et innotescit vitium antiquum in asino, reddat asinum cum suo vitio, et accipiat pretium bovis mortui a socio suo; et non accipiat asinum vitiosum cum damno vitii eius, si nolit.

Et cum emit absque vitio, et postea vendit alteri absque vitio, ac innoscit vitium antiquum, si restituat emptor secundus emptori primo, potest emptor secundus etiam ipse restituere venditori primo: et quamvis per modum donationis redierit ad emptorem primum, potest illum restituere venditori primo, et accipere pretium eius: et quamvis etiam emptor secundus contentus sit vitio, et non imputet iacturam emptori primo, potest emptor secundus imputare iacturam venditori primo iuxta vitium.

Directio.

Cum solea calceavit emptor equum, quem emit, deinde innotescit vitium antiquum, et restituit illum, non damnificet venditorem in pretio solearum, sed spoliet equum, ac accipiat soleas suas, nisi spoliatio equo inferat novum vitium; et si inferat, damnum ipse patiatur, et non spoliet.

Et cum tingit vestem, quam emit, deinde innotescit vitium antiquum, si pretium vestis per tincturam non crevit, non potest emptor accipere a venditore cum pretio mercedem tincturae. Raptor autem vestium, cum tingit, etiamsi augeatur pretium in tinctura, non damnificat dominum de mercede tincturae: et in peponibus, et malis punicis partem exiguam perforet emptor; et si viderit vitium, reddat, et nullum damnum patiatur ob perforationem, quam fecit: et si magis corrumpat, reddat, at damnum patiatur iuxta ampliorem corruptionem, quam fecit: et ova dispersa, etiamsi frangat, damnum non patiatur iuxta vitium fractionis, quia fractum tunc invendibile est. Et ancilla virgo, quae corrumpitur a suo emptore, quamvis detegatur in ea vitium antiquum, non redit secundum legem nostram; apud alios autem redit cum detrimento corruptionis.

Directio.

Si antequam tradatur emptori res vendita, hic recuset, propter vitium, emolumenta, quae consequuntur venditam rem, venditoris sunt, et non emptoris: et si postquam tradita fuerit res vendita emptori, recuset

(1) In margine - idest, *stratum*, seu *integumentum*.

hic propter vitium, aliqui dixerunt, emolumenta, mercedem possessionum, quae aratae fuerunt iugo boum, esse venditoris, cum recusatio radicitus solvat venditionem etiam antequam fiat. Emolumenta autem conductori possessionum, quae aratae fuerunt iugo boum, et lac ovium, et fructus vineae, et reditus agrorum intellige. Et traditio vineae, et campi, per ingressum emptoris perficitur: et cum detegitur vitium, et dicet emptor, vitium esse antiquum, venditor autem neget, sed vitium novum esse dicat; venditor iuramentum edat, quod non fuerit vitium in ea, cum vendidit, et tradidit emptori. Emptor autem non cogatur iurare, eo quod ab initio ambo digni habiti sunt, qui non iurent: et si postquam iuravit venditor, quod non erat vitium antiquum in re vendita, acquiescat, et recipiat rem venditam, non potest damnificare emptorem propter vitium novum, eo quod iuramentum eius de damno ipsius venditori firmum est solum, quod propter vitium antiquum liberavit ipsum; sed emptor iuret, quod vitium novum non contigerit penes se: et si respondeat quis, ac dicat: quomodo fieri potest, ut vera sint ambo iuramenta contraria simul? dicimus, quod quisque de eo, quod scit, iuret.

Directio.

Quamdiu traditum non acceperit emptor a venditore, si pereat venditum, venditori perit, et non emptori: et emptor pretium, quod appendit, resumit: non potest emptor cogere venditorem, ut constituat ei compensationem pro illa re, quae periit: et haec quidem, quando ex caelesti damno, aut ex manibus alieni contingat corruptio. Si autem emptor corrumpat venditum, antequam ipsum transferat e domo venditoris, emptor damnum patitur: et si vitium tantummodo emergat ante traditionem, si velit, emptor accipit cum vitio eius absque detrimento: et si nolit, non accipit nisi pretium eius. Simili fere modo

Si comburatur fornix murorum domus ante traditionem, si velit emptor, accipiat ipsam domum absque fornice muri: et si malit, accipiat pretium eius: et non potest cogere venditorem, ut hic constituat fornicem muri, sed si venditor voluntate sua incendit ipsum, compellet eum.

Et ita servus, cuius oculus vitio laborat, si velit emptor, accipiat eum caecum eodem prorsus pretio; et si malit, pretium eius accipiat; neque potest emptor vendere, aut pignerare, aut dare quidpiam, quod vendidit, antequam ipsum sibi tradatur; nisi tamen fuerit ager: et servum potest liberare: debitum autem potest homo emere.

Directio.

Cum emit aliquis quidpiam nummis, et non potest persolvere, nisi denarios, aut viceversa, vera est venditio, et non irritatur, si monilia, aut vestes, aut legumen, aut quadrantes non potest persolvere propter venditionem.

Et aliqui dicunt, non esse pretium, nisi nummos, et denarios: at illud certum est, quod quidquid consequitur litteram *bet* (1), pretium est;

(1) Phrasis significat, quod omnes emptiones et venditiones sunt permutationes, in quibus

scilicet bos cum asino. Et hic bos est res venalis, et asinus est pretium.

Et traditio quidem agri, et domus, et ceterorum immobilium per alienationem in nomine venditoris (1), quae concessa sit, in dominationem emptoris transit. Et in mobilibus, nomine mercis, e domo venditoris ad domum emptoris per emptorem perficitur traditio, cum ipsam transfert in locum habitationis suae. Et aliqui dicunt, quod sufficiat hoc, ut e domo venditoris transferat ipsam: et id ratum est. Et aliqui dicunt, quod licet e communi ad commune e domo venditoris transferat ipsam, tradita sit ei; et si corrumpatur per caelestem damnificationem, aut per alienos, ipse emptor damnificatur: at id firmum non est: nisi contigerit, ut antea requisierit emptor a venditore locum, in quo poneret illam: tunc per modum depositi est res venalis apud venditorem, et emptor damnum patitur in corruptione: haec omnia, cum sine mensura, aut pondere emit aliquis; alias si demensum fuerit, aut ponderatum, quamvis non transferat ipsum e domo venditoris, quamvis non requirat traditionem, traditum accepit emptor, et damnum patitur in corruptione: et venditor debet metiri atque ponderare, et non emptor, eo quod si emptor metiatur, aut ponderet, ipse sibi ipsi dabit, et a se ipso accipiet: et hoc firmum non est, nisi forte per modum procurationis. Et si venditor transferat rem venditam in domum emptoris, et ponat ipsam coram eo, aut in sinu eius, aut in latere eius, et taceat emptor, neque dicat: nolo recipere: traditam accepit, quamvis non dicat: tradita mihi est, aut recepi.

Directio.

Primum venditor tradat mercem, deinde emptor tradat pretium. At aliqui dixerunt, quod non: sed primum emptor tradat pretium, deinde venditor tradat mercem. Et quidam dixerunt, quod non: sed simul ambo tradant, et accipiant traditum. Certum autem est, quod, si ex eis primus voluntate sua tradet, compellitur alius tradere, neque cunctari. Et sententia secunda verior est primâ, eo quod cum ius emptoris, quod est merces, ostenditur a venditore, debet emptor ostendere ius venditoris, quod est pretium, et det pretium, et deinde accipiat ius suum. Et cum emit homo servum, et tradit pretium, compellitur venditor tradere servum: verum si sit fugitivus, et emptor resumat pretium, cessat venditio, et non potest accipere servum, cum reperitur, et dare pretium: certe si relinquat pretium apud venditorem, potest accipere eum, si reperitur, alias pretium eius sumit: et eum recipit venditor pretium, et dicit emptori: recipe mercem, et non recipit; si corrumpitur, venditor damnum patitur, et non emptor, eo quod nihil receperit. At illud firmum est, quod venditor adeat episcopum, et accuset emptorem, qui non recepit rem propriam, et iudex compellat eum, ut recipiat; alias deponat (*commendet*)

id, quod permutatur, dicitur merces, id vero cum quo permutatur, habet locum pretii; porro particula-*cum*-syriace per literam *bet* praepositam dictioni solet designari. (1) Scilicet statim atque nomine venditoris inscripta res huic adiudicatur.

ipsam, quamvis apud venditorem, et tunc emptor detrimentum patitur, non autem venditor, si res corrumpitur. Et cum emit emptor, et non habet pretium, quod solvat, cessat venditio, et venditor rem propriam recipit; et si habeat, compellitur persolvere, neque irritatur venditio: et si dicat: habeo foris apud aliquos; cum opportunum fuerit mihi, solvam; non tradatur in manus eius merces, sed deponatur apud aliquos, quoad solvat pretium: et si post unum diem non habebit, rem venditor recipiat.

SECTIO III.

De formulis, qu e adhibentur in venditione, et emptione.

Directio.

Cum dicet emptor socio suo: participem te feci mecum: aut: feci te socium meum: aut: tecum emi: et dicat socius eius: acceptavi; aliqui dicunt, quod quantum voluerit emptor, dat illi socio ex empta merce, eo quod non designaverit ei quantitatem. Alii dicunt, quod non; sed dimidium debere dare socio suo: et id probatum est; nam communicatio simpliciter aequalis magis confirmatur, et ideo cum ipsa venditio fuerit damnosa, non potest ille socius minus quam dimidium accipere.

Directio.

Cum dicet venditor: vendidi ipso (pretio) id quod emi, et lucrum sunt duo nummi: si nesciat emptor, quanti emerit, venditio non subsistit, quamvis dicat, emi: itaque debet emptor explicare, et dicere: vendidi, quanti emi, et sunt viginti nummi, et lucrum duo. Et cum dicet venditor: vendidi, quanti inveni: coniungitur cum pretio, etiam merces ministrorum, et directorum, et merces domus in quia custodiuntur proventus. Stabulum autem animalium non coniungitur cum pretio. Pariter si ipse per se ipsum metitus est, aut domi suae custodita fuit venalis res, non computatur ipsi ob id retributio. Et cum emit homo decem, et vendit undecim, et rursus emit secundo, quanti stetit ipsi, manifestum est quod decem, et non undecim, ipsi steterit. Et ita si emit decem, et vendit novem, et emit secundo decem, et vendit secundo quanti stetit ei, manifestum est, quod decem, et non novem, stetit ipsi, quia venditio secunda, et non prima, praecedit emptionem secundam.

Directio.

Ut sit pignus in manibus creditoris. Et ideo debitor tenetur curare, et expendere expensas pro pignore, siquidem ex illis fuerit, quae expensis egeant, ut confirmetur custodia in manibus creditoris: et si dissipator, aut dissolutus fuerit creditor, potest debitor accipere pignus ab ipso, et ipse cum creditore deponant illud apud hominem iustum, donec solvatur debitum: et ille iustus non potest tunc tradere pignus uni eorum speciatim; secus detrimentum pati-

tur: et debitor cum fuerit indigus operae sui servi, aut asini, aut bovis, quem pigneravit, fideiussorem constituat, quod denuo ipsum tradet creditori, et sic accipiat.

Modus secundus.

Creditori potestas non est vendendi pignus, prout libuerit, sed cum licentia debitoris, aut iussu episcopi, quando ille solvere non potest: et debitor similiter absque permissu creditoris non potest ipsum vendere pignus.

Modus tertius.

Conservandi pignoris non creditor, sed debitor curam gerere debet, et ut de proprio etiam damnum patiatur expensarum, quibus conservatur, ita ut venam ipse aperiat, et scarificationes ipse immittat; amputare tamen apostema periculosum non potest: debet autem ipse debitor et mercedem stabuli, et latebram iumenti, quod pigneravit, et irrigationem arboris, cuius fructus pigneravit: et si negligens fuerit, compellatur ab episcopo, ut impleat omnia convenientia: et si repugnet, pars ex pignore vendatur pro expensis ceterarum partium: et si ipsum per se non subsistat, vendatur velociter, et ematur pro eo pignus aliud, quod conservetur sine expensis.

Modus quartus.

Pignus penes creditorem est in modum depositi: et ideo si ipse non corrumpat illud, nihil perdit, quando corrumpitur, sed debitor perdit.

Modus quintus.

Debitor, et non creditor, dominatur utilitatibus pignoris, quia ipse est dominus eius, et ideo detentum est ei et non creditori.

Thema tertium.

Emolumentum pignoris apud nos est, qui ipsum tenemus; uti merces operis servi, et iumenti: et proles, et lac, ac lana, et fructus non subiacent pignerationi, sed debitor in illa ius habet, etiamsi servi, et iumenta, ac arbores pignerationi obnoxia sint. Sic etiam ancilla gravida cum pigneratur, non venditur, antequam pariat, nisi foetus eius pigneratus fuerit nominatim cum ipsa: et servus pignori datus, si percutitur, et oculus eius expellitur, ac solvitur eius pretium, illud pretium cum ipso pignore manet, quia pro parte eius est, quae diminuta fuit.

Thema quartum.

Cessatio pignoris. Cessatur autem a pigneratione, cum cessat debitum. Desinit rursus, et cum nocumentum e caelo accidit ei, et corrumpitur; tunc non debet debitor constituere pignus alind pro eo. Desinit denique rursus, et cum servus fuerit, qui pigneratus est, et delinquit delicto, quod dignum sit morte. Desinit denique, cum solvitur debitum. Et hae quatuor sunt causae: ac prima, et secunda manifestae sunt: itaque de tertia, et quarta agemus.

Causa tertia.

Cum occiditur a praetore non debet debitor constituere pro eo aliud pignus: quod si pretio liberet ipsum dominus ipsius, debitor, veluti sit ipsum pignus, sub manu creditoris manet. Et si in dominum suum debitorem delinquat servus pignori datus, quia occidit servum eius, aut filium eius, potest dominus eius ipsum occidere auctoritate praetoris, quamvis ipsum pigneraverit, et non debet constituere pro

ipso aliud pignus: et si non occidit eum, non potest vendere eum ob delictum ipsius, nisi prius liberaverit eum a pigneratione, et eripuerit eum e manu creditoris. Et si dominum suum qui pigneravit ipsum, occiderit, potest filius domini sui illum occidere iussu praesidis; et si non occiderit, ac pretium constituerit super ipsum, non potest illum servare, ut educat e manu creditoris, donec solvat debitum patris sui.

Causa quarta.

Cum solvitur debitum. Et huius sunt duo modi.

Modus primus.

Cum non ex ipso pignore solutio fit: itaque quamvis una drachma ex centum drachmis debiti maneat, ipsum pignus totaliter non eripitur a pigneratione, donec et ipsa drachma solvatur: et non potest debitor, dum unum dimidium debiti solvit, accipere unum dimidium pignoris. Cum duo servi pignerantur pro centum denariis, et moritur unus eorum, ille alius pro centum manet pignus, et non pro quinquaginta. Et ita si unum ex duobus servis, quos pigneravit, tradidit, ipse pro centum erit pignus. Certe, si quisquam dimidium servi pigneret semel pro quinquaginta, et aliud dimidium eiusdem secunda vice pro quinquaginta, eum solvit quinquaginta, dimidium servi manet pignus pro quinquaginta, et non totus. Si vero venditus fuit pro debito creditoris quinquaginta, ex pretio medii eius tantum retribuitur ei, et pretium dimidii alterius reliquis creditoribus, si fuerint sine pignore, dividatur. Et ita cum ipse servum penes duos creditores pignerat, cum uni ex eis solvit, haud totus servus manet pignus apud illum alium, qui solutionem non accepit, sed dimidium eius. Ita si servus duorum sit, et alter eorum pigneret ipsum iussu amborum pro duobus millibus uniuscuiusque creditoris, sententiâ nostrâ potest cessare dimidium pignus illius e duobus creditoribus, qui id volet, a pigneratione.

Modus secundus.

Cum ex ipso pignore solvitur debitum. Itaque quotiescumque ratum est debitum, aut *prothesmia* solutionis, si antea pacta sit, potest vendere creditor pignus, sed non prout libet, verum compellat debitorem, si promptus sit ad solutionem, aut vendat pignus, aut permittat constitui curatorem, qui vendat; ita ut annuat debitor, et permittat, dicatque creditori: vende pignus, et accipe pro solutione a me pretium eius, et repete tuum. Et si dicat: vende, et pretium eius, quantum ad te attinet, accipe; venditio quidem valet, at solutio non est rata, quia debetur pretium pignoris primum domino pignoris, et deinde tamquam ab ipso solutionem accipit creditor eius. Et cum citat debitor apud episcopum, non potest cogere creditorem, ut adducat pignus, et deinde solvat: sed primum solvat; et cum solverit, rursus non potest similiter cogere creditorem, ut adducat ipsum, sed solum, ut annuat ipsi, ut accipiat, quia per modum depositi pignus est penes creditorem.

SECTIO III.

De dissensu illius, qui pignerat, et illius, apud quem pigneratur.

Directio.

Dissensus quatuor signis fit: pignore: acceptatione: delicto: declinatione.

Signum primum.

Pignus: et in eo sunt modi tres.

Modus primus.

Cum dissensus in quantitate pignoris est. Si adfirmatio est debitoris, ipse adiuratur: eo quod in omni dissensu negatio est fundamentum. Itaque cum terra fuerit pignus, et in ea fuerint arbores, et dicat debitor, quod arbores non sunt pignus: et dicat creditor, quod pignus sunt; si non habeat testes, debitorem adiuramus: et si dicat debitor, quod non reperiebantur arbores, quando pigneravi terram, et sensus testetur, quod incredibilis sit eius sermo, scilicet cum antiquae fuerint arbores, tunc illum non adiuramus, sed in creditorem conferimus iuramentum, ut iuret, quod pignus fuerint. Et aliqui dicunt, quod non, sed debitorem adiuramus, quod non fuerint pignus solum, et non quod non fuerint, cum a sensu convincatur falsitatis. Sed apud nos firma non est haec sententia.

Modus secundus.

Cum creditor aliquis dicit de servo duorum dominorum, quod ambo simul illum pignerarunt apud ipsum, et unus eorum non consensit; ille, qui consensit, potest testificari de eo, qui non consensit, et illum mendacem evincere, quia recipitur testimonium socii adversus socium suum. Et cum duo creditores dicunt de servo debitoris alicuius, quod is apud ambos simul eum pigneraverit, et debitor uni ex eis; ille, qui non consentit ei, mendacem eum convincat, tamquam ille, qui propter utilitatem animae suae testatur, scilicet ne dominetur ille alter servo.

Modus tertius.

Cum unusquisque duorum creditorum dicet, quod apud ipsum pigneravit debitor totum servum, et non adfuerint testes; illi, cui consentit debitor, traditur servus, et debet confiteri, quod non pigneraverit apud alterum. Et si fateatur, quod etiam apud illum alterum pigneravit totum servum; cui primo pigneravit, traditur servus, et debet constituere illi alteri pignus, quod coaequet servum. Et si dicat, quod nescio, cuinam ex ambobus vestrum primo pigneravi, ille, in cuius manu est servus, retinet servum. Et si in neutrius manu fuerit servus, sortem mittant super servum, et super pignus aliud coaequale. Et si dixerit: uni vestrum pigneravi, sed nescio cuinam vestrum, eo quod oblitus fuerim; adiuretur, quod oblitus fuerit, et deinde adiuretur uterque creditor, quod apud ipsum pigneravit: et cum ambo iurabunt, tunc declinat pignus ab ambobus, et ad dominum suum revertitur; quia iuramentum uniuscuiusque ex eis solvit illud alterius. Et ita si neuter iuret, non possunt tenere pignus.

Signum secundum.

Acceptio. Cum fuerit pignus in manibus debitoris, et dixerit, quod non tradidi ipsum creditori, sermo eius recipitur. Et si fuerit in manu cre-

ditoris, ac dicat debitor, quod ego ipsum non tradidi tibi, sed tu rapuisti ipsum; vel si dicat, ego deposui ipsum apud te, et locavi ipsum; aut requisivisti, et dedi tibi ad opus, non pigneravi apud te, tunc debitor iuret, quod non pigneravit.

Signum tertium.

Delictum. Cum delictum fit in servum, qui pigneratus fuit, et fateatur delinquens, et confirmet debitor, ac non confirmet creditor, pretium delicti debitori, et non creditori erit. Et si creditor affirmet, ac debitor neget; pretium delicti creditori est: et si debitor solvat debitum ex parte, liberatur pignus, et pretium illud neque debitoris, neque creditoris fit, sed ecclesiae.

Et cum servus, qui pigneratus fuit, delinquit, et fatetur creditor; si vendatur servus pro solutione reatus, non potest ille, in quem deliquit servus, accipere solutionem pretii delicti e pretio servi, quia pretium tunc creditoris est, nec is quidquam deliquit: at illud, quod ratum est, primum solvat debitor pretium delicti servi, et deinde pignus ipsum, aut vendat.

Signum quartum.

Declinatio pignoris a pigneratione. Et dissensus: in quo sunt tres modi.

Modus primus.

Cum mutuum accipit homo ab homine mille, et ponit pignus: et cum mutuum accipit rursus mille, et non ponit pignus; et post tempus solvit mille, et vult accipere pignus, et dicat creditor, quod hoc mille, quod solvisti, est illud mille, quod sine pignore est; debitorem adiuramus, quia ipse novit animo suo, quale mille solverit: et si iuret, ac dicat: nescio, quale mille solvi; dimidium mille, quod solvit, et debito pignoris reputatur, et dimidium debito, quod sine pignore est.

Modus secundus.

Cum annuit debitor homini iusto, ut emat pignus, quod posuit apud creditorem, eique solvat: et dicat ille iustus: emi, et solvi: et dicat creditor, solutionem non accepi; creditorem adiuramus; et cum iurat, ab illo iusto accipit solutionem debiti sui, et non a debitore, quia pignus fuit ius eius, et illi iusto tradidit ipsum.

Modus tertius.

Cum adparuerit macula in pignore, et dicat debitor creditori: apud te id accidit; et dicat creditor, minime, sed maculosum ipsum dedisti mihi; debitorem adiuramus, quia pignus ipsius est, et penes ipsum primum fuit, et ipse magis novit, eo quod penes ipsum fuerit.

CAPUT XIV.

De difficultate solvendi, et impedimento usus rerum.

In eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De difficultate debitoris, qui non debet pretium mercis, eo quod corrupta sit.

Directio.

Difficultas solvendi, potestati episcopi (subest) quod attinet ad venditionem rerum debitoris, et solutionem debiti eius instantanei; cum minora sunt debito suo bona eius. Et debitum instantaneum illud dicimus, in quo non sit *prothesmia*; sed quandocumque voluerit creditor, etiam statim

potest requirere proprium a debitore. Et cum debita fuerint sub beneficio prothesmiae, non habet potestatem episcopus super res debitoris decoctoris ante impletionem prothesmiae, neque impediendi ipsum ab usu rerum suarum, etiamsi potestatem habeat super res debitoris, qui moritur ante impletionem prothesmiae; et prohibeat heredes, ne quidquam accipiant ante solutionem debiti: at si paria sint debita bonis, aut paululum minora iis, potestatem episcopus in ea habet, et cum impletur prothesmia, impedit debitorem, ne iis utatur: et si valde minora sint debita bonis, nullatenus potestatem in haec habet episcopus, sed compellit ipsum, ut ipsemet vendat, et solvat debitum impositum. Et cum plures fuerint creditores, et unus ex eis petat ab episcopo, si minus sit debitum ipsius bonis debitoris, non potest episcopus impedire debitorem ab usu rerum suarum: at si maius sit, vel aequale, impedit eum. Et cum vendit episcopus bona decoctoris, debet constituere praeconem, qui clamet, et dicat: quicumque habet debitum adversus talem, adsit. Et ipsum creditum creditorum, aut pretium rei venalis, aut subsistit, et conservatur, aut non ita. Et de eo, quod non est pretium mercis, aut merces est, quae corrupta fuit, tres sunt canones.

CANON 1.

Prohibitio usus incipientis bonorum, quae extant tempore interdictionis, has quidem tres definitiones habet.

Definitio prima.

Bona, quae extant diximus; nam bonis, quae noviter acquiruntur alicui ex mercede laboris sui, aut ex dono, aut ex munere, aut ex iussione, aut ex pretio delicti, quod in ipsum est commissum, his uti potest, scilicet vendere, liberare, et conferre, et pignerare, locare etc. Et ille, cui interdictus est usus, cum confitetur debitum aliud, recipitur verbum eius, et cum reliquis debitis solvit: recipitur rursus verbum eius, si confiteatur, se rapiendo rapuisse aliquid ex bonis, quae extant apud ipsum tempore interdictionis; aut depositum esse penes ipsum, et domini illius accipiunt illud absque iuramento alienius partis.

Definitio secunda.

Tempore interdictionis diximus; quia videlicet si post interdictionem emit aliquid, non impeditur illo uti, siquidem haud existebant, quum usu impeditus fuit. Et venditor si non scivit, decoctorem fuisse emptorem, cum emit, potest suam recipere mercem; quod si scivit, non recuperat, sed cogit emptorem, ut solvat pretium, verum non ex bonis antiquis, quorum usus ei fuerat impeditus: ita et omnia debita nova non solvuntur ex bonis antiquis, praeter contingentia inhibitioni, uti merces metitorum et portitorum bonorum mensurabilium.

Definitio tertia.

Usum incipientem diximus; nam si decoctor cum emit aliquid, antequam impediatur ab usu, appareat in re defectus damnosus, potest illam restituere, eo quod causa huius usus antiqua est, et non incipiens: et si damnosus non sit defectus, si ita malit, potest non restituere,

quia tunc cessat ius creditorum. Et ita cum emit cum pacto electionis, et deinde impeditur ab usu, emptionem ipsius utilem non potest revocare. Et debitor decoctor, cum vult incedere in via, si instantaneum est debitum, impedit eum creditor, donec solvat:at si *prothesmiae* subditum, non potest impedire eum ante complementum *prothesmiae*; neque etiam potest petere, ut sibi constituatur fideiussor, et deinde abeat debitor, verum chirographum testimonii potest requirere ut scribat ipsi, ac testes advocet. Aliqui vero dicunt, quod si operarius est debitor decoctor, et ad bellum velit ire, possit creditor illum impedire, donec constituat fideiussorem, qui solvat, si forte occidatur. At id ratum non est. Et iudicium debiti *prothesmiae* subditi, ante complementum *prothesmiae* non instituitur; neque iudicium debiti instantanei, cum fatetur creditor, debitorem esse decoctorem; neque iudicium creditoris, quem servus ipsius reum facit.

CANON 2.

Venditio bonorum decoctoris. Cum certum est debitum, et illud superat bona debitoris, tunc episcopus potest vendere bona debitoris, et solvere debitum illius, si impediatur a solutione. Vendat autem episcopus non pretio minori, sed pretio aequali, aut maiori, et in praesentia decoctoris debitoris domini bonorum, ut removeatur suspicio mala: et cum animalia fuerint opes, cito ea vendat, ut non crescat damnum expensarum pro illis.

Et cum vendiderit episcopus, congreget totum pretium apud se, et una vice dividat illud omnibus creditoribus iuxta credita eorum; et si nolint expectare, donec colligatur totum pretium, quidquid aderit dividet eis: et non potest episcopus creditores cogere, ut confirment nullum alium praeter ipsos creditorem esse: neque sufficit argumentum illud, quod si esset, accessisset, ac repetiisset proprium. Et si appareat creditor aliquis, qui habeat creditum antiquius tempore, ex quo decoctor usu impeditus fuit, et sint creditores reliqui, qui antea acceperint, quod ipsis contigit de bonis decoctoris, unusquisque eorum reddat creditori illi partem aliquam, ut et ipsi utilitas sit iuxta creditum suum, quemadmodum etiam illis. Et cum dominatur episcopus in bona decoctoris, et impedit eum ab usu, non debet illum impedire ab alimentis ipsius, sed det ei propriam sustentationem, et sustentationem uxoris, ac filiorum ipsius, et reliquorum domesticorum eius toto tempore impeditionis eius. Et cum vendit bona eius, alimenta unius tantum diei relinquat ipsi, et domesticis eius, et vestimenta illa, quibus tunc est indutus: reliquum vero possessionis eius sive domus sint, sive terrae, sive servi, vendantur; et illud, quod superest e debito, scribatur, ut cum operabitur, et Deus illi aliquid providebit, solvat: non tamen cogitur operari, ac solvere, nisi voluntate sui ipsius: et cum operatur, et superest ei aliquid supra suam sustentationem, cogitur solvere.

CANON 3.

Solutio debiti, quod est contra decoctorem, cum vendit episcopus propria eius, si forte superest aliquid aliud e debitis, tradet ipsum praesidi, ut carceri mancipetur, donec exhibeat testes, quod nihil habeat, qui sic testentur: novimus intima eius, et novimus quod nihil habeat. Testari faciant similiter creditorem, ut adiuret iterum debitorem, quia fieri potest, ut habeat aliquid occultum, quod non resciverunt testes. Et si creditor nolit ipsum adiurare, episcopus cogat eum iurare. Et aliqui dicunt, quod quadraginta dies maneat debitor in carcere, deinde requiratur, ut constituat testes, quod nihil habeat, et educatur e carcere, et expectetur, donec iudicetur, et solvat: et si non iuraverit, neque testes exhibuerit, episcopus mittat duos viros iustos, qui scrutentur possessionem eius, et datum, ac acceptum eius: et eum nihil ipsum habere constiterit, emittitur e carcere, et diutius non detinebitur. Et pater, ac mater cum fatentur debitum, quod est contra natum suum, qui ab eis separatus non est, compelluntur ad solvendum.

SECTIO II.

De impotentia debitoris pretii mercis, quae debita est.

Directio.

Cum decoquit emptor, et servata fuerit merces, potest venditor eamdem mercem iterum possidere, verumtamen non prout libet, sed cum non potest emptor solvere debitum instantaneum, quod est manifesta causa decoctionis eius; tunc licitum est venditori absque impedimento iterum possidere mercem, quae fuerit servata, quemadmodum antea fuerat: et horum quidem definitiones septem.

Definitio prima.

Cum non potest solvere, diximus; nam si potest solvere decoctor per possessiones, quae denuo acquiruntur ei; aut id, quod possidet, sit aequale pretio, quod debet; tunc non potest creditor, idest venditor, iterum possidere mercem, sed pretium eius accipiet, et creditores alii, si fuerint, possunt impedire eum, ne accipiat pretium; et non possunt impedire eum, ne accipiat mercem: et si concedunt ei, ut accipiat pretium, et non vult accipere gratiam eorum, aut timet, ne forte creditor alius innotescat, qui non sit permissurus, potest non accipere pretium, et propriam rem iterum possidere, scilicet illam rem, quam vendiderat.

Definitio secunda.

Debitum instantaneum diximus; quia si debitum *prothesmiae* subditum sit, cum decoquit emptor non potest venditor ante *prothesmiae* complementum iterum possidere mercem. Et illud probatum est, ut e manibus emptoris decoctoris tollatur merces, et deponatur penes alium usque ad complementum *prothesmiae*, et cum solverit pretium, illam sumat. Tunc venditor iterum accipiat mercem, et nihil est cum ipso reliquis creditoribus: similiter si in manibus emptoris (venditoris) decoctor inveniat mercem tempore complementi *prothesmiae*.

Definitio tertia.

Et permutationem manifestam diximus, eo quod pretium rei venalis, et merces lucrorum debita sunt, quorum manifestae sunt commutationes; contra ac *doron*, quamdiu vivit maritus, et pecunia conciliationis. Itaque cum decoquit ille, qui conduxit domum, aut possessiones, et non potest solvere mercedem, poterit ille, qui locavit, denuo possidere aedem suam, aut possessionem suam. Certe si in via non secura fuerit ille, qui conduxit possessionem, non potest is, qui locavit, onus suum proiicere, sed perducat ipsum cum mercede, quae aequa est. Ita tamen si non sit timor, quod ante reliquos creditores solvatur ipsius merces, cum iudicatur ille, qui conduxit. Et cum locat homo domum, et decoquit, ac postea evertitur domus, potest ille, qui conduxit, recipere mercedem, quam dedit ex pretio domus dirutae, neque impedient eum reliqui creditores. Et cum vendit homo ancillam cum servo, et moritur ancilla apud emptorem decoctorem, qui administratione prohibitus est, deinde adpareat defectus antiquus in servo, ac restituat servum, emptor ancillae potest recipere pretium illius ab eius venditore ex pretio servi; et quod reliquum fuerit, cum reliquis creditoribus recipere.

Definitio quarta.

Id causa decoctionis eius diximus; nam si nondum decoctor sit, emptor prohibetur a solutione, nec potest venditor rursus possidere rem venalem, sed accedat ad episcopum, aut ad praesidem, et illi cogent emptorem, ut solvat pretium, quod debet.

Definitio quinta.

Et posse absque impedimento venditorem rursus possidere rem venalem, diximus: quandocumque enim, et ubicumque reperit rem suam venalem, et impediatur emptor a solutione pretii ob impotentiam, potest ille rursus possidere rem propriam: et ratum non est illud, quod si moretur, et rem non accipiat, amplius eam non accipiat, videlicet instar emptoris, qui postquam apparuit defectus vetus, si tardet, et non redeat, potest rursus reddere.

Definitio sexta.

Et cum res fuerit servata, diximus; nam illam, quae corrupta est, aut exiit e manibus emptoris qui decoxit, non potest venditor rursus possidere, sed pretium eius debitum fit, ut reliqua debita. Et si exiit, et rursus ad emptorem reversa est, certe loco pignoris potest venditor recipere ab eo.

Canon primus.

Definitio septima.

Et sicut erat, diximus: nam si res immutata fuerit, non prout libuerit potest venditor illam rursus accipere. Et ipsa immutatio, aut in defectum vergit, aut in augmentum: et ipsum augmentum aut modi est, idest vitium; aut substantiae, id est diminutio. Rursus aut ex ipsa est substantia venalis, aut forinsecus sequitur: et haec aut substantialis est, aut accidentalis; aut substantialis in modo, et accidentalis in modo. Et hi quidem sex canones sunt.

Diminutio modalis. Est autem haec. Si nocumento caelesti fiat, si voluerit venditor, rursus poterit accipere illam cum suo defectu, et confirmare pretium eius debitum emptori decoctori

instar reliquorum debitorum ; quia res venalis, cum adparet in ipsa defectus, antequam illam traditam sumat emptor, si voluerit, accipit eam cum suo defectu : et si voluerit, accipit pretium, quod appendit. Et si e manu emptoris, aut ex manu alieni contigerit defectus, potest venditor ob illud quod boni superest, rem venalem cum suo defectu accipere ; et reliquum, quod manet ex pretio debitum, sit adversus emptorem decoctorem.

Canon secundus.

Diminutio substantiae. Scilicet si pars venalis corrumpatur, velut si moriatur unus e duobus servis, qui simul empti fuerunt. Itaque cum decoquit emptor, servum, qui manet, accipiat venditor cum pretio eius ; et pretium illius, qui mortuus est, debitum sit emptoris decoctoris. Et aliqui dicunt, si accipit, cum toto pretio accipiat ipsum ; alias relinquat, et accipiat pretium. At id ratum non est.

Canon tertius.

Additio substantiae : si spissa fuerit, uti pinguedo ovium, et incrementum arborum, cum decoquit emptor, cum augmento denuo accipit venditor rem venalem: et si separata fuerit, uti foetus animalium, et fructus arborum, animalia et arbores solum accipiat venditor absque augmento, quia emptoris sunt. Verum si animalia non conceperant, et fructus non fuerant procreati, quando empta fuere, et semen nondum seminatum crevit ; et mustum quod fit vinum, et ova quae fiunt pulli, additiones spissae substantiae accensentur.

Canon quartus.

Additio substantialis, quae forinsecus sequitur, veluti illa, cum emit homo terram, et arbores in ea seruit, et aedificia struxit, et antequam solvat pretium eius, decoquit ; illa terra cum arboribus venditur alteri, et accipit creditor pretium eius, quod constituerat, et reliquum decoctor possidet propter arborum plantationes, quas fecit. In additionibus autem confusis, veluti illa, qua emit homo *heminam* olei olivae, et commisceat ipsum cum *hemina* olei olivae de proprio, ac fiat decoctor : si aequalia sint ambo unguenta, venditor accipit mixtam ex utroque heminam suam : et si non fuerint aequalia, vendantur ambo heminae, et accipiat prius venditor totum pretium suae heminae, quod pactus fuerat, et reliquum decoctoris erit. Et aliqui dicunt, quod non, sed ipsum unguentum iuxta pretium dividitur ambobus, scilicet si ille unius ex eis unam drachmam valet, et ille alterius duas, dominus unius drachmae duas tertias partes heminae accipit ; et dominus duarum drachmarum heminam et tertiam partem heminae. Si autem unguentum sesamorum cumillo olivae misceatur, non potest venditor rursus accipere proprium, quod instar sit eius, quod periit ; sed pretium eius sit adversus decoctorem, uti reliqua debita.

Canon quintus.

Additio accidentalis, veluti siquis molat triticum, et dealbet vestimenta, ac doceat servum artem, deinde decoquat, vendantur ista, et pretia eorum dividantur unicuique iuxta id, quod proprium ipsius est : molarius autem ac fullo, et doctor non pos-

sunt detinere farinam, et vestimentum, et servum pignus pro mercede sua, eo quod substantialis non sit operatio eorum.

Canon sextus.

Additio substantialis in modo, et accidentalis in modo; veluti si quis dato ad tingendum panniculo, decoctor fiat. Itaque si non adaugeatur pretium panniculi per tincturam, uti est, accipiat ipsum venditor; sin vero augeatur, particeps est decoctor augmenti; videlicet si valeat commissura sine tinctura decem, et tincta quindecim, ac merces tinctoris unum; venditor accipit decem, tinctor unum, et quatuor quae supersunt pro solutione debiti eius, qui decoxit dantur: et manifestum est, quod tinctor potest retinere frustum panni pignus, donec suam drachmam recipiat; quamquam molarius id ipsum non possit, uti diximus.

SECTIO III.

De causa prohibitionis.

Directio.

Quinque sunt causae, ob quas prohibentur domini administrare bona sua. Pueritia, daemonis obsessio, servitus, difficultas solvendi, dissipatio, quae est dispersio bonorum absque sollicitudine emolumenti animalis aut corporalis. Ille itaque, qui dissipat bona sua per escas iucundas, quae non conveniunt ipsius gradui, prodigus est: ille vero, qui eleemosynas dat, aut aedificat ecclesiam, sive pontem, aut diversorium, prodigus haud est. Iam si prodigalitas, daemonisve obsessio in pueritia accidant, pater ipsius pueri tunc, aut presbyter, eius curator fiat: et si postquam ingreditur annos suos id accidat, episcopus constituat tutorem convenientem, patrem, aut alium: et signa ingressus annorum, idest perfectionis aetatis, quatuor sunt.

Primum.

Statura. Puer ante annos 14 est sub manu tutoris, et puella ante annum 12. Et post hoc tempus transeunt e subiectione tutelae, et possunt administrare bona sua, et testamentum facere, quamvis usque ad annum 25. sint subditi curatori puer atque puella iuxta legem secundam imperatorum. Et alii 15. annum definiunt ad perfectionem staturae pueri et puellae. Et alii annum 18. Et alii puellae annum 17. definiunt.

Secundum.

Pollutio nocturna in pueris: et sermo ipsius pueri recipitur, cum dicit: somniavi.

Signum tertium.

Fluxus menstruus in puellis.

Quartum.

Incrementum pili pubis in pueris, et manifestatio cicatricum, et pili axillarum, argumenta sunt confirmatae aetatis. Seiunctio autem extremitatis narium, et augmentum mamillarum, ac crassities vocis non sunt signa confirmativa. Et perfectio staturae semiviri ex annis solum dignoscitur.

Directio.

In omnibus iis, quae non cadunt sub tutoris auctoritatem, potest administrationem exercere prohibitus. Recipitur ergo confessio eius, quod filius sit huius, aut non filius illius, et quod deliquerit delictum. At rata non est emptio, et venditio eius, neque donum eius, neque te-

stamentum eius ratum est : neque cogitur ad solvendum, quamvis, se debitorem esse fateatur : at ratum est ei recipere donum, et testamentum. Neque ratum est, ut ullatenus tutor constituatur, nisi tutor ipsius eidem concedat administrare aliquid minimum e bonis suis : veluti si tentet eum, an idoneus sit ad administrandum, nec ne, rata est administratio eius. Et cum fatebitur, quod perdidit bona alicuius, compellitur tutor ad solvendum.

CAPUT XV.

De conciliatione.
Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De conciliatione vera, et non vera.

Directio.

Conciliatio dissidium duorum litigantium in datione, et acceptione, et delicto, sequitur; et veluti emptio, ac venditio quaedam est; scilicet ab eo quod pluris est, ad id quod modicum est : et veluti donum, cum gratis reconciliatur homo fratri suo. Etenim Dominus quoque in evangeliis suis adorandis mandavit, ut reconcilientur.Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via, ne forte adversarius tuus tradat te iudici, et iudex tradat te exactori, et cadas in domum vinctorum, et non exeas exinde, donec des ultimum quadrantem.

Directio.

Et ipsa conciliatio tripliciter fit, cum consentit debitor verbis creditoris, et cum tacet, et cum negat. In conciliatione quidem, quae cum consensu debitoris fit, veluti aliquid ex iure suo solutum accipit creditor, et reliquum dimittit gratis. Conciliatio autem, quae cum silentio debitoris, et negatione fit, ea creditori ex eo, quod non totaliter privetur lucro, utilis est; et debitori, ut non iuret, et non litiget, prodest : vera ergo est conciliatio, qua ille, qui habet centum puros, accipit quinquaginta impuros. Et ita ille, qui habiturus erat centum in die suo, accipit centum intra mensem. Non est autem vera conciliatio illius, cui dantur decem tantummodo drachmae : neque vera rursus conciliatio eius, cui dantur centum intra mensem, et accipit quinquaginta in die suo : neque illius, qui habet centum impuros, et accipit quinquaginta puros. Et cum dicit adversarius : mea est aedes, et negat accusatus, non cessat eius negatio, quamvis petat ab adversario, ut concilietur cum ipso, et accipiat centum. Et si dixerit : vende mihi aedem, non poterit rursus negare, quod non sit adversarii aedes.

SECTIO II.

De dissidiis quae ad aedes pertinent.

Directio.

Lis de aedibus accidit tripliciter : circa viam, circa parietem, circa laqueare.

Viae sunt semitae communes, in quibus portae aedis aperiuntur, quamvis antea non extiterint. Ad efferendum quidem fimum extra murum, non fit decens via, non quia permissum non sit, verum ne laedamus

transeuntes per viam; neque item transire faciamus ferentem lanceas equitum. Non autem licet aedificare sedile aut plantare arbores in lateribus viae: aliqui tamen aequum esse aiunt cum conditione, quod non faciant angustias in via: aliqui vero nullatenus. Et aditus, qui impeditus est ex uno latere suo, non imitatur vias, quia in via potest homo aperire portam, quae non erat, et in aditu prohibito minime, cum laesionem dominorum portarum antiquarum adducat apertio portae in aditu prohibito. Qui infra omnes portas habet portam suam, in totum aditum habet ius, et potest impedire illos, qui supra ipsum sunt, ne renovent portas, neque struant aedificium, quod laedat in angustiis. At illi, qui supra ipsum sunt, non possunt impedire eum, et ita quisque usque in portam suam solum potestatem habet, et non infra suam portam: et dominus portae veteris in aditu prohibito, si non prohibeat eum, non potest aperire portam aliam novam, eo quod ex ingressu, et statione hominum, et equorum, ac asinorum supra duas portas, maxime laeduntur vicini: at aperire fenestram novam in fissura prohibita, propter lucem, non prohibetur homo; at si non propter lucem, sed propter intuitum, prohibetur.

Paries autem contentionis ille, qui inter duo loca duorum dominorum existit, dicitur a nobis. Ergo si unius ex ipsis ipse proprius sit, non potest ille alter eo uti, nisi cum consensu domini ipsius. Et ipse dominus, si velit, concedit illi alteri ut pontem ponat super eius parietem: et si nolit, non concedit. Et aliqui dicunt, quod si non laedatur, debeat concedere: at id ratum non est; et si forte concedat, si ruat paries, potest iterum non concedere: etiam vero et antequam ruat, si velit, potest deiicere pontem e pariete suo, quotiescumque voluerit, eo quod illi, qui permittit socio suo, ut insideat, aut onus imponat super asinum ipsius, similis est: verum restituat iacturam, quae accidit domino pontis, qui eius iussu aedificaverit, et iacturam fecit. Si autem amborum sit communis paries, tunc tribus modis fit de eo contentio: utilitate, divisione, et aedificio.

Utilitate quidem, quia non potest unus ex duobus dominis frui eo, nisi post consensionem cum altero domino; ad suffulciendum autem super ipsum, potestatem habet unus ex eis, etiamsi non conveniat cum socio suo.

Divisio rursus cum consensione fieri potest in longitudine, et latitudine simul; et post divisionem non potest unus ex eis uti parte parietis tali usu, qui laedat socium suum; et non est rata divisio totalis, aut dimidii, ac latitudinis; quia fieri potest, ut dimidium inferius sorte obtingat illi, qui pontem vult superponere parieti, et tunc errat a scopo suo. Neque rursus in tota latitudine et dimidio longitudinis rata est divisio, quia fieri potest, ut non usufruatur toto aut dimidio, in quo fit divisio. Et quemadmodum paries, sic et *ignis*; dividitur. In fundamentis vero similiter non est causa quae prohibeat divisionem.

In aedificio autem, cum ruit paries communis, non potest unus e duobus dominis eius compellere socium suum

ad aedificandam partem suam, quia fieri potest, ut laedatur ob aedificationem, cum sit egenus. Et si dicat ei socius ipsius: ego aedifico partem tuam etiam ex proprio meo, et fiet pars tua, ubi aedificata fuerit, tibi propria, non potest tunc illum prohibere, eo quod non habeat causam impedientem. Et si similiter rursus non acquiescat, potest socius eius adducere eum apud episcopum, qui cogat eum, ut dividat, et accipiat partem suam dirutam, et socius eius aedificet partem suam. Et non potest dominus habitaculi superioris cogere dominum inferioris ad aedificandum lacunar domus suae, ut ipse instruat superiorem partem ipsius; sed si velit dominus superioris, de proprio aedificet inferiorem, et superiorem, et non potest impedire dominum inferioris ab habitatione inferiori. Et aliqui dicunt: impedit eum, donec solvat detrimentum, quod ad ipsum pervenit: at id ratum non est; quia potest ipse dominus inferior impedire dominum superiorem ab aedificio; et cum illum non impedivit, cur detrimentum patitur? Et si dominus inferior non fuerit praesens, et aedificet dominus superior iussu episcopi, potest aedificare, et cum venerit dominus inferior, solvat; et si non iussu episcopi aedificat, non potest a domino inferiore quidquam exigere, cum venit. Et ille, qui habet ius ad decursum aquarum in locum socii sui aquaeductu aut irrigatione, cum corrumpitur locus ille, non debet illum instaurare, sed dominus eius ipsum instauret, licet ex descensu aquarum non propriarum corrumpatur.

Et laqueare contentionis illud dicitur, quod medium est inter habitaculum superius, et inferius, quae duorum dominorum fuerint. Est itaque domino superiori ius sessionis possidens, et domino inferiori ius ad hoc ut obumbretur sub illo. Et ius quidem domini superioris confirmatur, cum emit dominus inferior ius aedificii, quod est supra tectum suum, ut possit esse alterius, qui aedificet, et dominetur. Et aliqui dicunt, quod valida non sit emptio haec, eo quod non sit venalis res: at id ratum non est, nam venalis haec quamvis non sit substantia, attamen utilitas substantiae venalis est, veluti sessio super tectum, et aedificium parietum aliorum supra parietes primos. Itaque potest aliquis emere aut semitam aquae in solum suum, aut positionem pontis super parietem suum; et cum emit, debet pactum apponere, ubi ponantur parietes superiores, et num lapides an lateres sint, propter cautelam a laesione; cum ille qui supra terram emit ius aedificii, non egeat haec in pactum deducere, nam non est laesio ob diversitatem specierum aedificii; et dominus inferior destruit proprium; et destruitur etiam superius causa ipsius: nec cessat dominatio domini superioris, nisi cum aedificat dominus inferior proprium, rursusque aedificat dominus superior proprium.

SECTIO III.

De contentionibus ob rem communem.

Cum aedes aliqua in potestate alicuius hominis fuerit, et accedant duo

alii homines, et unusquisque dicat singillatim; mea est aedes; si uni eorum solum consentiat ille, in cuius potestate est, potest ille, cui adiudicatur, nihil dare ei, qui mendax habetur, ex fructu, quem percipit ex aede. Et si ambo simul dicant, nostrum duorum est, licet uni tantum eorum consentiat ille, in cuius possessu est aedes, non potest ille, cui adiudicatur, removere illum, qui reiicitur ab eo, quod accepit; eo quod servus quoque duorum dominorum cum venditur, si unus e dominis eius accipit dimidium pretii, non potest dicere socio suo: ego accepi proprium, tu accipe tuum; quia omnis pars pretii amborum est, quemadmodum etiam omnis pars servi amborum facta est.

Directio.

Cum fuerit aedes in potestate duorum hominum, et accesserit homo alter, et dixerit: mea est, eique consentiat unus ex illis duobus, hic solus privetur parte sua, et non ille alius, qui non consenserit. Similiter etiam si in pecunia voluerit acquiescere, et non privetur, potest ille, qui non consensit, appendere pecuniam illam, et possidere partem illam per *analogiam*, si quidem ambo simul eam non emerunt, aut hereditarunt aedem ab antiquo, eo quod tunc ille, qui non consentit, iamdiu non credidit illi, qui dixit: mea est aedes. Et propter hoc rata non est acquiescentia ipsius cum illo, et rata est acquiescentia illius qui consentit. Et ita remanet aedes in potestate amborum, uti fuerat.

Directio.

Parietem, qui est inter duas domos duorum dominorum, cum contendunt super ipso ambo, quamdiu non fuerit ab uno eorum demonstratio, amborum esse dicimus: et si finis ad finem parietis proprii unius eorum adiungitur convenienter, scilicet si intrant commissurae laterum ad invicem, tunc domini parietis specialis dicimus esse etiam illud medium: at non ita, si uni eorum pontes fuerint super ipso, aut facies fenestrarum, aut facies commissurarum laterum in parte eius fuerint, nam tunc aedes duorum dominorum, quorum uni sunt in eo stillicidia aquae. Et cum unus insederit asino, et alius teneat capistrum eius, illius, qui insidet, asinum esse novimus, donec fiat demonstratio, quod eius sit, qui tenet capistrum. At non ita paries medius, sed amborum esse simul dicimus, donec ostendat unus ex eis, quod suus sit proprie.

Directio.

Dominus caenaculi, et dominus domus inferioris cum contendunt super laqueari, amborum esse dicimus, cum unius ex eis pavimentum sit, et alterius laqueare. Num autem potest dominus inferior suspendere aliquid in laqueari, an secus? Aliqui dicunt, quod ita; nam quemadmodum dominus superior potest sedere super ipsum, dominus inferior potest appendere in eo. At aliqui dicunt, quod non, eo quod sessio necessaria sit domino superiori, et suspensio haud necessaria sit domino inferiori: sed illud comprobatum est, quod nemo potest foramen, aut detrimentum in laqueari facere: laqueare autem tunc fit etiam domino caenaculi, ob mutandum in eo pontem post ornamen-

tum caenaculi; et si revera non potest, quia est domini domus inferioris proprie.

Directio.

Cum fuerint domus superiores diversoria alicuius, et domus eius inferiores alterius, et contendant super aede diversorii, si cataracta extra aedem fuerit, nihil est domino superiori in aede: at si fuerit intra portam exteriorem, usque ad terminum cataractae, solum possidet partem dominus superior. Et cum pro cataracta contendunt, si non sit domino inferiori sub ea domus, superioris erit proprie. Et si sit, amborum est, scilicet uni eorum cataracta (1), et alii laqueare.

CAPUT XVI.

De translatione iuris.

In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Quinque sunt elementa, quibus translatio iuris, sive datio potestatis fit: vox, et dans, et accipiens, et id de quo fit datio potestatis, et debitum. Et translationem iuris hic dicimus illud, quod debitor det ius creditori, ut solutionem crediti sui accipiat ex qualicumque re debita debitori, scilicet quod debitor secundus sit pro debitore primo adversarius creditoris, et consequenter dicat debitor primus creditori: potestatem tibi feci in talem, ut ab eo solutionem tui crediti accipias. Et ubi dicit creditor: acceptavi: perfectum est negotium translationis iuris; et quidem quamvis non consentiat debitor secundus; nam cum eius indubium est debitum, sive velit, sive nolit, is cogitur solvere: et postquam consenserit debitor secundus solvere, quamvis non confirmetur debitum, quod est contra ipsum, cogitur solvere. Et postquam consenserit creditor solutioni accipiendae, quamvis fiat impotens aut dissentiat debitor secundus, non potest illum omittere, ut redeat ad exigendum debitum a debitore primo. Ita vero potest, si debitor secundus impeditus fuerit, et ignoravit creditor, et pactum extiterit cum debitore primo, quod idoneus esset debitor secundus, tunc potest creditor se excusare, cum innotescit, quod ille impotens fuerit, et exigere proprium a debitore primo.

Directio.

Emptor cum dat iuris translationem venditori, ut accipiat solutionem pretii ab aliquo homine, siquidem restituat emptor rem venalem venditori, et nondum solutionem acceperit pretii venditor ab homine illo, cessat iuris translatio, neque rursus poterit solutionem accipere. Et si postquam solutionem habuerit pretii venditor ab illo homine, voluerit emptor restituere rem venalem venditori, non potest; et venditor cum dederit iuris translationem alicui homini, ut solutionem pretii rei venalis recipiat ab emptore, non poterit amplius irritare venditionem.

(1) In margine: *id est clivus, per quem ascenditur de tecto in tectum; aut portae caenaculorum, quae de superiore parte clauduntur.*

SECTIO II.

Directio.

Cum vendit homo servum, et dat iuris translationem alteri, ut solutionem pretii accipiat ab emptore, et consentiat; deinde dicat servus: ego liber sum, et non servus; et crediderint ei emptor ac venditor, absque illo, qui accepit iuris translationem, emptio et venditio cessant: iuris vero translatio non cessat, sed qui ius transtulit potest exigere proprium ab emptore: quod si autem etiam ipse qui ius tsanstulit credat, quod servus haudquaquam sit, non potest exigere pretium ab emptore.

Directio.

Cum dicet creditor debitori: tutorem (*curatorem*) me constituisti, ut solutam accipiam pecuniam a tali, et dissentiat debitor, ac dicat, quod non, sed tale ius ad te transtuli, si nondum creditor quidpiam solutum acceperit ab illo tali, potest compellere debitorem ad sibi solvendum. Et si postquam solutionem recepit, fuerit dissensio haec, non potest debitor ex illius manibus quidquam accipere, cum ex genere suo proprio solutionem acceperit. Et si postquam accepit, corrupta aut furto sublata fuerit pecunia, ipse creditor detrimentum patitur, licet dicat: tutor sum, et non iuris translator, eo quod in manibus eius corrupta fuerit, cum ex genere proprio solutum acceperit proprium. Et cum dicet creditor debitori: ius in me transtulisti, ut solutionem mei crediti recipiam a tali; et dissentiat debitor, atque dicat, quod non; sed tutorem constitui te, ut solutionem proprii mei accipiam a tali; si nondum quidquam solutum acceperit, non potest amplius quidpiam solutum accipere, eo quod tutelam (*procurationem*) negaverit, et iuris translationem non cônfirmaverit. Et si solutionem accepit, et corrupta res est in manibus eius, perdit ipse creditor, et non debitor, quia tutelam negavit, et iuris translationem confessus est.

Directio.

Ius translatum propre illud est, quod a debitore creditori datur. Imperatores autem graeci, etiam cum non est debitum, sic loquuntur, quemadmodum indicat lex eorum LXXVII, et aliae: et quod ratus non sit usus huiusmodi, notum est ex eo, quod tunc non maneat discrimen tutelam inter, et ius translatum. Quod si separata non essent, quomodo in operationibus separatis utuntur eis proprie, et alicubi ius translatum, non tutelam dicunt; et alibi tutelam, non ius translatum dicunt?

CAPUT XVII.

De fideinssione.

Et in eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Sex sunt elementa fideiussionis: is a quo exigitur; exigens; fideiussor; debitum (*creditum*); persona.

Elementum primum.

Cum accedit aliquis, ut fideiubeat pro eo a quo exigitur, quamvis nolit debitor, potest pro illo fideiubere aliquis; eo quod etiam possit solvere debitum, quod est contra ipsum, licet is

nolit: fideiubet enim aliquis et pro illo, qui iamdudum mortuus est, et pro illo, qui decoctor est. Cum autem fideiubet aliquis pro aliquo, non poterit deinde se excusare, dicens: non noveram illum, eo quod verbum eius non recipitur.

Elementum secundum.

Exigens. Et hunc necesse est sciat fideiussor, et deinde fideiubeat: necesse est etiam, ut suscipiat exigens fideiussores suos, alias non iure agit.

Elementum tertium.

Fideiussor. Et hic perfectus statura, et liber debet esse: nam servus cum fideiubet, quamdiu libertate non donetur, non exigitur ab eo, nisi ei concessum fuerit a domino suo administrare per dationem, acceptionem, et mercaturam.

Elementum quartum.

Debitum centum debet esse ante fideiussionem: nam si dicat aliquis socio suo: fideiubeo tibi pecuniam, quam feneraturus es tali, vera non est fideiussio: et in emptione, ac venditione vera est fideiussio, antequam confirmetur; veluti si dicat homo venditori: vende triticum socio meo, et ego fideiubeo, pretium me soluturum tibi, si ille non solverit. Et ipsa substantia, et quantitas, quae fideiubetur, necessario nota esse debet fideiussori, ut deinde fideiubeat.

Elementum quintum.

Persona etiam fideiussioni subiacet, ut illam praesentem sistat fideiussor, quotiescumque exigit actor: quo liberet a fideiussione, ratum est ei; et non est ratum actori recusare, ac dicere: non peto eum nunc a te; alias liber fit exinde fideiussione. Certe cum confugit reus ad aliquem fortiorem actore, et ille hunc inhibeat per tyrannidem, ne recipiat solutionem crediti sui, tunc potest se excusare, ac dicere: non peto illum nunc a te; et non liberatur fideiussor tunc a fideiussione. Et ille, qui fideiubet personam aliquam exhibiturum se in Athur, non debet illam exhibere in Ninive. Et si praesentaverit illam in Ninive, liber fit a fideiussione: et si exhibuerit in via, aut loco deserto, non liberatur. Et cum moritur reus, liberatur fideiussor, qui fideiusserat pro persona illius, et non debet solvere debitum, quod est contra illum, quia non pro debito fideiusserat.

Directio.

Cum moritur actor, heredes ipsius pro eo exigunt a fideiussore illud quod fideiussit: et cum tres personae fideiubent pro persona aliqua, quicumque ex ipsis exhibuerit reum, liberatur cum illis duobus aliis, qui fideiusserunt, quamvis praesentes non fuerint.

Firmum est actori, ut etiam a fideiussore exigat aliquem, qui fideiubeat pro eo ad firmitatis augmentum.

Ratum rursus est, ut tres personae fideiubeant pro reo aliquo, et quisque pro socio suo. Et cum fideiubet aliquis pro merce, et haec corrumpatur, antequam tradatur emptori, cessat emptio cum fideiussione.

Non debet fideiussor exhibere pretium, quod recipit venditor ab emptore, eo quod non pro pretio, sed pro merce fideiusserit, et haec corrupta est, instar illius, qui mortuus est: sed emptor solutionem proprii accipiat a venditore.

Elementum sextum.

Vox, cum dicit fideiussor: fideiussi, aut debitor sum praesentandi creditum, aut solvendi debitum, nisi solverit debitor: aut suscepi in me, ut praesentem, aut solvam: rata est fideiussio in unaquaque harum vocum. Et si dicat: ego praesentabo, aut solvam ipsum, non est firma fideiussio, nisi forte addat, et dicat illis, qui audiunt: testis sitis adversum me, quod ego praesentabo, aut solvam.

Et fideiussio usque ad tempus, et diem notum in debitis, et non in personis, rata est. Et cum praesentat fideiussor quantitatem debiti ante complementum temporis, potest creditor recusare: scilicet si chirographum testimonii eius, aut testes, quibus confirmatur ius ipsius, non adfuerint; et ita non liberatur fideiussor a fideiussione usque ad complementum temporis: et non est ratum, ut fideiubeat fideiussor per manum, aut pedem rei: sed ratum est, ut fideiubeat per cor, ac dorsum, ae iecur eius; nam si unus ex his alii tradit, etiam totam personam tradit, et non ita est de manu et pede.

SECTIO II.

De fideiussione vera.

Directio.

Actor, licet accipiat fideiussionem fideiussoris, nihilominus non prohibetur exigere a reo suum creditum: nam non mutavit reum cum re, sed reum reo adiunxit, scilicet fideiussorem debitori. Itaque quando * potest reus, non potest actor exigere a fideiussore quidpiam: et actor, cum removet fideiussorem, non removetur reus. Quod si removeat reum, iam et fideiussorem removit: et cum debitum *prothesmiae* subiectum fuerit, et moriatur debitor ante finem *prothesmiae*, non potest actor suam rem petere a fideiussore, sed post *prothesmiam*.

Directio.

Fideiussor potest cogere actorem, ut recipiat solutionem crediti sui, cum iudicatur reus. Et potest rursus fideiussor compellere illum, pro quo fideiubet, ut paret id, quod debet. Et cum in carcere ponitur fideiussor, potest dicere actori: in carcere pone mecum debitorem. Et si debitor non fuerit dissipator, non potest fideiussor compellere eum, ut tradat sibi rem debitam, antequam perdat ipse fideiussor: at si dissipator fuerit, poterit.

Et fideiussor, si sine concessione debitoris, pro eo fideiusserit, cum solverit ipse fideiussor pro debitore, non poterit ab eo exigere quidquam: at si ex concessione ipsius fideiubeat pro eo, debet debitor solvere fideiussori quidquid hic perdit pro eo. Verum postquam angustiatur, perdit ipse fideiussor, et non ipse de proprio sine violentia. Et cum convenit fideiussor cum actore super nonaginta loco centum, non potest solutionem ipse fideiussor exigere a debitore, nisi tantum nonaginta.

Directio.

Servus cum fideiubet pro domino suo, etiam postquam libertate donatus est, solvit debitum, quod est contra dominum, cum concessione domini sui: aliqui dicunt, quod non redeat ad sumendum a domino suo quidquam, quod solvat pro eo, quia cum fideiubebat omnia domini eius erant, et

* Cod. *quando non.*

non ipsius propria. Et aliqui dicunt, quod redit ad accipiendum, eo quod cum solvit, illa sua erant propria, et non domini sui, nam servus tunc non erat. Et dominus cum fideiubet pro suo servo ex ipsius licentia, et solvit pro eo; postquam libertate donavit eum, redit ad accipiendum a servo suo id, quod solvit pro eo. Et si antequam libertate eum donet, solvit pro eo, non potest redire ad accipiendum a servo suo quidquam, postquam libertate eum donaverit.

Directio.

Cum homo duobus simul viris vendit aliquid centum, quisque eorum fideiussor est socii sui: et quamvis in pactum non deducatur fideiussio, potest venditor solutionem centum recipere ex utrolibet ipsorum. Et si dicat ei unus ex eis: accipe quinquaginta mea, et accipiat, non poterit rursus quidpiam aliud ab eo exigere; sed quinquaginta alia ab illo alio exigat. Et si actor aliquis apprehendat alium, ac dicat: fideiussor es illius, ille autem neget, et dicat: non sum fideiussor: etiamsi constituat actor testes, quod ille fideiussor sit, et ipsum perdere faciat, non potest hic ipse redire ad exigendum ab illo, qui perdidit pro ipso, quia negando negavit, ac dixit, se non esse fideiussorem eius; ut sicut ille, qui fuit eius fideiussor, solutionem recipiat.

Et cum dicet actor fideiussori: pro centum fideiussisti, et constituet duos testes, quorum unus de centum testetur, et alius de quinquaginta, non recipitur testimonium eorum. Ita tamen si dixerit ille, qui de quinquaginta testatur, quod pro centum fideiusserit, sed solvit quinquaginta: tunc enim rata est fideiussio pro centum, et non est rata solutio quinquaginta.

CAPUT XVIII.

De societate.
In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De tribus elementis eius.

Elementum primum.

Illi dicuntur socii, apud quorum societatem in pactum deducitur quidquid in pactum deducitur in tutela, quia unusquisque eorum veluti tutor est socii sui in administratione bonorum eius. Et non decet fidelem hominem societatem inire cum infideli, neque iustum cum oppressore, praesertim vero cum eo, qui non cavet ab usura.

Elementum secundum.

Dictio societatis, quae huiusmodi est ut dicant ambo simul: socii facti sumus cum pacto, ut unusquisque nostrum administret bona socii sui.

Elementum tertium.

Bona societatis: et huic elemento sunt quinque canones.

Canon primus.

Bona societatis debent esse nummi, et denarii, et si materiae aliae fuerint, pretium earum computetur, et non ipsae. Et utilitas uniuscuiusque e sociis secundum sortem, quam posuit, debet esse; si dimidium, dimidium; si tertiam partem, tertia pars etc.

Canon secundus.

Bona amborum sociorum confusa debent esse, et permixta, et unius speciei: si aurum fuerit unius illorum

signatum, etiam alterius sit aurum signatum. Et si non confundant bona sua invicem, quamvis determinent, ut quidquid lucratur unus ex eis, cum altero dividat, vera non est societas. Neque rursus vera est societas, quae in labore versatur, scilicet si duo operarii societatem ineant, ut merces messis uniuscuiusque eorum amborum sit.

Neque rursus ratum est, ut societatem ineat vir honorabilis cum viro vili, ut vendat proventum vilis pretio magno, et sit ei sors in lucro: quod si hoc fiat, merces laboris sui dumtaxat spectat ad honorabilem. Et si verbo solum, quod labore vacuum sit, vendit, nihil adiudicatur ei, sed tota utilitas vili domino in proventum sit.

Et cum habuerit aliquis mulum, et utriculum alius, ac societatem ineat cum eis tertius, qui extrahat per eos aquas, omnes aquae eius sunt, qui extrahit eas: et domino muli ac domino utriculi merces muli utriculique debetur.

Ita cum homo aliquis dat semen, et alius dat tauros et instrumenta iugi boum, et alius ducit, ac seminat, totum semen domini seminis est, et merces solum debetur aliis duobus. Societas ergo in semente, sine societate in semine, vera non est, licet deducatur in pactum.

Canon tertius.

Confusio bonorum societatis cum ipsa societatis confirmatione debet esse: nam si confusa bona non fuerint, cum societatem inierunt, potest ille, qui ex eis recusat, solvere societatem, et non dare socio suo de utilitate, quae propria sit bonorum suorum.

Canon quartus.

Bona societatis aequalia debent esse: si duo fuerint socii, unusquisque dimidium; et si tres, quisque tertiam partem: sed ut plurimum homines etiam in inaequalibus societatem inire solent. Lucrum itaque etiam secundum bona dividi debet.

Canon quintus.

Nota debet esse quantitas bonorum uniuscuiusque e sociis alteri: aliàs non est rata societas.

SECTIO II.

De societate vera.

Et hic tres sunt canones.

Canon primus.

Unicuique sociorum licet administrare bona societatis, et quidquid emit, communitatis est: et illud quoque, quod emit cum *prothesmia* nomine societatis, e bonis societatis potest solvere pretium eius: debet autem unusquisque e sociis utilitati consulere.

Canon secundus.

Utilitas secundum quantitatem sortis debet esse unicuique e sociis, et sic etiam damnum: et si uni eorum abundantior utilitas pacto stipuletur, pactum non est ratum; et hoc quamvis magis laboret; quia socius est sodalis sui, et non mercenarius eius, ut accipiat amplius pro labore suo.

Canon tertius.

Societas morte cuiusvis e sodalibus, aut obsessionis a daemone ipsius, aut eiusdem recusatione, solvitur. Cum ergo aliquis dicet socio suo: solvi te e societate mea, solutus est qui audit, non tamen est solutus qui dicit. Et cum dicet: solvi societatem, quae est

mihi tecum; solutus est auditor, et dicens, quia in primo socium suum solvit, et socius eius ipsum non solvit: et in secundo socium suum, et se quoque ipsum solvit.

SECTIO III.

De dissensionibus socialibus.

Directio.

Cum accusat socius socium suum, quasi dolose egerit, non recipitur eius accusatio. Sed accusatus debet secernere, et demonstrare suam administrationem, et cum secrevit iuret, quod dolose non egerit. Et si accusaverit eum, quod bona, quae in manibus eius, e bonis societatis sunt, accusatus iuret, quod illa non sint e bonis societatis. Ceterum si dixerit accusatus, quod haec bona fuerunt e bonis societatis, sed mihi divisa fuerunt, tunc accusator iuret, quod divisa non fuerint. Et si unus ex eis emit aliquid, et accuset eum socius ipsius, quod e bonis societatis emerit, et ipse dicat, quod non, sed e bonis propriis meis emi; sermo eius recipitur absque adiuratione, quia ipse magis novit se ipsum; et quia fidelis est, non adiuratur. Pariter etiam et quoties fraudulenter non egit, non sarcit iacturam socio suo cuiusquam rei pro ea, quae corrumpitur apud ipsum: et cum dixerit, quod corruptum sit penes se aliquid e rebus societatis ob causam occultam, sermo eius recipitur, eo quod non possit socius eius confirmare contrarium eius, quod dicit. Et si manifestus casus est, veluti incendii, aut captivitatis, compellitur id comprobare; et postea iuret, quod in ipsa illa causa corruptum sit.

Directio.

Cum fuerit servus duorum dominorum, si vendat eum unus ex eis cum licentia socii sui, deinde confiteatur licentiam dans, et emptor, quod solutum acceperit venditor totum pretium, et non consentiat venditor, tunc tollitur iurgium e medio permittentis, et emptoris, eo quod confessus fuerit emptor, sortem suam e pretio socio suo solvisse, et manet iurgium inter permittentem et venditorem, et inter venditorem ac emptorem. Cum ergo litigant venditor et emptor, venditor iuret, quod solutionem non acceperit, et tunc sortem suam solum solutam accipiat e pretio, et non sortem permittentis, quia permittens confessus est, quod iamdiu solvit emptor totum pretium; cur enim solutionem ab eo accipiat secunda vice? Neque rursus ipse permittens cum venditore, qui iurat, accipit quidquam, quia confessio eius testatur, quod sine iustitia accipit venditor, scilicet non esse verum eius iuramentum, ut secundo solutionem accipiat.

Et cum venditor ac permittens litigant, venditor similiter iuret, quod nondum ei persolutum sit, et deinde eidem sors eius solvitur, et permittens nihil omnino solutum accipit, neque a venditore neque ab emptore. Et si venditor non iuret, et permittens iuret, quod venditor solutionem accepit, tunc solutionem accipit permittens sortis suae a venditore; et non cessat actio venditoris adversus emptorem, quamvis iuret socius eius, quod solutionem acceperit.

Directio.

Eandem ob causam, cum fatentur venditor et emptor, quod permittens solutionem acceperit totius pretii, et dicit permittens: solutionem habui; tunc emptor non evadit actionem venditoris, quamvis confessus fuerit ipse emptor, quod solverit ipse emptor iamdiu pretium permittenti: nam ius solutionis venditoris est, et non permittentis. Et cum accipit venditor sortem suam e pretio, iuret permittens, quod solutionem non acceperit, et solutionem etiam ipse suae sortis habeat ab emptore: et non recipitur testimonium venditoris contra mandantem, scilicet quod solutionem iamdiu acceperit totius pretii ab emptore, quia is nimirum pro se ipso testatur, ne scilicet in ulla re debitor sit mandanti.

CAPUT XIX.

De tutela (procuratione).
Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis eius.

Quatuor sunt elementa tutelae: illa res, in qua fit tutela: ille, qui constituit tutorem (*procuratorem*): ipse tutor: dictiones tutelae.

Elementum primum.
Et huic sunt tres canones.
Canon primus.

Illa res in qua fit tutela (*procuratio*) capax debet esse commutationis, quemadmodum emptio, venditio, locatio, et anticipata datio pretii, et pigneratio, et satisfactio, et translatio iuris, et vectigal, et fideiussio, et societas, et tutela, et depositum, et negotiatio, et irrigatio, et foenus, et donum, et largitio, et eleemosyna, et benedictio annuli in desponsatione. In his omnibus potest homo constituere tutorem (*procuratorem*, *vicarium*) personam aliam, quae ea adimpleat pro ipso. In illis autem, quae non suscipiunt commutationem, non est rata tutela; quemadmodum in benedictione coronarum, in conviviis, in oratione, et ieiunio, neque etiam in rebus criminosis, ut est direptio, homicidium, et moechia, et raptus. Non potest ergo aliquis constituere tutorem (*vicarium*) alium, qui ieiunet pro ipso, neque qui diripiat pro ipso.

Directio.

In confessione propterea tutela (*procuratio*) non est rata: et quamvis constituatur tutor in iudiciis, et confiteatur, quod debitor sit pecuniae, aut deliquerit, scilicet furatus sit, aut occiderit ille, qui constituit eum; non damnatur constitutor per confessionem tutoris sui: apud aliquos tamen damnatur. Ita et in iis, quae venalia non sunt, non est rata tutela. Ille ergo, qui constituit tutorem socio suo, ut colligat pro ipso ligna ex silva, aut venationem venetur, aut hauriat aquas; ligna quoque, et venatio, atque aqua illius sunt, qui ea collegit, venatus est, hausit; et non illius, qui eum constituit. Ita et in executione sententiae capitalis rata non est tutela, nisi cum fuerit praesens constitutor: scilicet ille, qui quaesivit ultionem fratris sui, qui occisus est, cum constituit tutorem (*vicarium*) alium, qui occidat occisorem fratris sui iussu praesidis, non potest ille tutor (*vicarius*) occidere occisorem, nisi adsit, et videat exquirens vindictam: fortasse

enim cum videbunt oculi eius, parcet, et tristitia affectus dabit veniam, implens mandatum evangelicum, quod ait: dimittite, et dimittetur vobis.

Canon secundus.

Illa res, in qua fit tutela, subiecta debet esse constituenti, eo quod ratum non sit homini constituere tutorem pro venditione servi, quem aliquando empturus est; aut pro solutione debiti pecuniae, antequam mutuatus sit.

Canon tertius.

Illa res, in qua fit tutela, definita esse debet; et definitionis quatuor modos commemoramus.

Modus primus.

Cum aliquis constituit tutorem, et dicit: constitui te tutorem super omnia mea sive pauca, sive multa, rata non est tutela. Et si dicat: constitui te tutorem pro liberatione servorum meorum, et solutione debiti, et reatuum meorum, rata est.

Modus secundus.

Cum dicet: constitui te tutorem, ut emas mihi servum christianum, rata est tutela: et si servum dumtaxat dicat, rata non est, quia fieri potest, ut servum christianum, qui non emitur (*sive venditur*) rursus emat tutor; aut patrem, sive fratrem illius, qui constituit ipsum, emat, et iactura contingat constituenti in eo, quod perdere non vult.

Modus tertius.

Si suscipitur tutela cum confessione, nota debet esse quantitas, pro qua constituitur tutor. Reus ergo primum scire debet, quantum requiratur ab adversario suo, et postea constituat tutorem, qui si confiteatur pro ipso, debitor erit, qui solvat: et ita creditor pro quantitate nota debet constituere tutorem, qui dimittat. Quamvis autem quantitas nota fuerit ei qui dicit: vende servum meum illa re, qua vendidit talis equum suum; si nesciat tutor quantitatem, rata non est tutela, etiamsi sciat constituens.

Modus quartus.

Cum dicet: constitui te tutorem in omnibus controversiis meis, quae habeo cum omnibus adversariis meis, rata est tutela apud nos: at alii dicunt, quod debeat designare adversarios nominatim.

Elementum secundum.

Constituens non debet esse alienae auctoritati subditus: non licet ergo puero et puellae, qui statura perfecti non sunt, neque energumeno, constituere tutorem super res proprias; neque mulier potest constituere tutorem pro desponsatione sua, nisi ut curator eius illam despondeat. Neque servus potest constituere tutorem, nisi iussu domini sui.

Elementum tertium.

Ipse tutor masculus perfectus debet esse. Propterea mulier non constituitur tutrix, neque puer, neque energumenus, neque dissipator, neque decoctor.

Elementum quartum.

Cum dicet constituens: constitui te tutorem, aut concessi, ut facias sic, et sic; si non respondeat ille: constitutus sum, aut consensi, aut recepi ut sim tutor tuus, aut ut agam sic et sic ex parte tua, non est rata tutela. Et si cum audierit, taceat, nec quidquam respondeat, si quidem aliquam actionum earum, in quibus est tutela, gesserit, iam exinde factus est tutor, et debetur ei merces tutelae,

si ei fuerit determinata; et si non respondeat, neque operetur, non est tutor. Et quandocumque recuset tutor, potest cessare. Et cum dicit constituens: constitui te tutorem ab hodierna die, sed ne opereris quidquam usque ad mensem, rata est tutela, et non debet operari; et si quidem antea operetur, potest constituens irritare operationem eius. Et si dicat constituens: tutor meus es, sed tamen te removeo, non confirmatur tutela.

SECTIO II.

De tutela (procuratione) *vera*.

Directio.

Tutela quatuor canonibus nititur: consensu tutoris: fidelitate eius: iure vindicationis eius: administratione eius quamdiu non abrogatur.

Canon primus.

Ille, qui consentit ut sit tutor (*curator*, *vicarius*), aut tutelae simplici et non determinatae consentit, aut tutelae determinatae. Et primi modi sex sunt typi.

Typus primus.

Ille, qui constituitur tutor simpliciter pro venditione, ob suum periculum trepidationemve fere non vendit, vel rem non vendit quae extra pretium, vel pretio minori, quam sit pretium aequale in pondere, neque pretio aequali in pondere, siquidem possit vendere ampliori pretio. Et si quid ex his agat, potest ille, qui constituit ipsum, irritare actionem eius, et hoc quamvis non praecedenter determinaverit, ne operetur quidquam simile; haec enim determinatione non egent. Et siquidem ille, qui constituitur tutor simpliciter, tempore aestatis ut vendat nivem, non potest eam vendere in hieme; neque ille, qui vendere iubetur carbonem, potest aestate illum vendere.

Typus secundus.

Tutor simplex non potest vendere sibi ipsi, ita ut sit idem ipse emptor, et venditor; neque propinquis suis illis, quorum non recipitur testimonium pro ipso. Aliqui dicunt quod si non sine utilitate, aut sine damno vendat suis consanguineis, in potestate eius sit: et manifestum est, quod leges iubent, patrem proprie, ac specialiter vendere per se ipsum res suas. Et si constituat aliquis servum alienum tutorem, ut emat se ipsum a domino suo; siquidem nomine illius, qui constituit eum, confirmet venditori, quod illius, qui constituit eum, fiat servus: si autem nomine suo proprio agat, liberatur, et pretium solum debet illi, qui constituit eum. Et si ipse servus constituat alium tutorem, qui emat ipsum a domino ipsius; si nomine servi confirmet ille emptionem, liberatur servus, et sui ipsius fit. Quod si tutor agat nomine ipsius proprio, non liberatur ille, sed curatoris sui fit servus.

Typus tertius.

Ille, qui constituitur curator simpliciter ad vendendum, si definiatur ei tempus (1), non potest vendere ultra id: at si vero non definiatur, potest vendere usque ad tempus, quod ipsi placuerit, verum cum utilitate. Aliqui dicunt, quod ultra annum vendere nequeat.

(1) In margine legitur *venditio*.

Typus quartus.

Ille, qui constituitur curator simpliciter ad vendendum, non potest tradere rem venalem emptori, nisi postquam tradidit pretium constitutori eius. Ita et ille, qui constituitur curator ad emendum, potest tradere pretium venditori, et recipere rem venalem, et sic deinde illam tradere constitutori suo.

Et ille, qui constituitur curator ad faciendum iudicium cum adversario constitutoris sui, non potest soluta accipere iura: et ille, qui constitutus est ad recipienda iura, potest facere iudicium, eo quod sine iudicio non fiat solutio: et curator emptor, cum non confirmatur venditio, potest repetere pretium a venditore, et non potest relinquere pretium, aut quidpiam pretii illi venditori.

Typus quintus.

Curator simplex cum emit equum vitiosum, quia sit bonum pretium eius, si nesciebat curator emptor vitium, cogitur constitutor eius ad accipiendum equum: et si scivit et emit, potest constitutor eius illum non accipere, quia non concessit, ut vitiosum emeret. Et si non valuit vitiosus pretium suum, et novit curator vitium eius, cum emit eum, non cogitur constitutor eius ad accipiendum eum. Et si non scivit, similiter cogitur constitutor ad recipiendum eum. Quodcumque enim cum detrimento emit aut vendit curator scientia sua, potest constitutor actionem illius irritare; quia in utilitatem, non in detrimentum constituitur. Et curator, cum ipsi innotescit vitium rei venalis, si nondum tradidit eam constitutori suo, potest reddere venditori: et si tradidit eam, absque concessione constitutoris non potest restituere eam, eo quod fieri possit, quod constitutor contentus sit vitio.

Typus sextus.

Curator, qui constituitur simpliciter super administratione speciali, non potest constituere alium curatorem ad eamdem administrationem.

Et si super administrationibus multis constituitur simpliciter, si non possit perficere omnes, potest constituere curatorem super aliquas earum. Quidam tamen dicunt, quod non possit, sed id, quod potest administrare, administret; et id, quod non potest, relinquat. At rata non est haec sententia, eo quod ille, qui constituit eum super omnia, omnia ipse exigit ab eo. Sed fidelem solum potest constituere. Et cum permittitur curatori a principali suo, ut constituat etiam ipse curatorem pro se ipso; constituit ita ut (*non*) removeat eum, scilicet curator primus curatorem secundum: nisi forte principalis permittat, ut removeat eum, quemadmodum permisit, ut constituat eum.

Directio.

Et haec ex modis typi primi. Typi autem modi secundi, idest tutelae definitae, hi sunt.

Typus primus.

Cum dicit principalis curatori: vende rem hanc, aut res meas tali, aut in loco tali, aut nummis, aut denariis, aut *prothesmia* nominata, non potest vendere, nisi eo modo, qui definitus est ei. Cum ergo dicet: vende Abrahamo, non potest vendere Isaaco. Et cum dicet: vende centum, neque vendas (*emas*) pluris, non potest emere (*vendere*) centum et uno.

Et si dicat: eme (*vende*) centum dumtaxat, non potest minus quam centum, et potest vendere pluris, quia bonum praestantius facit, et non repugnat principali suo, qui eum non impedivit, ne venderet pluris. Et ita cum dicet principalis procuratori: eme mihi aedem talem biscentum, si emat centum, firma est emptio, quia negotium utile gessit: at si vetuit ei ne venderet minus, quam biscentum, non potest vendere centum. Et si dicat: vende (*eme*) centum assibus, et vendat centum denariis, etsi negotium utile gesserit, venditio non est firma, quia non ex mandato fecit. Et si dicat: eme centum cum experimento (*vende cum mora, seu habita fide de pretio*), et emat (*vendat*) centum praesente pecunia; aliqui dicunt, veram esse venditionem, quia negotium utile gessit; alii vero dicunt, veram non esse, quia contradixit.

Typus secundus.

Cum dat denarium, et dicit: hoc eme mihi unam ovem; si emat duas oves, quae unius denarii valoris sint, eodem denario, non est vera emptio, neque si unius denarii cum dimidio sint valoris. Si autem duas oves, quarum unaquaeque sola denarium valeat, emat, vera est emptio, quia perfecit mandatum, et superaddidit negotium utile. Et si dicat: vende ovem hanc meam uno denario, ipse autem vendat eam denario, et ove alia, quae denarium valeat, non est vera venditio, quia gratis accipit ipsum denarium tunc: at si ovis illius dimidium vendat denario, et dimidium aliud ove, quae denarium valeat, vera est venditio, quia negotium utile gessit.

Typus tertius.

Si constituatur procurator, ut emat (*vendat*) equum aut mulum mille, ipse autem emat (*vendat*) dimidium eius quatuorcentum, vera est emptio (*venditio*), et principalis non debet recipere dimidium muli; si autem rursus emat (*vendat*) procurator dimidium eius aliud quatuorcentum aliis, ita ut summa sit octingentorum, non potest tunc principalis accipere mulum, quia emptio uniuscuiusque partis eius non est rata: ergo neque emptio totius rata est. Et cum dicit: eme mihi decem oves a tali, non potest emere ab eo, et ab alio: et si illum non nominet, sed dicat: eme mihi oves ab aliquo, aut ab alio, potest quinque ab uno, et quinque ab alio.

Typus quartus.

Cum dicit principalis procuratori: eme mihi res, quarum emptio rata non est in lege, dissolvitur procuratio, et non confirmatur.

Typus quintus.

Procurator in iudiciis non potest contra principalem suum confiteri debitum, neque delictum, neque recipitur testimonium eius favore principalis sui: neque postquam absolvitur a procuratione, recipitur testimonium eius, quia naturaliter inclinatur ad confirmandum verbum suum, quod locutus est, cum procurator esset.

Typus sextus.

Cum constituit aliquis duos procuratores, ut faciant iudicium pro ipso cum suo adversario, non potest unusquisque eorum seorsum ab altero iudicium facere: quemadmodum neque unusquisque eorum seorsum, prae-

terquam ex testamento, curare potest administrationem. Aliqui tamen dicunt, quod harum procurationum diversa sit ratio.

Typus septimus.

Cum dicet: solutum accipe illud, quod est mihi apud *talem*; eum moritur ille *talis*, non potest procurator solutionem eius rei accipere ab heredibus illius. Et sic si dicat: vende triticum, quod pigneravi apud *talem*, si amisit triticum ille *talis*, potest procurator accipere triticum simile illi tritico, et non potest vendere illud, quia triticum primum, et non hoc ultimum, vendere eidem concessit.

Typus octavus.

Cum dat principalis mille nummos procuratori, et dicit: eme mihi his equum; ipse autem cum conditione experimenti emat; si principalis voluerit, non accipit equum. Et si dicat: eum conditione experimenti eme, et postea solve hos mille, qui apud te sunt, pro pretio eius; ipse autem statim solvat pretium eius, et non emat cum experimenti conditione, vera est emptio, et addidit in bonum procurator; nam si apud ipsum mansissent mille, et periissent, principalis iacturam fecisset, et alios mille coactus fuisset praeparare, et solvere pro pretio equi, quia procurator iacturam non patitur, et dum festinans solvit, liberavit principalem ab accidenti damnoso.

Typus nonus.

Si dicat: vende equum meum *tali* mille, et vendat eum bismille, non est rata venditio, quia fieri potest, quod cogitaret lucrari sibi gratiam apud illum emptorem. Et si dicat: vende equum meum mille, et vendat dimidium eius mille, rata est venditio: at si minus, quam mille vendat dimidium eius, non est rata, quia fieri potest, ut dimidium aliud non habeat in promptu alium emptorem ad conficiendum mille. Et si dicat: vende duas oves meas denario, et unam vendat denario; aliqui dicunt, quod iam tum cessat procuratio eius a venditione illius ovis alterius; et aliqui dicunt, quod non. Et si dicat: eme mihi equum mille, et emat mille et amplius, cogitur principalis ad accipiendum eum. Et aliqui dicunt, quod recipiat illum mille, et procurator de suo amittat centum. Et eum contra id quod praecipitur, procurator vendit, cessat venditio, potestque principalis non vendere, neque tradere emptori quidquam rei venalis: et ita si contra ac praecipitur, emit et solvit illico e bonis principalis, cessat emptio; et si cum debito emit, et non confirmat emptionem nomine principalis, ipse procurator cogitur ad recipiendum rem emptam, et non principalis: et si nomine principalis emit, neque ipse cogitur ad recipiendum, neque principalis.

Canon secundus.

Credulitas de fidelitate procuratoris. Ergo si pecuniae dilabuntur, et pereunt in manibus eius, quamdiu non ostendatur, quod fraudulenter egit, non exigit pro eis principalis quicquam, neque procurator detrimentum patitur, quia fidelis est: et si cum exigantur pecuniae ab eo, cuius fidei commissae sunt, is contradicat, tunc non fidelis minister habetur, et fideiussor reputatur illius rei, quod eius fidei concredita fuit; scilicet solvit, quod periit in mani-

bus eius, et quamvis non contradicat, non tamen se excuset, dicens quod non potuerit, aut quod in balneo fuerit, aut convivio; tunc omnis rei, quae periit ex venditione, quaeque exigitur ab eo, et non dederit, habetur fideiussor. Rursus si lucretur sibi, aut possideat utilitatem pecuniarum, quae fidei eius commissae sunt, fit fideiussor. Si vero fraudulenter non egerit, neque contradixerit, et vendat aliquid, ac illius pretium accipiat, quod postea perdat, non habetur fideiussor, neque detrimentum patitur apud suum principalem. Et cum permittitur ipsi procuratori, ut vendat decem, potest vendere novem, et non potest vendere octo, et si vendiderit octo, potest principalis irritare venditionem, si maneat, et rursus accipere rem venalem de manibus emptoris, si maneat: et si perierit in manibus emptoris, cogitur emptor ad solvendum decem, et hic damnum duorum repetat a procuratore. At aliqui dicunt, quod non: sed principalis octo solum exigat ab emptore, et duorum ipse damnum petat a procuratore; et non emptor, et primum ratum est. Et cum vendit aliquid procurator, et relinquit pretium emptori tanquam donum de proprio, ex proprio debet solvere pretium principali suo.

Canon tertius.

Convenientia exactionis (*ius vindicationis*) procuratoris; et in eo sunt typi tres.

Typus primus.

Cum vendidit curator aliquid, et traditum accepit pretium, principalis absque causa exquirit ab emptore, ut solvat: et si non acceperit, sic procuratorem interpellet, ut solvat pretium, et procurator interpellet principalem. Et aliqui dicunt, quod curator non interpellatur ab emptore, quia mediator tantum est, et non venditor: at id probatum non est.

Typus secundus.

Cum vendidit procurator aliquid, accepit pretium, idque periit in manibus eius, cum innotuerit dominus venalis illius rei, et eripuerit ipsam e manibus emptoris, apud nos quidem principalis debet solvere pretium emptori: at apud aliquos procurator debet solvere, quia ipse perdidit; sed hoc ratum non est, quia principalis deliquit, qui rem non suam dedit vendendam: et procurator, quamdiu in dolo non sit, non patitur detrimentum.

Typus tertius.

Cum emit procurator bovem, furto sublatum a fure, et moritur bos apud procuratorem, cum innotescit dominus bovis, a fure illo, qui vendidit, exquirit suum, et non a procuratore, apud quem mortuus est, neque a principali: et si bos vivus sit, bovem suum accipit a procuratore, et procurator exigit pretium a fure.

Canon quartus.

Tribus de causis absolvitur procurator a procuratione.

Causa prima.

Si principalis abroget suum procuratorem, amplius non poterit procurator administrare quidpiam; et si administraverit, administratio eius non erit rata: et quidem si praesenti tempore audivit famam solutionis suae, cessat eius administratio, et non antequam audierit. Aliqui vero dicunt, quod abrogatur etiam, ante-

quam audiat, atque cessent administrationes eius. Certe principalis debet testes adducere super se ipso, quod abrogaverit procuratorem suum: nam sine testibus non recipitur verbum eius de irritatione administrationum procuratoris sui.

Causa secunda.

Ipse procurator quando semet abdicat, absolvitur a sua procuratione, et amplius ratae non erunt administrationes eius: et si renunciet procurationi, et dicat: non sum, neque fui procurator talis; si oblitus, aut ob aliquam causam velit occultare suam procurationem, non absolvitur: at si sciens, neget, absolvitur.

Causa tertia.

Procurator cum energumenus fit, quamvis minimo energumenatu, uti est stoliditas, absolvitur a sua procuratione. Homo cum constituit procuratorem servum suum super negotia sua, si postea liberaverit eum, non cessat procuratio, nisi cum abrogaverit eum.

SECTIO III.

De contentionibus procuratoriis.

Directio.

Tribus modis contendunt procurator, et principalis eius: de procuratione, et modis eius: de administratione: de solutione pretii.

Modus primus.

Cum dicet procurator: constituisti me procuratorem tuum, et dissentiat principalis, dicens: te non constitui; aut dicat procurator: constituisti me, ut venderem totam vineam, et contradicat principalis, dicens: minime, sed dimidium eius. Aut dicat procurator: constituisti me, ut emerem habita fide de pretio, ac dicat principalis; minime, sed cum parato pretio. Et si dicat: constituisti me, ut emerem viginti, et ille neget, dicens: minime, sed decem; in his omnibus verbum principalis recipitur, qui negat.

Directio.

Cum vendit procurator habita fide de pretio, et dissentit principalis, dicens: parato pretio dixi, ut vendas: si extat res venalis resumit ipsam principalis. Si autem dicat emptor, quod non tamquam a procuratore emi, adiuretur, quod nesciret, illum esse procuratorem. Tunc principalis accipiat pretium rei venalis a procuratore, et dum completur *prothesmia*, accipiat procurator id quod perdidit cum damno principalis ab emptore. Et si pretium dilatum maius fuerit quam paratum, excessus non est procuratoris, neque principalis, neque emptoris: et cuiusnam sit, dubitant multi.

Directio.

Cum emit procurator vineam biscentum, si dissentiat principalis, ac dicat: centum dixi tibi, ut emas; si pretio praesenti emit, aut cum dilatione, et scivit venditor, quod procurator esset, potest principalis cessare ab emptione, et restituere venditori vineam: si autem cum dilatione emit, et nescivit venditor quod procurator esset, cum iurabit principalis, quod non concessit procuratori, ut emat biscentum, tunc damnum patitur procurator, et solvit pretium principali, et manet vinea procuratori, neque potest principalis, neque curator illam restituere venditori. Aliqui vero dicunt, quod

procurator non cogatur possidere vineam, quia illam non tamquam sibi ipsi emit. En enim cum dicit aliquis socio suo: emisti a me aedem meam, et neget ille, ac dicat: non emi ipsam; non potest dominus eius ipsam possidere, quia confessus est, quod exiit ab ipso, et non est ipsius. Et si ita, quomodo faciemus? dicimus, quod debet ille, qui iurat, quod non emit, reverti, ac dicere: si emi, en solvo ipsam emptionem; et ita potest dominus aedis dominari aedi. Et si non dicat, aliqui asserunt, quod dominus aedis vendat ipsam, et possideat pretium eius, ipsam autem non possideat. Alii vero dicunt: quod non: sed possideat eam, eo quod negatio emptoris negotium disturbat: ergo venditor potest ipsam pecuniam suam possidere.

Modus secundus.

Cum dicet procurator: vendidi, aut emi, aut liberavi, aut perierunt pecuniae tuae, quae mecum: et neget principalis, ac dicat: non vendidisti, neque liberasti, neque perierunt pecuniae meae, quae tecum; procuratori iuramentum deferimus, eo quod ipse magis sciat actiones sui ipsius. Et ita si dixerit procurator: non mansit tibi mecum quidquam, sed pervenire ad te feci tuum, ipse adiuretur. At si moriatur procurator, non possunt iurare heredes eius, quod non mansit apud ipsum quidquam; sed principalis adiuretur, quod solutum non acceperit proprium. Et si dixerit procurator principali: apparitori tuo tradidi tuum, non recipitur verbum eius: et principalis cum interpellat procuratorem, ut restituat id, quod est apud ipsum, potest non restituere, donec adsint testes, et tum coram eis restituat, ita ut si contingat contentio, neque iuret, neque adiuret. Et cum dicit principalis procuratori: solve debitum, quod est contra me, coram testibus debet solvere. Si autem solvit, et testes non adhibeat, ac neget creditor, et iuret, quod non receperit solutionem, tunc procurator damnum patitur, si cum non adesset principalis, solvit: quod si coram principali solvit, principalis damnum patitur. Et debitor cum fatetur procurationem alicuius constituti, a quo solutionem accipiat, potest non solvere, donec adsint testes, et coram eis solvat: contra ac ille, apud quem sunt facultates alicuius mortui, si fateatur, quod talis vir sit heres illius mortui, et non sit heres alius praeter eum, tunc non potest non tradere heredi illi facultates, quamvis testes non adsint.

Modus tertius.

Cum exigit principalis pretium ab emptore, et dicit procurator: ego solutum accepi ab eo, sed periit pretium de manibus meis, si concesserat ei, ut acciperet solutionem pretii, quando concessit ei, ut venderet, cessat exquisitio eiusdem ab emptore: quod si non concesserat ei, ut acciperet solutionem pretii, principalis ab emptore exigat pretium, et emptor resumat a procuratore id, quod traditum ei fuit, et perdidit. Et cum dicet principalis procuratori: pretium solutum accepisti ab emptore, et ille neget, ac dicat: solutum non accepi; si tum principalis adducat testes, dicat autem procurator, quod solutionem accepi, sed periit pretium de manibus meis, aut tibi detuli; non recipitur

verbum eius, et iuramentum ei non defertur, quia innotuit fraus eius, sed cogitur ad solvendum pretium principali; et quamvis adducat testes, quod periit, aut detulit, non confirmatur ipsius testimonium, eo quod funditus verbum eius deletum fuit per negationem eiusdem: at si constituat testes, postquam negavit se detulisse pretium principali, ratum habetur testimonium, neque amplius detrimentum ullum patitur.

CAPUT XX.

De confessione (adfirmatione).

Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Quatuor sunt elementa confessionis (*adfirmationis*): confessor: is, cui fit confessio: id quod confitemur: dictio.

Elementum primum.

Enimvero quicquid fatetur adversus se ille, qui minor non est, neque energumenus, neque dissipator, neque servus, neque decoctor, neque infirmus, recipitur confessio eius adversus propriam personam, cum possibilis fuerit ei operatio illius rei.

Et puer, cum confitetur aliquid, si dicat: vir factus sum, neque sciantur anni eius, incremento pili pubis probatur. Dissipatoris autem, de pecuniis solum non recipitur confessio eius: in delictis autem, in quibus ipse delinquit, et in remissione delictorum, quae in ipsum committuntur, recipitur. Et mulieris stultae, cum confitetur, se uxorem esse talis, quamdiu non innotescat vir eiusdem alius, cum testibus recipitur verbum eius.

Servus cum fatetur, se occidisse, aut furtum commisisse, occiditur, aut amputatur manus eius; neque potest dominus eius repugnare, dicens: ego quid deliqui, ut perdam pretium servi mei? Et cum fatetur servus, quod perdidit pecunias alicuius, si non confirmatur verbum eius per testes, quos constituet dominus ille pecuniarum, non debet dominus eius solvere quidquam: et si confirmetur verbum eius, debet dominus solvere debitum, quod est contra ipsum: et si concessum ei rursus fuerit, et fateatur se debitorem; cum fit absque confirmatione et testibus, potest non solvere dominus eius. Et de confessione decoctoris supra egimus.

Infirmus cum fatetur iura alieni, quae habebat penes se, recipitur verbum eius: et de iuribus heredum eius non recipitur; scilicet cum filium habuerit, et fateatur, quod omnia, quae habet, fratris sui sunt, aut uxoris suae, non recipitur verbum eius. Et ita cum habuerit fratrem, et fateatur pecunias, quae apud ipsum sunt, uxoris suae esse, et non suas.

Directio.

Cum fatetur infirmus: bona mea uxori meae dedi donum, et ea tradidi illi, antequam aegrotarem, cum sanus essem: aut fratri meo, aut filio patrui mei; aliqui recipiunt verbum eius, aliqui vero non: at ratum est, ut si adsint testes, recipiatur. Et cum fatetur infirmus: hac pecuniae, quae mecum sunt, talis alieni sunt: deinde fateatur: debitor sum alteri; creditor ille nihil accipit, quia

cum confessus est infirmus debitori ipsius creditnm, absque pecuniis fuit. Et si primum fateatur: debitor sum tali: deinde fateatur: pecuniae, quae sunt mecum, sunt talis alieni, atque moriatur; tum creditor ille nihil accipit, quia debitor eius sine pecuniis mortuus est.

Et cum fatetur infirmus debitum, quod absorbeat totam ipsius possessionem, ac moriatur; deinde fateatur heres eius, quod etiam tali aliquid aliud debebat creditor, quod heres confessus est, nihil accipit. Similiter et debitum, quod innovatur post mortem eius, scilicet si effoderit puteum se vivo, et post mortem ipsius ceciderit in eum bos alicuius, ac perierit, dominus bovis nihil accipit, quando nihil superest e creditoribus primis.

Elementum secundum.

Is cui fatetur confessor. Et huic duae sunt definitiones.

Definitio prima.

Ut aequa dictio sit, nam si dicat: debitor sum huic asino, vera non est confessio eius; at si dicat: propter hunc asinum debitor sum mille, vera est confessio eius, et dominus asini solutionem accipit mille. At si dicat: huic servo debitor sum mille, vera est confessio eius, et dominus servi solutionem accipit mille: et si dicat: debitor sum mille infanti, qui est in ventre mulieris talis, si non dixerit, causa legati, aut hereditatis, vera non est confessio eius, eo quod promissionem vacuam tunc denotet confessio eius: et ipse infans, si mortuus nascatur, si causa legati, quod eidem legatum est, adiudicentur ei mille per confessionem, heredes ipsius infantis acquirunt mille. Et si causa hereditatis, neque heredes infantis, neque heredes illius, qui confessus est, sed reliqui heredes illius, qui hereditatem reliquit, acquirunt mille. Et si vivus nascitur, et fuerit plusquam nnus, scilicet gemelli, aequaliter acquirunt, quamvis unus ex eis masculus fuerit, et alia femina. Et infans, qui post annum a confessione nascitur, nihil accipit, quia nondum configuratus fuerat.

Definitio secunda.

Ut mendacem non reddat ille, pro quo confessio fit, confitentem. Itaque cum fatetur aliquis: debitor sum t-li centum, et dicat ille talis: mentiris, et nihil mihi debes, nihil ei datur. Et si redeat, ac dicat: verax es, ego erravi, eum dixi, quod non deberes mihi, recipitur verbum eius, et datur ei aliquid. Si autem confessor redeat et dicat: debitor non sum, erravi, dicens; debitor sum, non recipitur verbum eius.

Elementum tertium.

Id, de quo fit confessio, et hoc ipsum proprium debet esse confessoris, et in manu eius, et sub speciali dominatione ipsius. Et cum dicet aliquis: haec aedes mea est, et nunc talis viri est: non est vera confessio eius, quia eodem tempore pro se, et pro alio illam emittit. Et cum dicet: aedes mea, aut pecuniae meae talis viri sunt, non est vera confessio eius, sed debet dicere: aedes haec, aut pecuniae istae, quae meae sunt, nunc confessus sum, quod mea non sint, sed talis viri. Et cum de re non sua confessionem edit aliquis, haud confessio reputatur verbum eius, sed testimonium. Cum ergo dicet: servus

talis liber est, et non servus; si non recipitur testimonium eius, potest rursus emere eum, quia tamquam is, qui e servitute vult liberare eum, liberum emit: et quomodo rursus subiiciet eum servituti? Et si dicat: talis vir rapiendo rapuit servum, qui est penes ipsum, et non est ipsius proprius, sed alterius, non potest emere eum, eo quod non adsit hic scopus liberandis servi illius e servitute.

Elementum quartum.

Dictio: cum fatetur aliquis: talis vir habet adversus me creditum, vel penes me centum, debet solvere. Quod si creditor dicat: creditor sum tui centum, ipse autem dicat: appende ea; aut accipe illa; aut, fieri potest, aut, non; aut, forsan; aut, fortasse; aut, opinor; non debet solvere: nam fieri potest, quod iracundia percitus, aut per ironiam, aut irridens dixerit haec. At si dicat: utique; aut, verax es; aut, creditor es; aut, fateor; debet solvere. Et cum dicet creditor: non sum creditor tui mille; ipse autem dicat, amen; aliqui dicunt, quod confessus sit se debitorem; alii vero, quod non; sed quod verbum creditoris confirmaverit, quasi dicens: utique veritatem dicis, quod mei creditor non sis.

SECTIO II.

De terminis indefinitis.

Directio.

Multi sunt termini indefiniti sensus, qui in confessione usurpantur, sed novem tantum necesse est commemorate in loco hoc.

I.

Cum fatetur aliquis: est tali viro creditum aliquid adversus me; interrogetur ab episcopo, quid sit hoc aliquod. Itaque si dicat nummum unum, aut denarium unum, aut placentam unam panis, recipitur verbum eius: si autem dicat: unum granum tritici, aut hordei, aut quidpiam simile, non recipitur verbum eius: sed exactor interrogetur, quanti sit creditor adversus illum; et si dicet, usque ad mille nummos; si neget ille, qui confessus est, quod deberet aliquid, non iam ipse iurat, quia innotuit dolus eius, eo quod confessus sit, quod ei aliquid deberet, et postea abscondit illud, et declaravit, quod licet aliquid esset, tamen nullius momenti videretur: superest igitur, ut exactor iuret, et solutionem accipiat.

II.

Cum fatetur: rapui a tali aliquid, et ubi interrogatur, quid? dicat animam eius, aut mentem eius, aut cor eius, haud ratum habetur verbum eius: et si dicat: habet aliquid penes me, uti ille, qui fatetur, habet aliquod creditum adversum me talis, existimatur.

III.

Cum fatetur: debeo facultates tali, quamvis in pecunia, aut auro, aut in animalium possessione, aut in vestimentis, aut in melle, aut unguento, aut vino illas declaret consistere, recipitur verbum eius; nam facultates non illa solum, quae iugulantur, vocantur: super fundos autem et hortos, et domos non cadit nomen facultatum. Nomen vero proventuum super omnia cadit. Et si dicat: facultates ingentes debeo tali, vel eiusdem sunt apud me; aliqui dicunt, quod in summa minore biscentum nummorum non recipitur verbum eius, si declaret eas.

IV.

Si dicat : debeo tali magis, quam ille debet tali, aut magis quam sit in manibus talis, recipitur verbum eius, et illi interrogabuntur.

V.

Et cum dicet : debeo tali nummos circiter; si eos declaret esse duos, recipitur verbum eius. At si dicat : circiter duos nummos; non recipitur verbum eius, nisi declaret eos esse ampliore numero.

VI.

Cum dicet : sunt ei penes me mille, et nummi, unius nummi debitor habetur; et de mille interrogetur, quid sint. Et ita si dicat : quinque, et decem nummi; decem nummi rati habentur, et de quinque interrogetur. Contra vero si dicat, quindecim nummi; non interrogatur tunc de quinque, quid sint: et de viginti, et quinque divisae sunt opiniones an quinque et decem similis sit locutio, ac decem et quinque; et iuxta disquisitionem veram opinio prima vera est; at iuxta morem sermonis, secunda.

VII.

Cum dicet : debeo illi nummum : ipse nummus minus quam sex quadrantes non reputatur, videlicet decem nummi septem sicli, et iuxta morem conversationis localis declaratur utrum probati sint an viles. Certe nummi per quadrantes, aut scemune (*quadrantis genus*), aut obolos non explicantur : videlicet, si quis confiteatur : illi debitor sum decem nummorum : interrogatus dicat : debitor illi sum quadrantium, et quadrantes fabricavi nummos. Et cum dicet : illi debeo centum nummos in numero : centum nummos in statera debet solvere, et non centum, qui non ponderant centum: et si quinquaginta numero, qui ponderent centum, solvat, nisi velit creditor, non recipit. Et si dicat : debeo ei ab uno usque ad decem, decem solvit, et non octo, quemadmodum aliqui inique iudicant, scilicet ambos fines non concludentes.

VIII.

Termini supellectilium. Et hic sunt quatuor typi.

Typus primus.

Cum dicet : est ei apud me oleum in cornu, aut farina in olla, aut butyrum in lagena, aut ensis in vagina, aut mel in amphora, aut vinum in torculari, aut asinus in stabulo, aut servus in cuius capite est linteolum, aut equus super cuius dorsum est ephippium; cornu, aut olla, aut lagena, aut vagina, aut amphora, aut torcular, aut stabulum, aut linteolum, aut ephippium non debet tradere, quia materias solum, se debere confessus est. Et cum dicet : est ei apud me cornu, in quo est oleum, aut vagina, in qua est ensis, cornu, et vaginam solum debet : et ita alia. Et cum dicet : est ei apud me annulus, et elaboret, incidatque, ut sigillum ex eo educat, non liberatur, sed etiam sigillum eius expetitur : et cum dicet: est ei penes me asina, quae fert pullum in ventre, etiam pullus domini est asinae. Contra si dicat: est ei apud me sigillum in annulo, aut pullus in ventre asinae : heic enim sigillum absque annulo, et pullus absque asina.

Typus secundus.

Cum dicet : sunt ei apud me mille nummi in hac pera, peram non debet : et si non fuerint in ea num-

mi, debet solvere mille nummos: et si fuerint in ea minus, quam mille, non debet supplere eos, sed id, quod est in ea, solvere debet: at si dicat: mille, quae in hac pera; debet supplere, si minus sint.

Typus tertius.

Cum dicet: sunt tali in hoc servo meo mille nummi, interrogetur ab episcopo, qualiter; et si dicat: illum appendisse in pretio eius mille; iterum interrogetur: tu quantum appendisti? et si dicat: mille, tunc ipse servus inter ambos erit, et dimidium pretii eius sive mille, sive plus, sive minus, debetur unicuique eorum. Et si dicat: deliquit in ipsum delictum servus meus, quantum mille valent; mille debet solvere, aut servo privetur.

Typus quartus.

Cum dicet: sunt ei in his facultatibus, quae mecum sunt, aut in hereditate patris mei mille nummi, mille debet solvere illi, cuius in favorem confessus est. Et si dicat: sunt ei in facultatibus meis, aut ex hereditate patris mei mille, non debet solvere quidpiam, eo quod fieri possit, quod promittat ei donum, et potest non dare.

IX.

Cum dicet: est ei penes me nummus, unum solum nummum debet: et si nummum et nummum et nummum dicat; aut nummum, et duos nummos, tres nummos debet.

Et si dicat: nummum, deinde nummum; duos nummos debet.

Et si dicat: nummum infra nummum, aut supra nummum, aut infra eum nummum, aut supra eum nummum, unum solum nummum debet: et si nummum cum nummo, aut cum ipso nummum, duos nummos debet.

Et si dicat: nummum sane, nummum debet.

Et si dicat: duos sane nummos, duos tantum debet.

Et si dicat: nummum sane denarium, nummum, et denarium debet.

Et cum confitetur die parasceves: sunt apud me tali mille nummi: et confiteatur rursus die sabbati: sunt apud me tali mille nummi; mille tantum debet solvere.

Verum si secernat ambas causas amborum millium, tunc duo millia debet.

Et ita quamvis duo testes testificentur adversus eum, quod die sabbati confessus est mille pro tali: et duo testes alii testificentur adversus eum, quod die dominica rursus mille ipsi illi tali confessus est debere, mille solum debet, quamvis die dominica syriace confessus sit mille, et die alia lingua alia, puta armenice aut persice.

SECTIO III.

De non consensu verborum confessionis.

Directio.

Verba, quae non consentiunt, illa quae destruunt invicem, vocamus: et ipsa destructio aut totalis est, aut partialis. Et totalis quidem septem sunt modi.

Modus primus.

Cum fatetur: sunt contra me mille tali ex mercede fornicationis, nihil omnino debet; eo quod sicut fornicatio illegitima est, merces quoque

eius magis est irregularis. Et si dicat: sunt tali mille, si vult Deus; similiter nihil debet, eo quod similis sit illi, qui dicit: fortasse tali sunt contra me. Et si dicat: sunt tali contra me mille nummi, cum erit principium mensis; aut cum erit initium mensis, sunt ei contra me mille; si ostendat, quod spatium intermedium *prothesmia* sit, debet; alias non. Et ita si dicat: sunt tali contra me mille; si velit, non debet, eo quod promissioni simile est verbum eius.

Modus secundus.

Cum dicet: sunt tali contra me mille, sed non iure: aut sunt ei contra me mille, verum solvi ei: et deinde si possit ostendere, quod absque iure fuerint, aut quod iamdiu solverit; tunc resumit ea mille, quae dederit.

Modus tertius.

Cum dicet: sunt tali supra me mille cum *prothesmia*; aut sunt ei mille ex pretio aedis; si tradet mihi aedem, tradam ei mille, recipitur verbum eius.

Modus quartus.

Si dicat: sunt tali contra me mille, et cum praeparat mille, ut det illi tali, dicat, quod depositum fuit apud me; potest ille talis dicere, quod mille, quae dixisti mihi esse contra te, diversa sint a mille his depositi. Et si dicat: sunt contra me tali mille, et cum praeparat ipsa, dicat, quod depositum fuerit contra se, recipitur verbum eius, et non potest ille talis dicere: mille, quae confessus es mihi esse contra te, alia sunt a mille istis depositi.

Modus quintus.

Si dicat dominus aedis alicui: haec aedes tibi est, ut habites in ea: potest dominus aedis educere illum ex aede, quandocunque voluerit. Et ita si dicat: tibi data est, potest illum educere, cum vult: et donum, quod non tradidit, simile facere confessioni suae.

Modus sextus.

Cum dicet: pigneravi et tradidi, aut dedi et tradidi, deinde dicat quod solo sermone dixi quod tradiderim, cum actu non tradidissem, adversarius eius, si litiget, iuret, quod etiam actu tradiderit, et deinde ipsius fiet illa res, et rata habebitur. Et ita, quamvis testes adducat pro se, quod tradiderit, potest ille dicere: actu non tradidi, et adiuretur collitigator eius. Et manifestum est, quod ille, qui non novit syriacum sermonem, et fateatur syriace, quod tradidi, potest dicere: nescivi, quid dixi, et actu non tradidi.

Modus septimus.

Dum dicet: hic annulus Abrahami est: deinde dicat: non, sed Isaaci est; si tradat illum Abrahamo, non est Isaaco cum ipso verbum: sed si Isaac, confirmaverit, annulum suum esse, eum accipiet de manibus Abrahami. Et ita si dicat: rapui annulum ab Abrahamo, sed Isaaci est; aut dicat: Isaaci est, sed rapui eum ab Abrahamo, nihil debet Isaaco, sed Isaac ad Abrahamo illum sumat.

Directio.

Destructionis autem partialis sunt hi modi tres.

Modus primus.

Cum dicet: sunt ei decem minus novem: unum tantum debetur. Et cum dicet: sunt ei contra me decem, minus decem, non recipitur verbum eius, eo quod irrationale sit, sed decem debet solvere.

Modus secundus.

Cum dicet : sunt ei contra me mille nummi, minus uno minuto, uti illius, cuius pretium imminutum est uno minuto, recipitur verbum eius. At pretium minuti diminuti e mille nummis debet ponere. Et si mille aut amplius ponat pretium eius, etiam mille, quae imminuta non sint, debet solvere.

Modus tertius.

Cum dicet: haec aedes talis viri est, praeter unam domum e domibus eius; aut hic annulus talis viri est, praeter sigillum eius; aut hi boves decem talis viri sunt, praeter unum, recipitur verbum eius : et debet ostendere illum unum, qui non est illius talis : et si antequam ostendat eum, moriantur novem, et unus maneat, potest dicere : de hoc dixi, quod ipsius non erat, et recipitur verbum eius.

CAPUT XXI.

De deposito.

In eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis, et canonibus eius.

Directio.

Quatuor sunt elementa depositi : ponens; receptor; ipsum depositum; dictio. Et illud quidem, quod ponitur, dicitur depositum : suscipiens debet invigilare custodiae, ponens autem ac susceptor, uti principalis et procurator debent esse; nam susceptor procurator est, qui constituitur ad custodiam depositi. Itaque ille, qui accipit depositum a puerulo, si pereat apud ipsum, solvit : nonnulli vero dicunt, quod si timet, ne perdat ipsum puer, et accipiat ipsum ab eo, et casu perierit, non solvit, eo quod instar illius sit, qui liberat ovem a lupo : et manifestum est, quod si perierit apud ipsum aliquid, non solvit. Et cum apud puerum parvum ponet aliquis depositum, et illud perdat puer ille, secundum aliquos, solvit puer ille, at secundum aliquos, non; et secundum ratum est. Et cum apud servum perfectum statura ponet aliquis depositum, et is perdat ipsum, non potest ponens vendere servum, et solutionem proprii accipere, neque damnum inferre domino eius; sed pretium depositi debitum manet infixum servo, ut si liberetur, solvat.

Dictio autem est illa, qua dicit ponens : custodi has facultates, aut deposui eas apud te, aut posui, aut tradidi : et cum sumit depositum susceptor, iam exinde accepit ipsum, et si surgat, et relinquat ipsum, non accepit illud : et si ponens primum surgat, et relinquat ipsum ante susceptorem, non confirmatur depositum.

Directio.

Et canones depositi sunt hi. Cum forte ponens, aut susceptor energumenus fit, aut moritur, non amplius confirmatur depositum, sed cessat; et potest susceptor, vel etiam debet, ipsum conservare : si tamen absque negligentia eius perit, non solvit : et quotiescumque petit ipsum ponens, debet concedere, ut illud sumat.

SECTIO II.

De causis octo, quae obligant susceptorem ad solutionem.

Causa prima.

Ille, qui accepit depositum, non

potest ipse illud commendare apud alium absque causa necessaria; et si commendaverit, et perierit apud illum, debet ipse susceptor primus solvere ponenti pretium depositi. Si autem causa necessaria vocat, videlicet si in promptu ei sit iter, et velit domino suo reddere depositum, et si non possit, episcopo commendet, et si nequeat, alicui viro fideli, cum quidem unum ex his facit, non debet solvere, si pereat: et si neque apud aliquem fidelem possit ipsum deponere, apud hominem non fidelem deponat ipsum, aut relinquat, quomodo est; et non solvit, si pereat, propter necessitatem. Nonnulli vero dicunt, quod non possit ipsum commendare homini non fideli, neque ipsum relinquere, sed iter suum deserat, et sedeat ad eiusdem custodiam; aut in se suscipiat, quod si pereat, solvet, et deinde ipso relicto adgrediatur iter suum. Et manifestum est, quod si possit ipsum restituere domino ipsius, et omittat, et apud episcopum deponat illud, si pereat, solvit: et ita si possit episcopo commendare ipsum, et homini fideli ipsum commendet, si pereat, solvit.

Causa secunda.

Susceptor depositi cum vult iter adgredi, non potest sumere depositum secum in via: et si sumat secum, ac perit, debet solvere. At si causa necessaria vocet, ut sumat ipsum secum, videlicet incendium loci, in quo est, aut captivitas, potest ipsum sumere secum, cum fugit, et si pereat, non solvit. Et cum adest rursus hora obitus ipsius susceptoris, debet illud commendare episcopo, aut cuidam fideli, aut mandet heredi suo, et quidem cum testibus. Quod si unum ex his non faciat, et moriatur de repente, neque dicat quidquam, si non inveniatur depositum illud inter facultates eius, ex facultatibus eius solutionem accipit ponens, postquam iuramentum ediderit. Et similiter si non fideli mandet, ut accipiat depositum, si pereat, facultates mortui solvunt. Et si fideli mandet, et non inveniatur depositum inter facultates mortui, non solvunt possessiones mortui, quamvis fieri possit, quod perierit depositum ante mortem eius. Et si mandet, quod est apud me minutum unum talis viri, et non designet ipsum minutum, et inveniantur apud minuta, verbum ponentis recipitur, quale sit minutum eius, dum iuret. Et cum non mandat quidquam ille qui moritur, et post mortem eius invenitur inter facultates eius loculus signatus, in quo scriptum sit: depositum est talis viri: non debet, prout libuerit, accipere loculum ille, cuius nomen superscriptum est, eo quod fieri possit, quod ob aliquam causam scripserit ille, qui obiit, nomen alieni super facultates suas, aut postquam possedit eum, et suus factus est loculus modo aliquo emptionis, et venditionis, neglexerit, neque deleverit nomen illius, cuius proprius ab antiquo fuit.

Causa tertia.

Et cum transfert susceptor depositum ab oppido suo in aliud oppidum, si perit, solvit: et si ab oppido alieno in proprium transferat illud, et in via perit, similiter solvit. Et si in oppido proprio perit, et oppidum proprium fuerit magis munitum, quam oppidum, in quo depositum fuit,

non solvit, quia bonum addidit: et si non fuerit magis munitum, quam illud, et instar illius fuerit, solvit. Et si e domo aliqua, quae in aede sua, in domum aliam similem, aut superiorem in eadem aede sua transferat ipsum, et pereat, solvit. Et si in domum inferiorem, aut illa minus munitam transferat ipsum, solvit. Potissimum si admonuit eum ponens: in hac domo custodi illud, et ipse mutavit, si perit, solvit. Et dum e domo in aliam domum aequalem priori dum ea munitur transferat ipsum, si cadit domus secunda, et perit depositum, susceptor debet solvere. At si ob aliam causam perit, non solvit. Et ita cum admonet ponens, dicens: custodi depositum in hac domo, et ne inducas in ipsam aliquem: si introduxerit, et pereat causa illius qui ingressus est, solvit; et si non causa illius, non solvit. Et ita ille, qui conducit animal, ut insideat, cum ligat ipsum in stabulo, et moritur, non solvit: at si stabulum cadat super ipsum, et moriatur, solvit. Et cum monet ponens, dicens: custodi ipsum in hac domo, et ne transferas in aliam: si causa accidat necessaria, et transferat ipsum, ac pereat, solvit. Nonnulli vero dicunt, quod ob causam necessariam, puta captivitatis, debeat susceptor transferre ipsum, et hoc quamvis iussus fuerit, ne ipsum transferat; et si pereat, solvat, an non, dissident sententiae: et si e loculo ad loculum alium transferat ipsum susceptor, et ambo loculi ponentis sint, si perit, non solvit. At non potest solvere signa et sigilla ponentis, si fuerit signatum, et sigillatum depositum. Et si susceptoris fuerint loculi, uti de domibus eius, iudicium circa illos fit. Et causa necessaria, si manifesta sit cuilibet, recipitur verbum susceptoris: secus vero verbum ponentis recipitur, cum dicet, non fuisse necessitatem.

Causa quarta.

Negligentia. Cum ergo suscipit aliquis depositum animal, et negligit, nec illud pascit, neque potat, si pereat, solvit. Et si datum ei non fuerit, ubi ipsum reponat, aut pretium eius, episcopo significet, ut mutuum accipiat a domino animalis, et det, ut pascat ipsum. Et si non possit, ipse susceptor de proprio pascat ipsum, et compensetur a domino eius, cum opportunum fuerit. Et si neque sic fieri possit, neque episcopus adsit, potest vendere partem ipsius animalis, et nutrire ipsum, ne moriatur. Et susceptor si de illis est, qui non erubescat servire animalibus, non potest mandare ministro suo ut ipsum nutriat, aut potet; et si mandaverit, ac perierit, solvit. Et si clades, ac captivitas fuerit, et educat ipsum, ut potet, ac pereat, solvit. Oportet enim, ut ubi est ipsum illud, potet. Et stragula lanea, quae solent corrodi a tinea et carie, si neglexerit susceptor, et non extendat ea, fit fideiussor: et si cessat nocumentum tineae, cum induit ipsa, potest inducere illa.

Causa quinta.

Cum induerit supellectilem absque necessitate, et insederit super animal, solvit: et si acceperit nummos commendatos sibi, ceu ad subveniendum suae indigentiae per eos, licet non subveniat, cum pereunt, solvit. Quamvis autem solvat tantummodo sigilla loculi, si pereat id, quod est in eo,

solvit. Et cum eduxerit rursus animal, ut insideat super ipsum, quamvis non insederit, si illud pereat, solvit. Et cum perdit partem depositi, pretium illius partis solum, quam perdidit, solvit, et non pretium totius, siquidem separabiles sint partes: si antem continuae fuerint, veluti siquis amputet fragmentum e stragulo, aut aurem ex animali, si per errorem fecit, pretium rei, qnam amputavit, solum solvit: at si scienter fecit, pretium totius straguli et totius animalis solvit.

Causa sexta.

Custodia sarcinarum ponentis. Itaque cum tradet arcam, et dicet: ne dormias super eam; si dormierit, et perierit ex ea quidqnam, solvit; eo quod dormitione sua pellexit latronem ad furandum per aperitionem, si declinet; aut per aditum, qui est in medio eius, si non declinet. Et ita si cum tradidit nummos, dixit: liga eos in manica tua; ipse autem apprehendit eos manu sua, deinde direptionem passus est, non solvit quia custodia manus est fortior causa adversus direptionem. At si obdormiüt, aut oblitus est, et depositum periit, solvit, quia ligatio in manica est magis cauta. Et si dum ligavit eos in manica sua, forinsecus fecit ligamen, solvit, quia id desiderabile est raptori: et si intrinsecus fecit ligâmen, et soluta est coniunctio eius, ac periit, solvit, quia abscondit ipsum e conspectu oculorum suorum, cum intrinsecus alligavit illud.

Cum annulum tradit aliquis, et ipsum ponit susceptor in digito suo minimo, si perit, solvit, quia eo usus est quantum iuxta eius naturam fieri poterat. Et si in digito alio ponat ipsum, non solvit, quia ceu ad custodiam, minime vero ceu ad ornâmentum illo usus est. At si angustus fuerit ad reliquos digitos, tunc fieri potest, ut tanquam ad custodiam, et non tanquam ad ornatum posuerit ipsum in digito suo minimo.

Causa septima.

Est amissio. Et huic tres sunt typi.

Typus primus.

Si proiicit depositum susceptor in locum non cautum, solvit, cum perit. Et ita si dat signa latroni, ut furetur ipsum. Et similiter si notum fecerit oppressori alicui, ut opprimat dominum depositi, quo accipiat, et det. Contra ille, qui non accepit depositum, si indicaverit oppressori, ut opprimat aliquem, non solvit, sed solum a Deo (cuius gratiae laus) damnatur.

Typus secundus.

Cum tradet mulier marito suo torquem, ut tradat eum ad conflandum, ipse autem tradens obliviscatur, cuinam tradiderit, si non adhibuit testes, cum tradidit eum ad conflandum, solvit: et si testes adhibuit, non solvit: et hoc quamvis testes quoque obliti fuerint, cuinam tradiderit.

Typus tertius.

Cum necessitate adigitur aliquis ab oppressore, ut tradat ei depositum, quod est apud se, si possit non tradere abscondendo ipsum, et non abscondit sed tradit, solvit: et si non possit, non solvit. Et si dum abscondit, adiuret eum oppressor, quod apud ipsum nihil omnino sit: aliqui dicunt, quod iuret, et non tradat: et ius expiationis iuramenti sui falsi supra dominum depositi sit: at id ratum non est.

Causa octava.

Cum negat susceptor, et dicit: nihil est apud me: si dominus depositi ille sit, qui interrogat eum, et testes adducat, quod deposuit, solvit susceptor; etiamsi perierit depositum ob eam causam ob quam non solvisset, etiamsi non negasset. Et si non sit dominus ille, qui interrogat, et negavit, non solvit. Si periit, non petit ponens, sed interrogat solum, dicens: o pater mi, est mihi depositum apud te, an non? ipse autem nihil respondeat, sed taceat; aliqui dicunt, quod non; et hoc probatum est, eo quod fieri possit, quod oblitus fuerit, et recogitaret, dum silebat. Et cum negat susceptor, si ponens non habeat testes, iuret susceptor, ut eximatur. Si autem adfuerint testes, et dicat: fuerat apud me, sed restitui ipsum tibi: si non habeat testes, quod restituerit, ponens iuret, quod non restituerit, et solutum accipiat proprium. Et si dixerit susceptor ponenti: nihil habes apud me, neque unquam tradidisti mihi; si confirmat ponens, quod tradiderit, dicat susceptor: tradidisti, sed periit, non recipitur verbum eius, ne si iuraverit quidem, sed solvit. At si solum dicat: non est tibi apud me, et non addat, quod commendssti, si dicat, illud periit, adiuretur.

SECTIO III.

De restitutione depositi.

Directio.

Cum fuerit custoditum depositum, ac petit illud ponens, debet susceptor ipsum restituere: et si non fuerit causa necessaria, quae impediat eum, et non restituat, solvit, cum perit. At cum nocte petat ipsum, et non possit surgere, ac dare, non solvit, si pereat. Si autem in balneo fuerit, aut mensae accumbat, et non festinet surgere ac restituere, solvit, cum perit. Et ita si procuratorem constituat ponens, et dicat: huic trade, debet tradere: et si non tradiderit, et pereat, solvit. Et si cum petierit ipsum, dicat, quod periit, admittitur sermo eius, cum iurat, si ex causa occulta dicat, quod periit: at si ex causa manifesta, puta incendio, aut captivitate, ne adiuretur, sed confirmet incendium, aut captivitatem, quia potest ipse, cum permittit ponens depositi, hoc deponere apud alium, cum vult proficisci, et deponere. Deinde dicat susceptor secundus, quod periit. Si autem scienter et nominatim dixit ponens primus susceptori, quod apud talem deposuerit, debet ponens credere verbo eius, et iuramento eiusdem: et si indefinite dixit: quod deposuit apud quemdam, et non nominavit hominem, non debet credere verbo eius, et iuramento eius: sed susceptor primus debet credere ei, et restituere ponenti domino depositi, idest solvere ei.

Directio.

Cum fuerit depositum apud aliquem, et accedant duo homines, et dicant singuli: ego deposui ipsum apud te, et meum est: ipse vero dicat: nescio, quisnam ex vobis duobus sit: si confiteantur, quod nesciat, non manet eis cum ipso verbum; sed ipsum depositum apud eum maneat, donec comprobent illi iudicium suum invicem. Et si non confiteantur, quod nesciat, iuret ambobus unum iuramen-

tum, quod nesciat, et liberabitur: et si non iuret, quisque illorum duorum, iuret quod proprium sit: et tunc susceptor debet damnum pati iuxta pretium depositi. Et sit unicuique illorum duorum, dimidium depositi, et dimidium pretii.

CAPUT XXII.

De datione usus.

Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis, et canonibus eius.

Directio.

Usumfructum dicimus illum, cum quis dat socio suo rem aliquam, ut ea utatur, et lucretur, et deinde illam ei restituat. Elementa autem eius quatuor sunt. Dans: accipiens: ipsa res: dictio.

Elementum primum.

Dans debet habere dominium super usu rei, quam dat, et non debet esse prohibitus ab administratione ob minorem aetatem, aut quia energumenus, aut ob servitutem, aut quia decoctor.

Elementum secundum.

Accipiens: qui dignus debet esse administratione bonorum, quae ipsi creduntur: et cum accipit, non potest ipse quoque alteri dare, eo quod illi, qui ad convivium invitatur, similis sit, qui non potest alium invitare.

Elementum tertium.

Res, quae datur ad usum ex iis, quae utiles sunt custodienti, debet esse, uti animal, super quod insidetur, aut tunica, quam induit aliquis: et propter hoc pulmenta varia, aut placentas dari ad usumfructum, ratum non est. Et ipse ususfructus legitimus esse debet, et propter hoc ratum non est, ut quis det filiam suam, aut ancillam suam ad usumfructum communicationis cum pacto, ut resumat eam.

Elementum quartum.

Dictio est ceu si dicat dans: dedi, ut usufruaris; aut: accipe, utere, fruere. Et si dicat: do tibi asinum meum, ut usufruaris, sicuti dabis mihi tu equum tuum, quo usufruar, non est ratus ususfructus: neque fideiubet aliquis ex eis socio suo quidpiam, si pereat apud ipsum res, quam accepit. Et cum dicet aliquis alteri: lava mihi hoc linteum, tamquam ille, qui petit sibi ipsi usum loturae: et cum lavat, si ex iis fuerit, qui exercent cum mercede, debetur ei merces.

SECTIO II.

De canonibus ususfructus.

Directio.

Canones autem eius tres sunt: fideiussio: datio potestatis ad usum: convenientia reditus.

Canon primus.

Omnis quidem, qui petit rem aliquam, ut lucretur per usum eius, et deinde restituat eam, si perit res illa apud eum, fideiubendo fideiubet pro ea, et pretium eius solvit domino eius. Pretium autem, quod est in die, qua perit, debet solvere, minime vero pretium eius in die, qua accepit eam. Et ille, qui rem conduxit, potest eam dare ad usumfructum: et si apud illum, qui accepit eam, pereat; aliqui dicunt, quod acceptor non solvat quidquam, quia neque ille, qui eam de-

dit ipsi, solvit domino eius, eo quod conduxit: et ille, qui accipit donum usus a raptu (*raptore*) si perdit, solvit. Et ille, qui ipse sponte insidere facit hominem super animal suum, si pereat, non solvit ille, qui insedit, quia haudquaquam petiit ipse, ut insideret: petitio siquidem debet praecedere dationem usus, et deinde confirmatur fideiussio; et dominus animalis, cum insederit post eum alius, ac moritur animal, si antea petierit ille, qui insedit post ipsum, dimidium pretium eius solvit; secus minime: et ille, qui ponit depositi more indumentum apud aliquem, et dicit ei: si volueris, indue ipsum: si dum induit, pereat, solvit.

Canon secundus.

Usus notus debet esse, et determinatus, ad quem scilicet datur potestas; nam ille, qui dat terram suam ad usum, et dicit: semina in ea triticum, potest accipiens seminare triticum, et potest seminare aliud a tritico, verum aliquid, quod minus, quam triticum noceat terrae, non autem potest seminare, quod amplius, quam triticum, noceat. Si autem usum non nominaverit, sed dixerit: utere ea; potest accipiens, prout voluerit, seminare, aut plantare, aut aedificare.

Canon tertius.

Ille, qui dat rem ad usumfructum, quoties voluerit, poterit resumere illam. Qui dat terram in sepulturam, non potest perfodere sepulchrum: et ille, qui dat parietem suum, ut ponat vicinus eius pontem suum super illum, quamdiu non ruit tectum vicini sui, non potest tollere pontem: et ille, qui dat terram suam ad usum aedificii, aut plantationis, potest recipere terram suam, sed non potest destruere, aut eradicare aedificium, aut plantationem, quae sua licentia steterunt, sed unum ex tribus seligat sibi; aut relinquat aedificium, et plantationem, et accipiat mercedem terrae suae: aut solvat pretium eorum, et ea sibi acquirat: aut destruat, et eradicet, et solvat damnum eius, qui aedificavit, et plantavit. Et ipsa electio domini terrae voluntati relinquitur. Ille, qui dat terram suam ad usum aedificii, aut plantationis, etiam viam ingressus dando dat, et hoc quamvis non nominet: et eum paciscitur dans, quod uno tantum anno do tibi terram meam, ut ea utaris, ut volueris, plantes, aut aedifices, et post annum destruas et eradices, ita ut mihi damnum non inferas, ratum est pactum. Et ille, qui dat terram suam ad usum seminationis, potest dicere: dedi, et nunc non amplius do; verum non potest eradicare semen ante tempus messis, sed relinquat illud cum mercede. Et accipiens cum destruit aedificium suum, aut eradicat plantam suam, debet complanare terram, eamque tradere, uti accepit. Et aliqui dicunt, quod non debet. Et si inundatio deferat ossiculum fructuum ex terra aliena, idque in solo condatur, atque germinet, fiatque arbor, potest dominus soli eradicare arborem, quin damnificet dominum ossiculi. Et ita ille, in cuius terra plantat alius plantam, aut aedificat aedificium absque eius iussu, potest eradicare, et destruere, quin damnificet: et eum iussu vicini sui educit aliquis domicilia occulta extra parietem in aërem, non possunt alii destruere illa; alioquin

damnum patiuntur pretii eorum favore domini ipsorum.

SECTIO III.

Quomodo decidatur controversia inter duas partes *.

Directio.

Tres sunt typi decisionis controversiae in usufructu.

Typus primus.

Siquando dicat ille, qui insidet super animal domino eius, quod per modum ususfructus sedere me fecisti; dominus autem eius dicat: minime, sed locando locavi tibi; dominum animalis adiuramus, quod non ad usumfructum tradidit ei ipsum, eo quod animal ut plurimum ad usumfructum datur, quo super ipsum insideatur: et non ita terra seminatur.

Typus secundus.

Cum dicet dominus animalis: rapuisti ipsum a me: ipse autem dicat: mercede conduxi ipsum a te; eum, qui sedet, adiuramus, quod non rapuerit, eo quod destructio opinionis de raptu, magis decet, quam confirmatio eius.

Typus tertius.

Cum dicet ille, qui sedet: locasti mihi, veluti qui non fideiubeat, si perit; si pergat eo uti ad commoditatem suam, et non possit dominus eius sumere ipsum ab eo, quale est; et dicat dominus eius, quod non; sed ad usumfructum sedere te feci: dominum eius adiuramus, eique tradimus animal ipsius.

CAPUT XXIII.

De donatione.

In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Tria sunt elementa donationis: dictio: donatio: traditio.

Elementum primum.

Cum dat donator, debet dicere: dedi: et respondeat accipiens: accepi: et tunc confirmatur donatio. Verum in muneribus quamvis non dicat accipiens, accepi; confirmatur donatio, cum actu recipit: debet autem in schemate susceptionis gratiae recipere ille, qui recipit, quamvis ore non proferat. Et cum dicet aliquis: donavi tibi hanc aedem, ut inhabites in ea, quamdiu vixeris; et post mortem tuam sit heredibus tuis, firma est donatio. Et si dicat: donavi tibi, ut inhabites in ea, quamdiu vixeris, et non commemoret nomen mortis eius pro illius heredibus, aliqui dicunt, firmam non esse. Et si dicat: dedi, ut inhabites in ea, quamdiu vixeris, et post mortem tuam redeat ad me, et heredes meos; aliqui dicunt, quod firma sit, et aliqui dicunt, quod non. Et si dicat: donavi, ut inhabites in ea, quamdiu vixerit talis, rata non est. Et si dicat: donavi tibi aedem hanc, ut sit tibi, et heredibus tuis, si ego ante te moriar; et si tu ante me moriaris, redeat ad me denuo, ratum est pactum.

(*) Sic corrige in indice p. 117. col. 2. cap. 22. sect. 3.

Elementum secundum.

Quidquid potest esse venale, potest dono dari, et propterea pignus non datur; neque debitum, quod est contra aliquem, datur.

Elementum tertium.

Donatio post acceptationem confirmatur. Siquis non accepit, licet ei datum fuerit, non confirmatur ei dominium supra illud, quod ei datum fuit. Et ille quidem, cui datur aliquid, non potest absque licentia datoris ipsum accipere; et si acceperit, non fit proprium eius. Et si dans moriatur, antequam accipiat ille, cui datur, cessat donatio, et non prodest acceptatio eius post mortem datoris.

SECTIO II.

De possibilitate restitutionis.

Directio.

Donatio est actus, qui iustificat actorem suum. Date siquidem, et dabitur vobis, inquit in suis adorandis evangeliis Dominus noster: et magis decet, ut egenis demus, et illis, qui non possunt retribuere.

Et cum filiis suis dat aliquis, dona aequaliter debet iis dare, quamvis filii et filiae simul sint. Dator donationis, dum actu dat, ipsamque actu recipit accipiens, amplius non poterit eam sumere, nisi filius fuerit is, qui accipit; et pater, aut mater, aut avia, ille, qui dat. Ergo pater cum donat aliquid nato suo, potest denuo resumere illud ab eo. Si autem alieno dederit homo aliquid, quod ille actu recipiat, non poterit amplius resumere ipsum ab eo. Et alii contra dicunt, at ratum non est. Et cum aliquis donat nato suo rem aliquam, si natus idem illam vendat, aut perdat, non poterit amplius ab eo resumere pretium illius; et si desit ex ea aliquid, sicuti ipsa est, sumat rem, neque exigat pretium eius, quod diminutum est. Et si creverit, incrementum eius sit, cui datum est, et ipsum illud, quod dedit, solum accipit.

CAPUT XXIV.

De legato.

In eo sunt sectiones quatuor.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Legatum heic donationem emolumentorum rerum sine ipsis rebus per modum eleemosynae (*iuris*) dicimus. Et per hoc discretum est a donatione: et in legato rursus licet res non dentur, attamen neque accipiuntur ullatenus denuo: in legato item per modum eleemosynae (*iuris*) dantur utilitates rei, et non per modum liberalitatis, et susceptionis gratiae, et per haec discernitur legatum ab usufructu. Legati vero sunt quatuor elementa: legatum: ille, cui datur: dictiones: pactum.

Elementum primum.

Quod legatur subiectum dispensationi, et certum, et utile permanens in sui ipsius conservatione debet esse: itaque terrae, et mobilia, ac animalia, et individuum, ac dividuum; omnia haec legari possunt, quia subiecta sunt dispensationi. Aliqui animalia legari non concedunt, eo quod non semper utilia sint: et fructus arborum, et tonsiones ovium, atque lac

legantur, eo quod utilia sint; et ita indumenta, ut vestiantur, et species aliae ornamentorum, quo ornentur utriusque sexus pupilli in diebus festis. Unam ex duabus suis aedibus indiscriminatim non potest homo legare.

Elementum secundum.

Legatarius aut universalis est, uti habitatores alicuius oppidi, aut ex peregrinis, iustis tamen et a scelere alienis; nam legatum utile latronibus, et furibus, non est ratum. Et si persona specialis fuerit, haec ipsa quoque digna beneficio debet esse: et sibi ipsi nemo potest legare: sed si pauperibus legaverit, et ipse pauper effectus fuerit, tunc fas est illi, ut iuvetur tamquam unus e pauperibus. Et si paciscatur, ut ipse quamdiu in vivis fuerit, administret legatum, ratum non est.

Elementum tertium.

Ille, qui legat, debet dicere: legavi aedem meam, aut vineam meam, aut rem aliam ecclesiae, aut ponti, aut pauperibus, aut filio meo, aut fratribus meis. Et patet, quod acceptatio non deducitur in pactum in legato, eo quod etiam illis, qui non sentiunt, leget aliquis. Aut dicat: adiudicavi emolumenta vineae meae talis, adiudicavi filio meo per modum legati perpetui, non vendibilis, neque donabilis.

Elementum quartum.

Pacti quatuor sunt definitiones: perpetuitas: praesentia: consecutio: distinctio.

Definitio prima.

Ille, qui legat filiis suis, debet ostendere, quis futurus sit post filios suos, ut perpetuum sit legatum: debet ergo testes inducere, quod legavi natis meis, et natis natorum meorum: et cum natus, vel natus nati non remanebit mihi ullatenus, pauperibus, aut magistris, aut sacerdotibus, aut monasterio, aut ecclesiae tali sit legatum. Et si nihil horum dicat, episcopus pro tempore potest illud administrare modo utili communitati fidelium. Si autem dixerit: legavi ad annum, aut decem, aut centum, non est ratum legatum.

Definitio secunda.

Cum dicet: legavi filiis, qui adhuc nasciturі sunt mihi, ratum non est legatum: neque si dixerit: legavi, sed post mensem, aut annum.

Definitio tertia.

Cum dicet: legavi, sed ut irritem legatum, quando mihi libuerit, non est ratum legatum. Et si dixerit: legavi cum pacto, ut mutem iura mea illis, quibus lego, ratum non est. Et si dicat: legavi, sed cum pacto, ut legatum frustra sit, non est ratum.

Definitio quarta.

Ille, qui legat, debet secernere speciem legati, neque indefinite legare: cum ergo legat duabus personis, post mortem eorum pauperibus sit. Nonnulli vero dicunt, quod illi alteri erit, donec moriatur, et post mortem etiam huius, tunc sit pauperibus: et id probatum est.

SECTIO II.

De ratione vocabulorum, quae in legatis adhibentur.

Modus primus.

Cum dicet: legavi natis meis, et natis natorum meorum, aequaliter omnibus distribuantur emolumenta. Si addat, et dicat: generationi post

generationem, tunc nati natorum nihil accipiunt, quamdiu nati subsistunt.

Modus secundus.

Cum dicet : legavi natis meis, et post eos pauperibus, liquet, quod nati natorum nihil accipiant post mortem patrum suorum, sed pauperibus erit legatum. Et si dicat : natis natorum meorum, etiam natis filiarum, cum natis meis filii filiorum coaequantur. Et si dicat : natis natorum, qui ex me provenient, non accipiunt nati filiarum cum natis filiorum.

Modus tertius.

Cum dicet : filiis meis, aut filiabus meis : filii rebelles, et filiae rebelles nihil accipient, si alienaverit eos in vita sua.

Modus quartus.

Si dicat : legavi tribui meae : aliqui dicunt, quod si syrus sit, omnibus syris legaverit : et ita si armenus sit, aut ex gente qualibet. Alii vero dicunt, quod syris gentilibus suis, aut sui pagi hominibus tantum legavit : et illud ratum est, quod tribus viri cognatio eius est, idest familia ipsius consanguineorum.

Modus quintus.

Cum dicet : legavi filiis Aaron, utique etiam filii filiaeque participant de legato, eo quod fratres quoque, et sorores nomine fratrum vocantur simul.

SECTIO III.

De canonibus legatum respicientibus.

Canon primus.

Ille, qui legat vineam suam, aut aedem suam, non remanet ei amplius erga legatum dominium ; sed legatarius ipse administret, et lucretur emolumenta eius : et si ecclesiae, aut ponti, aut monasterio, aut diversorio, aut xenodochio leget, procurator eorum administret ; et ubi non fuerit procurator, quemadmodum si pauperibus leget communiter, ipsemet administret.

Canon secundus.

Legatarius reddituum, fructuum, lactis, et lanae, potestatem habet vendendi, et lucrandi ex pretio. Super natos animalium, quae legantur, potestatem non habet vendendi, sed nati quoque eorum, uti et ipsa legata sunt invendibiles.

Canon tertius.

Quod ad dispensationem legati attinet, siquidem legans nominet aliquem specialem, ut ipse dispenset, potestas est ei, et recipitur verbum eius, et hoc quamvis mercedem determinatam constituat illi dispensatori. Et si non nominaverit, legatarius dispenset, si privatus fuerit ; et si publicus sit, v. gr. monasterium, ecclesia etc., episcopus constituat procuratorem, qui dispenset.

Canon quartus.

Legatarius si expensis indigeat, ex emolumentis capiat sibi expensas ; et si cessent emolumenta, puta si servus legatus senuerit, aut asinus legatus fuerit, debet nutrire illos : si autem aedificia sint legata, et diruta fuerint, non compellitur legatarius ad illa aedificanda ; sed ille, qui vult emolumentum capere, aedificet.

Canon quintus.

Cum perit aliquid e facultatibus legati, ille, qui perdit, solvat pretium : et eodem pretio ematur simi-

le illi, quod periit, et redintegretur legatum. Et si ex se ipso periit, neque maneat ex eo pars utilis, uti servus, qui moritur, cessat legatum: et si manet, v. gr. arbor, quae aruit, lignum eius vendatur, et eo ematur arbor alia, ac legetur. Et si bonum non fuerit aliquid, v. gr. servus qui moritur, et si aedes sit legata quae proxime sit ruitura, et cuius emolumentum cesset, vendatur, et pro ea ematur aedes alia quae sit loco legati. Aliqui vero dicunt, quod nullatenus vendatur, quamvis cesset emolumentum eius, quia legatum est. Et cum ecclesiae alicui scribuntur legata, et ea diruatur, aut diripiatur ab alienigenis, aliqui dicunt, quod debeant conservari facultates legatorum eius in perpetuum, eo quod sperabilis sit illius restitutio fidelibus, uti Hierusalem, quam scilicet hodie alienigenae detinent. Nonnulli vero dicunt, quod conservari non debeant, sed in usum reliquarum ecclesiarum fidelium expendi, quia omnes ecclesiae Dei sunt.

Canon sextus.

Cum locat procurator cauponam legatam, etsi incrementum mercedis offeratur, postquam locavit, non potest irritare locationem primam: et illud firmum est, quod cum locaverit ad unum annum, non irritet: et si ad annos consequentes, et adsit incrementum, debet irritare.

Canon septimus.

Siquando illius, qui legat aut adsignat, periit instrumentum, omnibus legatariis eius aequaliter dividimus singillatim: non tamen mulieri aeque ac viro, neque parvulo ut adulto.

SECTIO IV.

De eleemosynis.

Directio.

Quia interdum fideles legant praedia, aut hortos, aut vineas, aut domos, aut cauponas, aut lapides molarios, et dicunt: emolumenta eorum egenis distribuantur in modum eleemosynae; heic necesse est, ut et typos pauperum exquiramus, qui sunt sex.

Typus primus

Miser est ille, qui nihil omnino possidet, neque potest arare (*opus exercere*) propter infirmitatem, aut quia non est assuetus: si enim mercari solum potest, sors detur ei aliqua, cuius emolumento possit vivere, et ipsa sors constituatur ei in debitum. Si tamen patrem habeat possessorem, nihil detur ei, sed pater eius sustentet ipsum: et ita mulier, quae habeat virum possessorem.

Typus secundus.

Egeni et pauperes illi sunt, qui possident minus, quam ad sustentationem ipsorum opus est, aut quorum merces laboris minor est expensis eorum necessariis. Ex his ei quidem, qui potest laborare ob subveniendum indigentiae suae, et id negligit sine causa impediente, nihil detur.

Typus tertius.

Clerici, et omnes illi qui ecclesiae inserviunt, cancellarius, et ostiarius; isti, licet egeni sint, tamen ex redditu ecclesiae debent sustentari, et non ex facultatibus eleemosynae addictis.

Typus quartus.

Servi, et ancillae cum voluerint

se ipsos in libertatem vindicare, detur eis pretium animarum ipsorum, ut liberentur. Et illud ratum est: si in manibus alienigenarum fuerint, detur pretium eorum, minime vero si fuerint in manibus fidelium. Et cum datur alicui servo pretium ipsius, cum dominus eius liberat eum, si custodiatur penes ipsum pretium eius, accipiatur, et in manibus domini servi debet dari pretium, sed iussu servi.

Typus quintus.

Debitor itaque, cum debitum inhaeret ei, et non est *prothesmiae* beneficio praeditum, et quidem ex causa iusta contractum, scilicet non ex causa gulae, aut lasciviae, ac fuerit indigus debitor, aut fideiusserit pro alio, et uterque fuerit indigus, tunc solvatur debitum ex bonis eleemosynarum.

Typus sextus.

Peregrino, cui nihil fuerit in peregrinatione, licet habeat in patria sua, detur sustentatio tempore suae peregrinationis.

Directio.

Eleemosynae autem, quas homo manu sua dat, misericordia motus, magis prosunt, quam illae, quae post mortem eius dantur, quamvis ipse antea iusserit. Et ex his illae, quae secretae sunt, magis commendantur apud Deum, quam illae, quae manifestae sunt, uti et ipse Dominus dixit: tu autem cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua; et pater tuus, qui videt in abscondito, ipse retribuet tibi in manifesto. Dona tamen, quae fideles patribus et clericis decernunt, non sunt ex genere eleemosynarum, sed ex genere iurium. Et ille, qui eleemosynam dat, debet primum succurrere indigentiae proximorum suorum, et deinde alienorum, ut dixit apostolus beatus: si quis autem suorum curam non habet etc.

In diebus autem sollemnibus, et sancti ieiunii debent magis fieri eleemosynae: et ille, qui egenus *non* est, et implicatus saecularibus negotiis, et uxorem habet, ac natos, ex eo, quod superest sustentationi domesticorum suorum, debet eleemosynam dare: nam praeceptum dominicum: vende possessionem tuam, et da pauperibus, non omni homini, sed solum perfectis datum est: si volueris equidem perfectus esse etc.

CAPUT XXV.

De censu (vel potius analogia.)
Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Analogia est convenientia emptoris erga socium si voluerit emere. Et analogiae quidem tria sunt elementa: venale: et accipiens: et ille a quo accipitur.

Elementum primum.

Non omne venale analogiae naturam sequitur, sed immobilia solum, eo quod animalia, et indumenta analogiae non sint materia. Porro manifestum est, quod parietes, et arbores sint immobiles; fructus vero, qui in arboribus, sint mobiles. Sed neque omnia immobilia analogiae materia sunt, sed ea solum, quae patiuntur divisionem. Quia vero si balneum, lapis molarius, et puteus dividantur in duo,

amplius non manent balneum, aut lapis molarius, aut puteus, ea indivisibilia sunt; et propterea non pertinent ad analogiam, quum agitur de iis vendendis, eo quod emptor exterus non cogit in eis socium, ut dividat ea; et causa convenientiae emptionis erga socium aliud non est, nisi haec, ut non compellatur ad dividendum.

Et in domo parva, cum decima pars eius fuerit alicui, non potest dominus decimae compellere dominum novem reliquarum partium, ut dividat: nam non remanet ei emolumentum in decima sua, cum dividitur: et propterea ipsa est eius, qui vult vendere decimam suam, et non est materia analogiae, eo quod indivisibilis sit eius pars. Dominus autem novem partium potest compellere dominum decimae, ut dividat: et propterea cum vendit novem partes suas, potest dominus decimae eas recipere cum analogia, et non permittere alieno, ut emat. Et domus superior, cum duorum dominorum fuerit, et unus eorum véndat partem suam; si pavimentum domus superioris, hoc est lacunar domus inferioris ipsorum sit, potest socius eius partem suam accipere cum analogia: secus vero minime, quia non est eis locus immobilis. Et aliqui dixerunt, quod licet ipsorum sit lacunar, non est alicui eorum analogia, eo quod lacunar non sit mobile.

Elementum secundum.

Acceptio autem analogiam extra sortem solum iustificat: illi vero, cui non est sors in aede, licet vicinus sit, non est analogia. Aliqui porro analogiam adiudicant etiam vicino, cuius paries adhaeret parieti aedis venalis, licet sortem non possideat in ipsa aede, quae venditur. Ille, cui sors est in via, si non sit eidem sors in aede, analogia non est. Si autem ipsa via venditur, et est caeca, seu cui non sit exitus ex latere alio, si non recipiat divisionem, idest non manserit utilis ad gressum post divisionem, non habet analogiam; at si secus, habet.

Elementum tertium.

Ab illo, qui vendit, accipitur venale cum analogia; nam si cui datur donum gratis sors ex aede, non potest dominus sortis alterius accipere cum analogia partem illam, quae illi data est. Et aliqui dicunt, quod accipit eam, et pretium solvit illi, cui data est: at ratum id non est.

Et cum silet analogicus, dum vendit socius eius partem ipsius ex aede, et non petit analogiam, siquidem denuo restituat ille emptor partem, quam emit, venditori ob aliquam causam, non potest analogicus illam accipere, quia ad dominum eius priorem redit. Et cum vendit socius eius partem suam cum pacto electionis, non potest analogicus quidpiam accipere, donec confirmetur venditio, et deinde accipit. Servus, cui concessum est negotiari, potest accipere analogiam: et si deserit, potest dominus eius non derelinquere: et si dominus eius dimiserit, non potest ipse non dimittere. Ius analogiae cum infanti fuerit, potest pater eius illud accipere, si in acceptione sit utilitas; et si non accipit, potest infans, cum adolescit, accipere.

Cum fuerit aedes, quae biscentum valeat, duobus fratribus, et aegrotet unus ex eis, ac velit vendere partem suam alicui amico suo quinquaginta,

si dixerit frater ipsius : mihi convenit cum analogia, dimidium sortis fratris sui solum potest accipere quinquaginta, idest quartam partem totius aedis. Et tunc frater eius aegrotus, si velit, dono det quartam aliam partem illi amico suo. Et ille, qui primum emit dimidium aedis, potest impedire illum, qui postea vult emere dimidium aliud, et ipse accipiat eam cum analogia, et tota ipsius fiat.

SECTIO II.

De qualitate acceptionis analogicae et canonibus eius.

Directio.

Analogicus quidem, cum appendit pretium instar emptoris extranei, et tradit venditor ei rem venalem, tunc confirmatur dominium : et si consensus solum fuerit inter venditorem, et analogicum sine traditione pretii, et rei venalis, non firmatur dominium analogico ullatenus.

Et solutionis pretii novem sunt typi.

Typus primus.

Analogicus vero pretio, quo emit emptor, debet recipere rem venalem. Et si servus fuerit, aut equus id, quod datur, pretium pro valore servi, aut equi appendat.

Typus secundus.

Cum emit emptor extraneus partem ex aede mille usque ad annum, scilicet ad experimentum, si velit analogicus solvere mille statim, ei traditur aedes, alias relinquat eam usque ad annum. Et cum solvit mille, accipiat eam, et non licet ei compellere venditorem, et dicere : quemadmodum emptori extraneo tradebas aedem ad experimentum, etiam mihi trade : quia fieri potest, quod non credat ei de solutione pretii, quemadmodum extraneo.

Typus tertius.

Cum emit aliquis partem aedis, et gladium mille, potest analogicus aedem pretio suo accipere, et gladium relinquere cum reliquo pretio, scilicet non debet etiam gladium cum parte aedis accipere mille.

Et cum emit aliquis partem aedis, deinde ruat aedes, quando id innotescit, analogicus, si velit, prout est diruta, cum toto pretio suo, uti etiam emptor extraneus, accipiat eam, alias relinquat. Et non potest detrahere e pretio eius, quia ruit illa, et ita venditori damnum inferre.

Typus quartus.

Cum vendit aliquis partem aedis alieno mille, deinde dimittit ei centum; siquidem ante confirmationem emptionis dimittit ei centum, potest analogicus partem illam aedis accipere nongentis. Verum si post confirmationem emptionis venditor remisit emptori extraneo centum, non potest analogicus illam accipere, nisi mille, quia non cogitur venditor, ut ei etiam beneficium impertiatur, quamvis erga extraneum id faciat propter aliquam causam.

Typus quintus.

Cum emit emptor extraneus partem vineae pleno pugillo nummis, quorum nota non sit quantitas; aliqui dicunt, quod cesset tum analogia; quid enim analogicus accipit, cum pretium notum non sit, ut simile appendat? Et illud ratum, quod si nondum commixti sunt illi nummi non noti cum reliquis nummis venditoris,

exquiratur eorum quantitas, ut illos appendat analogicus: at si commixti sunt, potest adiurare tam emptorem, quam venditorem, quod ignorent quantitatem eorum: et si iurant, cessat analogia, et dominatur emptor extraneus.

Typns sextus.

Analogicus in manus emptoris extranei tradere debet pretium, emptor autem extraneus in manus venditoris: aliqui vero dicunt, quod non: sed quod analogicus in manus venditoris debeat tradere pretium, et venditor restituere emptori extraneo id, quod accepit ab eo: et si pretium, quod tradit analogicus non proprium, sed aliorum fuerit, et accipiatur e manibus venditoris, non cessat analogia eius, sed cogitur tempore suo ad parandum pretium e proprio; et si non paraverit, tum cessat eius analogia. Et cum accipit analogicus partem aedis cum analogia, et aedificat in ea aedificium, ubi innotuerit dominus alius partis aedis, quam emit, et accipiat eam de manibus eius, potest dominus ille diruere aedificia analogici: et analogicus potest ab eo repetere solutionem damni, quod passus est. At illud aequum, quod dominus, qui innotuit, solvat analogico pretium aedificii ipsius, et accipiat partem aedis cum aedificio, quod innovatum est in ea.

Typus septimus.

Cum emit emptor extraneus partem aedis, et vineam, et aedificat, ac plantat, deinde compareat analogicus, non poterit destruere aedificia, et eradicare plantas emptoris extranei, sed accipiet ea ab ipso pretio convenienti; aut destruat, et eradicet, et solvat damnum emptori extraneo; aut relinquat ea emptori extraneo, et accipiat ab eo mercedem praedii. Et si semen est seminatum, relinquat illud absque mercede, quia notum est tempus perfectionis seminis, contra ac fit in aedificio, et planta.

Typus octavus.

Cum contendunt invicem emptor extraneus, et analogicus, et dicit emptor extraneus: mille emi: et dissentiat analogicus, dicens: non, sed quingentis emisti; verbum emptoris extranei admittitur, quia ipse hoc bene novit. Si autem emptor extraneus contendat, dicens analogico: alienus es, nec habes dominium in partem ullam huius aedis, debet analogicus comprobare, quod habeat dominationem; alias non probatur competere ei analogiam. Si autem neget emptor emptionem, et dicat: *non* emi, sed dono data est mihi pars huius aedis; ita ut deturbetur analogicus; itaque si potest analogicus comprobare emptionem, accipit partem aedis, et dat pretium emptori extraneo, qui si non recipiat, compelletur recipere: et si non potest probare, et fateatur venditor, quod vendidit, neque dono dedit, admittitur verbum eius, et ita dat analogicus pretium emptori, quamvis neget. Et si non fateatur venditor, quod vendiderit, neque possit analogicus probare venditionem, cessat analogia ipsius.

Typus nonus.

Cum aedes quaedam fuerit trium dominorum, dimidium unius, tertia pars alterius, et sexta pars tertii, et vendat dominus dimidii medietatem suam, non aequaliter accipiunt medietatem ambo illi socii alii, sed dominus tertiae partis accipiet duplum

eius, quod dominus sextae accipit vi analogiae: et cum unus ex eis non vult analogicus esse, potest ille alius totam medietatem, quae venditur, accipere vi analogiae: et ita si unus e sociis fuerit absens, ille, qui praesens est, accipit totam partem rei venalis: et cum veniet socius absens, potest accipere ius suum vi analogiae ex parte, quam accepit socius eius.

SECTIO III.

Quo pacto cesset analogia.

Directio.

Statim atque audierit venditionem analogicus, debet petere analogicus, ac dicere: mihi debetur venale, et mea est analogia. Et aliqui dicunt, quod usque ad triduum possit negligere, dum considerat, an petat, nec ne; post triduum autem, si neglexerit, et non petierit, amplius ei non adiudicatur analogia. Aliqui autem dicunt, quod quovis tempore petere possit, quandiu non petierit. Et cum concedit analogicus venditori, ac dicit: vende: cessat ipsius analogia. Porro an possit emptor extraneus compellere analogicum, ut petat, aut recuset, an vero non possit; divisae sunt opiniones, et sententia prima rata est, scilicet quod statim atque audit venditionem analogicus, non debeat negligere petitionem. Et huic proposito septem sunt typi.

Typus primus.

Statim atque audit analogicus, quod pars ex aede, aut vinea, aut re altera, in qua habet partem, vendita est, debet ire ad emptorem, aut mittere suum procuratorem, et dicere: mea est analogia, et mihi debetur pars, quam emisti. Et si non sit proximus emptor, videlicet sit in alia regione, debet analogicus testes advocare, qui testentur, ipsum petere analogiam, et deinde eat, aut mittat ad emptorem, eique significet: et si aegrotus fuerit, aut in carcere detentus ipse analogicus, neque possit ire, aut mittere, non reputatur negligens, sed cum liber fit, petit, et adiudicatur ei analogia.

Typus secundus.

Si autem fuerit in balneo, aut in mensa, aut in alia actione consueta, licet haud necessaria, si negligit, donec expediatur, non cessat ab eo analogia. Ita si ipse sponte sua occupetur negotiis inutilibus, negligatque, et non petat statim ac audit, non amplius potest petere.

Typus tertius.

Cum negligit analogicus, et non petit, quando audit: deinde postea petat, ac dicat: non credidi illud, quod fama allatum fuerat ab initio, et propterea omisi petere; si digni fuerint acceptione illi, qui narraverunt ei, licet unus vir iustus narraverit ei, et neglexit, non recipitur verbum eius. Et si pueri sint, aut servi, aut prodigi, recipitur verbum eius. Et si mentiatur ille, qui narrat, videlicet dicat, quod duobus millibus vendita fuit pars praedii, et mille fuerit vendita: aut dicat, quod solutione numerata vendita fuit, et fuerit vendita cum pretii dilatione; ut dicat quod homini amico tuo vendita fuit, et vendita fuerit inimico suo: aut dicat quod medietas eius quinquaginta vendita fuit, et tota fuerit vendita centum; et ob haec omittat, neque petat, potest postea petere, cum contrarium eius, quod ipsi dictum fuit,

confirmatur. Ita si dicatur ei quod mille vendita est, et duobus millibus vendita fuerit, non potest postea, cum confirmatur, petere, si ab initio non petiit; non enim potest dicere quia mille constitit, nolui accipere eam, et nunc, eum duobus millibus constat, placet mihi. Et si dicet analogicus: haud equidem sciebam, quod ob negligentiam meam cessaret ius meum, et idcirco neglexi, recipitur verbum eius, verumtamen cum iurat.

Typus quartus.

Cum incidit analogicus in emptorem, et dicit: benedictum id, quod emisti: non amplius potest emptionem sibi ipsi appetere, quia consentit emptioni illius. Et si dixerit: quanti emisti? non cessat ius eius: et si ave ei dixerit, et dicat: veni petere analogiam, non cessat ius eius. Et si dixerit: merito emisti, et ego peto: aliqui dicunt, quod cesset ius eius, alii vero dicunt, quod non.

Typus quintus.

Cum seminat emptor partem praedii, quod emit, antequam sciat analogicus, licet festinanter non solvat ei pretium, analogici non cessat ius. Hic autem debet festinanter petere eam, dicens: mihi debetur.

Typus sextus.

Analogico, ubi vendiderit partem suam, cessat ius analogiae.

Typus septimus.

Analogicus non potest recipere quidquam, et irritare analogiam sibi competentem: et si per promissionem irritet, id, quod irritavit, confirmatur, et illud, quod promisit, potest non dare ullatenus. Et cum dicet emptor: irritasti, et dissentiat analogicus, quod non irritavi; si emptor non habeat testes, analogicus iuret, quod non irritaverit, et accipiat. Et testimonium venditoris non recipitur adversus quemquam eorum.

CAPUT XXVI.

De mercatura.

In eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Quod mercatura opus sit legitimum, et non laude indignum, cum iuste exercetur ab illis, qui saecularibus rebus implicati sunt, ipse dominus indicavit, cum illum, qui super quinque talenta, quae accepit, lucratus est alia quinque, servum bonum, et fidelem nominavit, dignumque fecit, qui in gaudium domini sui intraret. Elementa porro eius sex sunt: sors: opus mercatoris: emolumentum: dictio: dominus sortis: mercator.

Elementum primum.

Sorti quatuor sunt canones.

Primus.

Ut pecunia nummi aut denarii sint, et non res aliae, ut facile secernatur sors ab emolumento: nam ille, qui modium tritici ponit sortem, qui valeat unum denarium, cum negotiatur mercator novem denariis; dein contingat fames, et non inveniatur modius tritici, nisi decem denariis, tunc sors cum emolumento domino sortis erit, et labor mercatoris inutilis est, eo quod iustus non sit.

Secundus.

Ut sit nota quantitas pecuniae sortis; aliter quomodo separabitur emolumentum a sorte?

Tertius.

Ut quasi digito ostendatur illa quantitas nota: itaque cum homini fuerint bismille in duobus loculis apud mercatorem deposita, et annuat, ut ille negotietur mille, debet nominatim designare quale sit millenarium, in cuius quartam partem potestas universalis datur mercatori supra pecuniam sortis. Nam si paciscatur dominus sortis, ut non emat aut vendat mercator, nisi per dimidiam illam summam, non est rata negotiatio. Et si dederit aliquis pecuniam sortis mercatori cum pacto, ut etiam filius eius, aut servus eius associetur cum eo, et emat, ac vendat cum ipso, rata est negotiatio eius.

Elementum secundum.

Opus mercatoris ratio est emolumenti, quod recipit a pecunia domini sortis. Et huic tres sunt canones.

Primus.

Ut ipsum opus mercatura sit, et non artificium: itaque ille, qui sumit mutuam pecuniam ab aliquo, et emit panniculum, ut consuat ipsum, ac vendat, mercedem sutoris tantum debet habere, et non emolumentum pecuniae. Et creditor cum dicet debitori: accipe traditam pecuniam, quae mihi debetur a te, et negotiare in ipsa, rata non est negotiatio, eo quod verum non sit, quod ipse de proprio illus traditam acceperit: quemadmodum neque ratum est, si dicat aliquis socio suo: eme mihi equum tuis nummis.

Secundus.

Ut non exerceat negotiationem in rebus diversis: itaque cum dicet dominus sortis mercatori: ne negotieris, nisi in serico nigro, aut agnis albis, aut versicoloribus, aut equis rubris; aut non emas, neque vendas nisi alicui nominatim, non est regulare pactum. Regulare tamen est si de genere paciscatur, scilicet in serico solum negotiare, aut in ovibus, aut ab oppidanis solum eme, et ipsis vende, non autem civibus.

Tertius.

Datio sortis simplex debet esse, et non ad aliquod tempus, nisi aliquando dominus sortis, et mercator consenserint. Quod si definitio temporis fiat, emptioni solum debet fieri, et non venditioni: scilicet dicat dominus sortis mercatori: usque ad annum eme, et vende, et post annum ne emplius emas: tamen non dicat: ne vendas: quia si post annum reperiatur apud mercatorem res quaedam, quae empta sit, ex necessitate debet illam vendere, et non debet dominus sortis illum impedire.

Elementum tertium.

Emolumentum compensatio est, quae datur mercatori propter opus eius, idest laborem ipsius, et ipsi quatuor sunt canones.

Primus.

Mercator consors debet esse emolumenti, eo quod si profiteatur, se negotiaturum, et totum emolumentum domini sortis fuerit, non est ratum pactum. Aliqui vero dicunt, quod mercatori, qui hoc promittit, merces laboris eius solum debeatur, et reliqua utilitas tota domino sortis debeat esse. Et dominus sortis si dixerit mercatori: accipe a me hanc pecuniam, et negotiare in ipsa, et tota utilitas tua sit, firmum est pactum, verum per modum faenoris, et non per modum mercaturae. Et si dicat dominus sortis mercatori: dimidium utilitatis meum sit; et non addat: et

alterum dimidium tuum sit, non debetur mercatori, nisi merces laboris eius solum, et non dimidium lucri. Et si dicat: dimidium utilitatis tuum sit, licet non addat: et alterum dimidium meum sit; dimidium lucri accipit.

Secundus.

Ut non deducat in pactum in negotiatione alienam sortem: nisi forte minister sit unus ex eis.

Tertius.

Ut non addicatur definita quantitas utilitatis uni eorum, eo quod fieri possit, ut tota utilitas non aequiparet quantitatem illam: idest non dicat dominus sortis mercatori: negotiare in hac pecunia, et decem nummi ex utilitate tibi sint, et reliqui mihi: aut decem mihi, et reliqui tibi sint.

Quartus.

Ut nota sit quantitas sortis a domino sortis data, itemque quantitas utilitatis, quam mercator percipiet. Nam si dicat dominus sortis mercatori: negotiare in hac pecunia, et accipe tibi ex emolumento illud, quod determinavit talis tali, et ignoraverint ambo, vel unus ex eis, quantum determinaverit talis tali, non est ratum pactum. Et ita si dicat: tibi sit sexta pars nonae partis decimae partis utilitatis, et mercator nesciat computum, non est ratum pactum. Et si non definierit, sed dixerit: negotiare, et tibi erit pars ex emolumento: aliqui dicunt, dimidiam partem ei deberi, alii autem negant, et aiunt id posse dare dominum sortis mercatori ex utilitate, quod voluerit.

Elementum quartum.

Dictio. Debet dominus sortis dicere mercatori: dedi tibi hanc pecuniam, ut in illa negotieris, et tibi erit ex lucro dimidia, aut tertia, aut quarta pars, aut quidpiam aliud: et dicat mercator: acceptavi: tunc confirmatur mercatura.

Elementum quintum, et sextum.

Dominus sortis, et mercator. Quidquid enim in pactum deducitur inter constituentem et constitutum, inter ipsos revera contrahitur. Atque duo domini sortis possunt dare pecuniam mercatori alicui, et pacisci ei symbolam ex utilitate, et reliquum utilitatis inter se dividere iuxta sortes suas. Et ita unus dominus sortis potest dare duobus mercatoribus, et pacisci ipsis symbolam ex utilitate, et eam aequaliter dividere inter ipsos.

SECTIO II.

De confirmatione mercaturae.

Canon primus.

Mercator est procurator domini sortis in administratione pecuniae illius. Itaque pro utilitate debet contendere, neque vendat pretio exiguo, neque pretio excedente: neque emat, aut vendat cum periculo, sed fiat, quod ei mandatum est a domino sortis: et cum vendit cum periculo, confirmet venditionem per testes: et si non confirmaverit, et pereat pretium, debet solvere domino sortis, quia omisit, quod eius officii erat: neque potest vendere rem domino sortis, neque emere ab ipso, quia neque servus vendit quidquam domino suo, neque emit ab eo: et non potest vendere ultra sortis quantitatem; et si vendat, ipse debet solvere, non autem dominus sortis.

Canon secundus.

Non potest mercator vendere patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filium domini sortis absque huius iussu: et si vendit, ipse damnum patitur, et non potest eos emere denuo.

Canon tertius.

Mercator non potest dare pecuniam alteri mercatori, nisi iussu domini sortis; itaque siquidem ei concessum non fuerit, et det, ex propria parte debet abscindere partem mercatori secundo, et non ex communi.

Canon quartus.

Mercator non potest cum pecuniis mercaturae procedere in via, nisi iussu domini sortis: et si absque eius iussu procedat, quidquid furto aufertur ab eo, solvit: et si iussu domini sortis procedit, expensae delationis pecuniarum ex ipsis pecuniis desumantur, nam et merces mensuratoris, et ponderatoris ex ipsis debet esse: si autem ipse mercator detulerit, aut mensuraverit, aut ponderaverit, non potest ipse mercedem sibi ipsi accipere: operationes etiam omnes faciles, uti est involutio panniculi ipse mercator debet peragere; et si mercede conducat aliquem, qui eas faciat, ipse mercedis damnum subeat: merces autem domus, in qua habitat mercator cum pecuniis mercaturae, ipsum gravat, merces eo cauponae gravat ipsas pecunias. Et expensae viae secundum aliquos ad ipsum pertinent, eo quod loci ratio ipsum spectat: secundnm alios autem pecunias gravant, eo quod propter illas procedat in via, et id ratum est. Et si etiam habeat pecunias proprias, expensae dividuntur pro rata: ut cum in via offendit dominus sortis mercatorem, et accipit ab eo, quod suum est, propter expensam reditus eius, scilicet donec ipse mercator perveniat in domum suam; divisae sunt sententiae, utrum ex pecuniis fiant, an non: et manifestum est, quod cum redit mercator, debeat restituere sacculum in quo fuit panis, et lagenam in qua fuit aqua, et reliqua instrumenta viae in domum sortis.

Canon quintus.

Mercator non potest utifrui parte sua, quae ex emolumento, nisi post divisionem, idest cum accipit dominus sortem propriam ex utilitate, accipit etiam mercator, quod suum est.

Canon sextus.

Omnes additiones substantiales, et accidentales, quae consequuntur sortem, veluti foetus animalium, et fructus arborum, et merces animalium, quae ad vectionem commodantur, computo computantur: damna quoque, quae consequuntur, puta ex valore pretii pecuniarum, et vitia, quae accidunt ipsis, et infirmitas animalium, ac mors eorum ex emolumento debent suppleri. Damna vero, quae ex furibus, et praedonibus contingunt, si post administrationem mercatoris accidant, debet mercator ex utilitate supplere illa; si autem ante usum eius accidant, scilicet ut recipiat duo millia a domino sortis, et antequam vendat, aut emat per ea, furto tollantur mille; aliqui dicunt, quod debeat supplere, et aliqui negant. Et cum accipit mercator a domino sortem mille nummorum, et his emat equum, et antequam solvat pretium, furto auferantur mille illi nummi, si solutione parata emit, cessat emptio, et redit equus ad vendi-

torem ; at si solutione certo tempore facienda emit, aliqui dicunt, debere dominum sortis pendere alios mille nummos in pretium equi : et dum ponderat, divisi sunt auctores ; et an mille illi alii tunc sint sors, an duo millia sortem constituant, similiter dubitarunt : et illud ratum, quod sors mille constet ; et haec quidem, si nocumento caelesti contingat damnum : si autem dominus sortis perdat aliquid, debet damnum pati pro sua portione lucri : et si mercator perdat, debet solvere domino sortis partem ipsius ex lucro una cum sorte.

SECTIO III.

De cessatione mercaturae, et litibus contingentibus.

Et in ea sunt typi quatuor.

Typus primus.

Recusatione uniuscuiusque domini sortis, et mercatoris, dissolvitur mercatura. Itaque si pecunia fuerit sors tempore recusationis, et nullum prorsus fuerit emolumentum, uti est accipit eam dominus sortis, et mercator nihil accipit : si autem adfuerit emolumentum, dividitur inter ambos iuxta pactum, quod antea initum fuit : si vero res fuerint, potest dominus sortis compellere mercatorem, ut vendat eas, et constituat propriam sortis : et si noluerit dominus sortis, eas vendi, non potest mercator vendere ; sed si invenerit emptorem, qui pretio multo emat, dicat domino sortis : accipe illas pro illa quantitate, qua emit talis, alias illi vendo ; et non potest ullus ex eis accipere ullum emolumentum, nisi cum rationem ineunt sortis, et ipsam redintegrant, et deinde dividant emolumentum, et denuo confirment mercaturam.

Typus secundus.

Cum solvitur mercatura recusatione alicuius ex eis, et praesumpserit dominus sortis partem ex pecunia sortis ante dissolutionem mercaturae, tribus modis se habet ratio eius tunc.

Modus primus.

Ut non sit neque utilitas, neque damnum, cum accipit dominus sortem : itaque id, quod remanet ex mercatura, ipsum est sors.

Modus secundus.

Ut extiterit utilitas, cum accipit dominus sortis partem ex pecunia sortis. Itaque mercatori quoque pars debet esse ex utilitate illius partis. Et si contingat damnum postmodum, non privatur hac parte, quae prior adiudicata fuit ei, hoc modo : ponamus sortem centum, et utilitatem viginti : deinde accipiat dominus sortem viginti, postea contingit damnum viginti, et sors remansit octoginta. Itaque non potest dominus sortis accipere octoginta, et dicere, quod centum posui sortem, et centum accipio ego : eo quod cum accipit viginti, idest sextam partem sortis et utilitatis, sexta pars viginti, quae constituit tria, et tertiam partem, utilitas erit : et ideo dimidium eius, quod facit unum et duas tertias partes ex uno, ius erit mercatoris ; et potest ea sibi vindicare, et domino septuaginta et octo, et unam tertiam partem det, et ita dominus sortis unum et duas tertias partes amittit ex sorte, quam posuit, et mercator unum, et duas tertias partes lucratur.

Modus tertius.

Quod extiterit damnum, cum accipit dominus sortis partem ex pecu-

nia sortis. Itaque cum damno ipsius debet illam accipere, et non debet mercator reficere ei ex utilitate, quae postea accidit, damnum partis, quam prius acceperat ante utilitatem: tali fere pacto: ponamus sortem centum, et damnum viginti; deinde accipiat dominus sortis viginti, et sors ad sexaginta redacta sit: deinde contingat utilitas viginti, et crescit pecunia ad octoginta, et fiunt centum simul cum viginti, quas iam acceperat dominus sortis. Itaque non potest dominus sortis accipere octoginta, et dicere, quod utilitas viginti commensuratur damno viginti, et quod centum posuerit in sortem, et centum accipiat; eo quod, cum accepit viginti, non existebat utilitas viginti; sed damnum viginti erat, et debet in reliquam centenarii partem, idest in octoginta dividi ipsum damnum viginti, et manifestum, quod quinque sequuntur omnem numerum viginti damni; ergo cum accepit viginti, debebat accipere quindecim, et propterea quinque illa, quae supersunt, debent aequaliter dividi inter ambos: et ita dominus sortis duo et dimidium amittit ex sorte, quam posuit, et mercator duo et dimidium lucratur.

Typus tertius.

Mercatura solvitur morte, et energumenatu. Itaque si dominus sortis moriatur, potest heres eius cogere mercatorem ad vendendam rem, et constituendam sortem, ac emolumentum, si adfuerit emolumentum, et quisque partem suam accipiat: et si velit heres relinquere sortem apud mercatorem, denuo confirmare debet nomine suo mercaturam cum eo. Et ita si mercator moriatur, et velit dominus sortis constituere heredem eius pro eodem, denuo debet confirmare mercaturam.

Typus quartus.

Litium, quae accidunt inter dominum sortis, et mercatorem, septem species ponimus.

Species prima.

Cum dicet mercator: periit, et laesa est pecunia sortis; recipitur verbum eius absque iuramento, quandiu non appareat fraus eius, eo quod fidelis sit. Nisi enim fidelis habitus fuisset, nihil ei traditum esset. Et ita si dicat: restitui tibi tuum, recipitur verbum eius absque iuramento, eo quod fidelis sit.

Species secunda.

Cum litigant de quantitate lucri, de quo pactus est dominus sortis cum mercatore, verbum mercatoris recipitur, verumtamen cum iurat. Aliqui autem dicunt, quod ambo iurent, scilicet dominus sortis iuret, quod tertiam partem pactus est, et mercator iuret, quod dimidium pactus est: et postquam iuraverint simul, tota utilitas, quae reperitur, domino sortis adiudicatur, et mercatori mercedem laboris sui solum det.

Species tertia.

Cum litigant de quantitate sortis, sive sit lucrum, sive non sit, similiter verbum mercatoris recipitur. Et aliqui dicunt, quod si sit lucrum, ambo adiurentur.

Species quarta.

Cum res aliqua fuerit in facultatibus et dixerit mercator, quod non ex pecunia mercaturae illam emi, sed ex pecunia mea, et dissentiat dominus sortis, et dicat, quod non, sed ex pecunia mercaturae emisti eam rem,

verbum mercatoris recipitur, eo quod ipse optime cognoscat se ipsum.

Species quinta.

Cum dicet dominus sortis, quod in antecessum vetui tibi, ac dixi: ne emas hunc equum; et dicat mercator: mihi non interdixisti; verbum mercatoris recipitur.

Species sexta.

Cum dissident de lucro, verbum mercatoris recipitur, si dixerit, quod non fuerit lucrum; si autem postquam confessus est, redeat ac neget, dicens: erravi, dixi, quod fuerit lucrum: aut: timui, ne acciperet sortem a me, et dixi, quod sit lucrum, cum non sit; non recipitur verbum eius, quo negat lucrum. Et si dicat: veritatem dixi, quod fuerit utilitas, sed postquam dixi, damnum passus sum, recipitur verbum eius.

Species septima.

Duo domini sortis singuli dederunt centum cuidam mercatori, ut emeret unicuique ipsorum equum: at is cum emit, si nescivit, qualem equum quali domino sortis emerit, et consentiant ei ambo, quod ignoraverit; tunc ambo equi vendantur, et pretium eorum aequaliter dividatur in ambos dominos sortis. Aliqui vero dicunt, quod si non expleat pretium eorum duo millia, mercator iacturam facit de proprio, et expleat unicuique mille, quia neglexit, et erravit: et si supersit pretium eorum, tota utilitas in ambos dominos sortis dividatur, et mercatori non sit pars cum illis.

TOMUS IV.

INDEX CAPITUM ET SECTIONUM HUIUS TOMI.

CAPUT XXVII.

De irrigatione.

In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Quatuor sunt elementa irrigationis: id, in quo fit irrigatio: ius irrigatoris: opus irrigatoris: dictio.

Elementum primum.

Huic tres sunt canones.

Canon primus.

Ut arbores fructiferae sint illae, quae irrigantur: et manifestum est, quod palmites vitium cum arboribus numerantur: pepones autem, et citri, et mandragorae, quia arbores non sunt, haud irrigantur: sed ille, qui servit, et irrigat ea, mercedem suam solum debitam exigit, et non partem ex fructibus. Terrae vero, quae seminantur, licet irrigentur, cultus earum non dicitur irrigatio, sed seminatio. Et oportet, ut totum semen, aut pars eius sit a domino terrae. Est autem et modus alius seminationis illegitimae, scilicet si totum semen insumatur in terram, quae propria non fuerit. Si autem arbores in terra, quae seminatur, fuerint, tunc rata est irrigatio in arboribus, aut in terra quoque simul: si redditus arborum superet redditum terrae, aut redditus terrae superet, in arboribus irrigatio confirmatur, et in terra seminatio.

Canon secundus.

Antequam producantur fructus oportet, ut demonstretur facta irrigatio, et non postquam editi sunt, eo quod non per laborem irrigantis tunc existentia eorum creditur, ita ut adiudicetur ei pars ex illis. Et aliqui dicunt, quod etiam postquam editi sunt, confirmatur, quia, licet ipsius labore editi non sint, ipsius tamen labore aluntur, et promoventur.

Canon tertius.

Irrigator debet prius videre arbores, et deinde statuitur irrigatio eius.

Elementum secundum.

Et huic quoque tres sunt canones.

Canon primus.

Circa terram, in qua adhuc plantandum est, non inducitur in pactum irrigatio; idest si dicat dominus terrae irrigatori: sere arbores in hac terra, et irriga, ac ale eas, et si vigeant, dimidium fructuum earum tuum

erit, non est ratum pactum, eo quod plantatio non pertinet ad operationem irrigationis: si autem recenter fuerit plantatum in ipsa terra, de spatio irrigationis usque ad tempus, in quo possunt inveniri fructus, et non ante ipsum, debet fieri pactum, ne inutilis sit labor irrigatoris.

Canon secundus.

Cum ossicula fuerint demissa in terram, et plantae aliae extiterint in ea, ac dicat dominus terrae irrigatori: ale, irriga, et dimidium plantationum, quae germinant, tibi erit, rata est irrigatio: et hoc quamvis irrigator non viderit plantas, quae existunt, aut sciverit ossicula demissa. At si dicat: dimidium plantarum, et quarta pars ossiculorum, tibi erit, non est rata, nisi viderit plantas, et noverit ossicula irrigator.

Canon tertius.

Cum vinea fuerit duorum sociorum, quorum unus partem suam dederit ad irrigationem socio suo, tunc confirmatur irrigatio, quando ille, qui fit irrigator solus, suscipiat in se, ut totam culturam perficiat, et portionem ampliorem parte sua substantiali definitam habeat: si autem nihil omnino ei constituatur, aut omnes fructus ei constituantur, non est rata irrigatio, sed mercedem laboris sui solum recipiat a socio suo.

Elementum tertium.

Operi autem irrigatoris quatuor sunt canones.

Canon primus.

Non deducatur in pactum contra irrigatorem opus ullum, quod alienum sit ab irrigatione.

Canon secundus.

Potestatem absolutam habere debet irrigator in vineam, et in arbores, ita ut et nocte, et die colat. Et si dixerit dominus vineae: sine me non potes ingredi in vineam, aut sine filio domus meae, ratum non est pactum. Porro manifestum est, quod irrigator nequeat prohibere dominum, ne intret.

Canon tertius.

Spatium irrigationis certum debet esse, et in pactum deductum tempore confirmationis eius ad annum, aut duos, aut quinque, aut ad aliquod aliud spatium: enim vero et usque ad maturitatem fructuum spatium pacto determinatur: et cum irrigatae plantae novae aliquid fructuum edunt, et expletur tempus irrigationis ante maturitatem eorum, particeps est irrigator omnium fructuum, qui editi sunt tempore irrigationis ipsius, cum ad maturitatem venerint; et hoc, licet post temporis rati complementum.

Canon quartus.

Irrigator solus debet peragere totum opus irrigationis: et si pacto se obliget dominus vineae ad iuvandum eum, non valet pactum. At si pacto conveniat dare servum suum, ut operetur cum ipso irrigatore, valet pactum, et debet stipulari de expensis servi, fiantne a domino ipsius, an vero ab irrigatore: et si de expensis non stipuletur, dominus ipsius debet sustentare servum suum: et si stipulet irrigator, ut conducat operarium, et a domino vineae sit merces eius, non valet pactum.

Elementum quartum.

Cum dicet dominus vineae irrigatori: tradidi tibi hanc vineam, et has arbores meas ad irrigandum, ut sit tibi fructus, aut quarta pars, aut quid-

piam aliud; et dicet irrigator: acceptavi, tunc rata est irrigatio. Et similiter: cole hanc vineam meam ut sit tibi fructuum dimidium, et dicat: acceptavi, confirmatur. Et quidem necessario debet acceptare irrigator, alias non confirmatur. Et si dicat: locavi tibi opus ut dimidium consequaris, non est rata dictio: at si fuerint fructus, qui eruperint, fieri potest, ut statuat ei nomine locationis aliquid ex pretio fructuum; antequam vero erumpant, minime.

SECTIO II.

De confirmatione irrigationis; cui sunt canones tres.

Canon primus.

Omne opus per quod iuvantur fructus, et quolibet anno geminatur, veluti est irrigatio, et aratio terrae, et amputatio arborum, et purgatio paleae noxiae, et emundatio putei aquarum, et irrigationis apparatus, irrigator debet de proprio perficere. Et non debet dominus arborum illum adiuvare in ulla re: opera autem, quae non quovis anno duplicantur, sed quorum semel aliquoties peractorum ad annos manet utilitas, puta aedificium murorum, boves, et asinos qui hauriunt aquas, et constructionem organorum, quibus hauriuntur aquae, et foveam aquaeductuum recentium, et constructionem fistularum novarum, haec irrigator perficere haud debet, sed dominus arborum. De mercede autem custodis, et sepe fissurarum, quae fiunt in parietibus, dissident auctores; aliqui dicunt, irrigatorem debere perficere more loci usitato; aliqui autem dicunt, quod merces custodi debeatur ab ambobus, et seps fissurarum a domino arborum.

Canon secundus.

Cum aegrotat irrigator, et non potest mercede conducere hominem, qui operetur pro eo, neque tamen recusat irrigationem, debet dominus arborum significare episcopo, ut ipse mercede conducat aliquem cum debito (*credito*) qui operetur. Et cum aderunt fructus, solvat debitum. Et si dominus arborum operetur, aut mercede conducat aliquem, ut operetur absque iussu episcopi, aut irrigatoris, ex proprio, et non ex parte irrigatoris, solvat mercedem alieno, qui operatus est; et irrigator integram accipiat partem suam. Et si fugerit irrigator ante perfectionem operis, nihil ei debetur ex fructibus, cum redit, sed solum merces operis sui, quod operatus fuerat.

Canon tertius.

Cum accusaverit dominus arborum irrigatorem de furto, quamdiu non confirmat suam accusationem, verbum irrigatoris recipitur, cum dicit: non sum furatus: siquidem non fuerint domino arborum testes, quod ille furatus sit, ita ut dolose agere videatur. At si habeat testes, potest constituere cum illo aliquem, qui ipsum custodiat, ne furetur, et merces custodis ex parte sit irrigatoris. Et si cum non habeat testes, voluerit constituere custodem, ex propria sua portione mercede conducat custodem.

Canon quartus.

Cum moritur dominus arborum, non abrogatur irrigatio irrigatori; sed heredes illius tenentur ad id, quod statuit ille mortuus. Et cum irrigator

moritur, et relinquit hereditatem, debet heres perficere irrigationem, et accipit partem irrigatoris: quod si non relinquat hereditatem, si voluerit heres eius perficiat irrigationem, et si noluerit, non perficiat, neque vi adiagtur.

Canon quintus.

Cum aliquis occupat vineam hominis, eamque dat irrigatori colendam pro dimidio fructuum, utique si possit dominus vineae suam vineam liberare, licet ei dimittere irrigatorem, illumque eiicere, quotiescumque voluerit, et mercedem laboris ipsius tantummodo ei det. Et si quid e fructibus praesumpsit irrigator in computum suae partis, aut perdidit, potest dominus vineae illum damni reum agere, et ab eo restitutionem sibi petere: de eo autem, quod raptu accepit ex fructibus, aut perdidit, ipse raptor postulatione compellitur, et solvit, et non irrigator pro eo.

Canon sextus.

Cum litigant dominus arborum et irrigator de quantitate, quae constituta fuit de fructibus irrigatori, ambo adiurentur: dissolvitur autem irrigationis contractus, et merces laboris sui solum adiudicatur irrigatori, et omnes fructus domino vineae, uti ostendimus in modo secundo mercaturae alienorum.

CAPUT XXVIII.

De cultu terrarum desertarum.
Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De confirmatione potestatis in terras desertas.

Directio.

Terram desertam illam, cui non est dominus specialis, dicimus: itaque illius fit, qui eam colit. Sex autem qualitatum desiderium terram desertam efficit; quarum si vel una adsit, terra haud deserta est.

Qualitas prima.

Aedificium. Itaque terra, in qua aedificium aliquod existit, aut signum aedificii diruti, haudquaquam deserta est; sed debet servari heredibus domini sui, si compareant; alias ecclesiae sit, et non cuilibet, qui illam colit. Quemadmodum etiam facultates illius, qui periit, in ecclesia servantur, donec compareat ipse, aut heres eius; alias ecclesiae fiunt.

Qualitas secunda.

Platea, quae est circa quodlibet oppidum, aut civitatem, idest locus, in quo currunt greges equorum, et ludunt pueri, et procumbunt cameli, et congregantur oves, cum exeunt ad pascua, et redeunt, haudquaquam deserta est, neque ullus homo potest illam colere. Omni quoque aedi, quam ambit terra deserta, ius plateae debet inesse, in quam terra eius, et nix, et humor aquaeductus eiusdem proiiciuntur, et defluunt. Aedes autem, quae est in medio areae illius determinatae, debet habere plateam, si habeat spatium circa se; aliâs locus, qui ante ostium eius, est eius platea: et omnis dominus aedis potest circuire, et spatiatum ire per plateam suam, et quamvis laedatur per oblectationem eius vicinus ipsius, non potest eum impedire; nisi cum locus habitationis fuerit aedes eius, et faciat ex ea officinam concinnatoribus corii, aut balneum, aut tabernam fullonis, vel fusoris; tunc enim potest vicinus impedire eum: et si domum pistorum illam faciat, aliqui dicunt quod possit

vicinus inhibere eum, quia a fumo non consueto laeditur: et aliqui dicunt, quod non possit, eo quod vicinus, qui vicinum inhibet, ne aedem suam faciat balneum, aut officinam fullonis, aut fusoris, aut coriarii, non inhibet eum, quia laedatur ab illo, sed quia fundamenta et parietes aedes suae detrimentum patiuntur ex humore, et percussione malleorum: et patet quod ars pistoria (*coquinaria*) fundamenta, et parietes aedis vicinae non laedit, sed ipsum vicinum per fumum. Et siquis fodit puteum aquae in terra deserta, non potest alius in eius platea alium puteum fodere; sed debet recedere ab eiusdem platea, et deinde fodiet, ita ut non imminuantur aquae putei prioris ob puteum alium, qui foditur. Si autem terra deserta non fuerit, non ita se res habet, sed potest quilibet in aede sua fodere sibi puteum: quamquam reapse subtrahat puteus, qui innovatur ob obtinendam aquam, aquas puteis veteribus vicini sui.

Qualitas tertia.

Plateam, quae est circum ecclesias, et in qua perficiuntur genuflexiones in sollemnitatibus, in festis scilicet hosannarum, et resurrectionis, nemo potest excolere, aut in ea aedificium construere.

Qualitas quarta.

Bases, quae antea collocatae fuerint in terra deserta, illius, qui eas posuit, faciunt esse ipsam terram; verum cum eodem tempore curat illam colere, aut aedificare. Et si prius ponat aliquis cumulum lapidum in terra deserta, veluti signum, quo recurrente anno illam colat, aut aedificet, non confirmatur ei dominium in eam; sed aut colat statim, aut quilibet colet. Et an valeat vendere ius suum supra terram desertam, in qua antecedenter posuit signum, dissident auctores.

Qualitas quinta.

Cum rex dat operario alicui aut cultori terram desertam suam, illa erit eius, sive colat, sive non colat, et non poterit alius eam colere, nisi forte iussu ipsius.

Qualitas sexta.

Terra deserta, quae a regibus antiquis custodita fuit ad herbae germinationem, prata scilicet, et reliqua, quae sunt pascua gregis equorum, et ovium, et boum, ea absque cultu, et habitationis expertia debent conservari.

Directio.

Omnis ergo terra, in qua una ex his sex qualitatibus reperitur, haudquaquam deserta est, eo quod deserta illa sit, in qua nulla ex his invenitur. Possidetur autem deserta sic: siquidem nempe propter caulam exquiratur, cum aliquis sepe circumdat eam, et constituit ostium, possidet eam. Et si propter habitationem exquiritur, cum aliquis iacit fundamenta, et aedificat; et propter partem ex illa, possidet totam. Et si propter hortum exquiritur, cum aliquis adducit aquas, et construit aquaeductus, et sepit eam, ac ponit ostium, possidet eam. Quod si terra sit stillans, siquidem coerceat tantummodo aliquis aquas ab ea, possidet eam. Et si propter arationem exquiritur, cum arat illam aliquis, et complanat, ac colligit terram circa eam, possidet ipsam. Et aliqui dicunt, quod iussu politici (*praetoris aut principis*) tantummo-

do confirmatur dominium in terram desertam.

SECTIO II.

De utilitatibus communibus habitatorum.

Directio.

Usus communes (*publici*) incolarum in viis, ecclesiis, et xenodochiis esse dicuntur, quia in nullam harum rerum confirmatur dominium particulare. Itaque in viis, sive in campis, sive in plateis omnes homines, et iumenta possunt incedere, et homo potest sedere ad latus viae, verum ita ut non laedat in angustiis transeuntes per viam. Et ille, qui sedet in loco aliquo, qui sit in latere viae, siquidem sedeat sine scopo aliquo, postquam surrexit ab eo, non remanet ei dominium super ipsum: at si ad hoc, ut vendat aliquid, sedet in eo, ipsius specialiter fit; et si declinet ab eo nocte aut die, item una vel duabus diebus, cum revertetur, poterit removere illum, quem invenerit in eo sedentem, et dicere: meus est locus iste. At si diebus multis secedat ab eo, dum iter agit, aut aegrotat, quando redit, non licet ei removere illum, quem in eo invenit. Et ita cum mutat locum, ut in loco alio sedeat, tollitur dominium loci sui prioris.

Directio.

In ecclesia autem non siquis praecedit, stat, aut sedet, aut tenet locum aliquem, proprius ipsius efficitur locus ille: sed quoties non adfuerit, qui praecedat ipsum in gradu presbyteratus, aut diaconatus, aut doctoratus, aut aetatis, ipsius est: et cum aderit ille, debet, qui minor est, recedere, et ei, qui praestantior est, offerre. Et in xenodochio ille, qui prior sedit in loco aliquo, non removetur ab illo. At si multum mansit in eo, et venerint alii novi, et non inveniant locum quietis, potest oeconomus removere primum, et collocare novum. Et in cellis scholarum, cum discipulus aliquis prior sedit in una earum, non educitur ex ea, donec compleat suam eruditionem: et novi, qui venerint, si reperiant cellas vacuas, habitent; alias minime.

SECTIO III.

De utilitatibus provenientibus ex terris desertis.

Directio.

Utilitates, quae proveniunt ex terris desertis, aut substantiae metallicae sunt, aut aquae. Et substantiae metallicae aut manifestae sunt, aut occultae: manifestae, veluti sal, quod ex aqua coagulatur, aut ex monte secatur, aut v. gr. naphtas adhuc impurus; et saxa, ex quibus lapides molarii, et lagenae construuntur. Porro in similia nullatenus confirmatur dominium speciale alicui, sed quilibet potest suae indigentiae consulere; non potest autem supra suam indigentiam accipere, quo scilicet aliis vendat. Et cum ad latus salinae effodit aliquis puteum, in quo congregentur aquae, ut fiant sal, ipsum sal est domini putei: eo quod similis sit illi, qui ex salina sal acceperit, et in peram suam posuerit. Et in occulta, veluti aurum, et argentum, confirmatur dominium illi, qui effodit ipsam terram, et detegit

ipsam substantiam, quae in ea latebat: et quia labore maximo eget simile opus, reges consueverunt conducere operarios ad effossionem, et sic ipsorum efficitur proprietas.

Directio.

Aquae aut communes sunt, aut speciales, aut mediae. Et communes quidem sunt illae, quae nullius opere producuntur, uti Euphrates et Tigris, et cetera flumina, quae sunt in mundo: nam ad huiusmodi aquas quicumque accedit, et seducit sibi a flumine aquaeductum, et adducit in terram suam, ipsius specialiter fiunt aquae canalis. Quod si litigent domini terrarum de aquis canalis, primum dominus terrae superioris necessitati suae prospiciat, et deinde quod superfuerit eius necessitati, erit domino terrae inferioris: et si e superiore nihil residuum erit, inferiori nullum penitus ius convenit: et ius quidem praediorum quod attinet ad aquarum deductionem usque ad extremum solae norunt leges. Aquae vero speciales illae sunt, quae in cacabo, et vasis reliquis repositae sunt; et manifestum est, quod illae sint dominorum vasorum, qui non debent eas dare gratis: et quamvis in necessitate sit ille, qui petit, attamen si accipere volet, emptio quidem ac venditio aquarum huiusmodi pretio fiant.

Directio.

Aquas medias, aquas putei, et illos canales, qui sub terra latent, dicimus, quique fluxu suo similes sunt aquis fluminum; sed quia opere, et labore facti sunt, ideo aquis vasorum assimilantur. Itaque ille, qui foveam aliquam facit, et educit aquas, ut iumentum suum potet, post suae indigentiae expletionem, non potest inhibere alios ab iis, quominus potent; contra ac ille, qui implet aqua lagenam suam; is enim post expletionem suae indigentiae potest impedire, ne alii bibant. Et ille, qui effodit puteum, ut suus proprius privatusque sit, potest constituere super eum seras, et non concedere aliis, ut utantur: itidem ille, qui construit canales, et attrahit aquas ad terram suam. Et cum multi adsociantur, et construunt canales, atque fluunt aquae simul, inter omnes dividantur per tabulas ligneas, aut lapideas, quae pertusae sint foraminibus aequalibus iuxta morem.

CAPUT XXIX.

De mercenaria conductione.

In eo sunt sectiones quinque.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Mercenariam conductionem, actionem esse legitimam, a Domino nostro didicimus: homo enim paterfamilias exiit mane, ut conduceret operarios in vineam suam, pacto autem convenit cum operariis ex denario diurno etc. Elementa porro eius tria sunt: dictio: merces: utilitas.

Elementum primum.

Dictio. Cum dixerit ille, qui locat: locavi tibi hanc aedem: et respondeat ille, qui conduxit: acceptavi, aut conduxi; confirmatur mercenaria conductio. Et si ille, qui locat dicat: tuam feci aedem hanc meam per unum mensem aut annum; non est rata conductio, nisi certe mutet dicens:

tuum feci usum aedis huius meae. Et ita si dicat ille, qui locat: vendidi tibi hanc aedem mense uno, aut plus, vel minus; non est rata conductio, neque iusta conditio, nisi mutet, et dicat: vendidi tibi usum huius aedis per unum mensem.

Elementum secundum.

Merces; et huic tres canones.

Canon primus.

Merces certa esse debet: itaque ille, qui aedis suae mercedem constituit eiusdem ornatum, rata res non est, quia ornamento non est certa quantitas mercedis.

Canon secundus.

Pars continua rei non venalis non venditur, et propterea non est ratum, quod furfurem tritici constituat aliquis mercedem molendini molario; neque pellem cadaveris mortui homini qui fert et educit ipsum extra habitationem, neque rursus ovis illi qui detrahit eam; sed postquam separatae fuerint partes istae, possunt dari mercedis nomine iuxta pretium earum. Pars autem servi infantis, qui lac sugit, potest dari merces mulieri lactanti, et ita domina erit partis eiusdem servi. Sic et pars fructuum determinatur merces illi, qui carpit.

Elementum tertium.

Utilitas; et huic canones quinque sunt.

Canon primus.

Utilitas, cuius gratia determinatur merces, firma debet esse. Et propterea ratum non est, ut locet aliquis pomum, ut odoretur; neque supellectilem ei, qui vult ornare officinam suam; neque arborem ei, qui vult expandere super ipsam panniculum suum qui dealbatus fuerit, ut deinde colligatur; aut illi, qui vult sedere sub umbra eius. Et de cane, an ratum sit, ut conducatur ad custodiam, vel venationem, dissident auctores. Et illud, quod datur mediatori, qui verbo plano absque labore placitam reddit venditionem rerum mercatoris, per modum arbitrii, non autem mercedis, datur.

Canon secundus.

Utilitas usus, et non substantia, debet esse: et ideo arbores non locantur, ut accipiat, qui conduxit, fructus earum; neque oves, aut vaccae propter lac; neque admissarii, aut hirci, aut masculi specierum aliarum ob gravidandas feminas: mulier autem, ut lactet infantem, conducitur, eo quod lac mulierum non venditur instar reliquarum substantiarum lactearum; aquis enim, quae ex terra fluunt, simile est lac nutricis, quae mercede conducitur, ut enutriat, et lactet.

Canon tertius.

Utilitas, quae tradi possibilis sit, debet esse. Et huic quatuor sunt typi.

Typus primus.

Mutus non conducitur ad docendum, neque caecus ad dirigendum: sed neque idiota conducitur, ut doceat librum, quamvis promittat, quod addiscet, et deinde docebit.

Typus secundus.

Terra, quae non habet ius aquae ad irrigationem, non conducitur, ut seminetur, conducitur tamen ut inhabitetur. Aqua pluvialis in pactum non deducitur, eo quod voluntaria non sit illius irrigatio. Attamen terra, quae adiacens littori fluminis magni non caret aqua, quia ex profundo bibit, nihilominus conducitur. Nonnulli vero dicunt, quod mercede non conducatur, quia semper aut cooperta sit aquis,

aut expectet cooperiri. Et ita divisae sunt sententiae circa aedem plenam rebus, an possit mercede conduci, antequam evacuetur, an non: similiter circa terram, quae seminatur, num conduci queat ante tempus arationis, scilicet in hieme an non.

Typus tertius.

Aedes mercede non conducitur in annum venturum, quia si antea detur merces, absque fructu erit tempore suo. Sed et promissio est inanis, neque rata, ut conducat homo aedem duobus mensibus duabus mercedibus diversis; sed duobus mensibus conducat una quantitate continua mercedis. Et siquis dicat: mercede conduxi hunc asinum, ut vehar eo, per dimidium iter, non est ratum pactum. At si dicat: ut sedeam super ipsum usque ad locum talem, ratum est. At ratum est, ut homo mercede conducat dimidium asini, et dimidium sarcinae suae imponat ei deferendum; sicuti etiam dimidium aedis mercede conducit homo, et in dimidio eius alio habitat.

Typus quartus.

Impossibilitas traditionis legalis impossibilitatem traditionis naturalis imitatur. Itaque ratum non est, ut mercede conducatur homo, ut extirpet dentem molarem non laesum, neque ut amputet manum non male adfectam, neque ut infideles doceat libros divinos, neque ut doceat magiam, et proterviam, ac obliquitatem, vel fraudem, aut furtivam effractionem. Et ita mulier coniugata mercede non conducitur ad opus aliquod, et exercitium absque voluntate mariti sui: et potest mercede conduci a marito suo, ut lac det nato suo: at illud aequum est, quod si ab ipsa sit natus, non iustificetur ei merces; at si ab alia, quae obierit, antequam illa desponsaretur, iustificatur.

Canon quartus.

Utilitas illi, qui mercede conduxit, debet esse in integritate sua. Itaque siquis mercede conduxit asinum, ut super eum sedeat, ei qui locat, non est ratum *sedere super eum.* Neque ratum est fideli, cum sanus est, et absque necessitate, mercede conducere alium, ut oret pro ipso: at ratum est, ut mercede conducatur presbyter, aut diaconus, ut ministret in ecclesia, et fungatur pro fidelibus in iis, quae decent. Ratum rursus est, ut mercede conducatur magister, qui doceat doctrinas sanctas, et cantica spiritualia: et quidem vel una lectio, aut una stropha meretur mercedem *.

Canon quartus.

Utilitas nota esse debet, et distincta. Et ipsa distinctio tribus modis contingit.

Modus primus.

Conductio operarum. Itaque ille, qui conducit sarcinatorem, debet nominare panniculum, quem consui optat: aut dicat: conduxi te, ut suas una die: et ratum non est, si dicat: conduxi te, ut suas panniculum hunc die una. Similiter doctori, qui conducitur ad docendum, debet diserte nominari liber, aut numerus psalmorum, aut

* In margine: "quaeritur num liceat litteras docere filios Agarenorum, qui possent non „ docenti nocere. Iacobus quidem edessenus ait licere necessitate cogente. Ego vero adfirmo „ id prorsus non obesse vel fidei vel doctori, etiamsi Agareni impotentes ed iniuriam sint. „ Immo vero ex huiusmodi scholis multa bona multis provenire solent„.

canonum, aut hymnorum: vel certe definiatur ei tempus doctrinas docendi absque pacto librorum, vel codicum, aut numero psalmorum: et non debet doctor pacisci quod discipulum bene eruditum reddet, eo quod secundum intellectum suum eruditur discipulus magis, quam secundum laborem magistri. Et eum paciscitur de decem psalmis, aut decem hymnis, debet appellare illos nominatim, eo quod aequales non sint. Et ille, qui conducit nutricem, debet nominare lactentem, et tempus: et si propter casus aegritudinis lac non sugat infans toto tempore, non propterea debet minui merces nutricis.

Modus secundus.

Conductio terrarum. Et huic modo sunt quatuor typi.

Typus primus.

Quod propter habitationem aliquis mercede conducat terram. Itaque si aedes sit, aut officina, aut balneum, cum omnibus utensilibus suis debet intelligi, fere tali pacto: in balneo, quod conducitur, camera eius debet intelligi; et puteus, si quidem aqua eius hauriatur cum situla eius, et caminus eius, et sterquilinium eius; et canalis sordium eius ablutarum, et materia foci eius, si is ab illo, qui conducit, fiat. Et tempus conductionis pariter certum esse debet, unius anni, aut amplius: et apud nos quidem ultra quadraginta annos non debet conduci aedes, neque officina, neque balneum. Et cum terra conducitur ultra unum annum, non est necesse, ut merces cuiuslibet anni proprie determinetur, eo quod neque in conductione ad unum annum merces cuiuslibet mensis specialiter definiatur. Et cum dicet: locavi anno uno, annus primus explicatur ille ipse annus. Et cum dicet: locavi denario in quolibet mense, et non definierit quot mensibus, non est rata conductio.

Typus secundus.

Si dicat: locavi tibi praedium meum, ut eo utaris, quemadmodum volueris, potest ille, qui conduxit, in eo seminare, aut serere plantas, aut aedificare. Et si dixerit: locavi, et nihil aliud addiderit, non valet conductio. At aliqui dicunt, quod quamvis dicat: in eo semines, debeat nominare semen; quia terra, in qua seminatur milium, magis laeditur, quam illa, in qua seminatur frumentum.

Typus tertius.

Et si dixerit: locavi praedium, ut in eo semines, et si volueris, seras in eo plantas, typo secundo similis est resolutio eius. Et si dixerit: locavi tibi, ut in ea semines, et plantes, et non ostenderit, quantum seminet, et quantum plantet, dimidium seminet, et dimidium plantet.

Typus quartus.

Et si dicat: locavi tibi hoc praedium, ut struas in eo aedificium, debet ostendere modulum longitudinis et latitudinis terrae occupandae. Altitudinem autem aedificii in pactum deducere non debet; sed ille, qui conduxit, potest attollere quantum voluerit.

Modus tertius.

Conductio animalium. Haec quidem ad quatuor usus conducuntur.

Usus primus.

Sessio. Itaque ille, qui conducit iumentum, ut sedeat super ipsum, debet id inspicere; uti etiam ille, qui locat, debet videre illum qui sessurus est,

et cognoscere sarcinarum, quas secum iumento impositurus est, pondus et qualitatem. Praeterea quantitatem quoque drachmarum debet scire ille, qui locat. Et utrum lente, an velociter velit incedere, et quibusnam in locis mansurus sit, et hospitaturus. Si autem non statim velit incedere ille, qui conducit, sed post aliquod tempus, confirmatur conductio; et licet non videat iumentum, debet tamen convenire de specie illius, equusne sit, an mulus, an asinus, an camelus. Modus vero incessus sedentis in pactum non deducitur, scilicet ille, qui vocatur cursus, vel subcursus, aut saltus, aut chorea.

Usus secundus.

Sarcina. Et ipsa quantitas oneris nota debet esse ex statera, sive praesens fuerit, sive absens: et siquidem illam appendat manu sua ille, qui locat, vel etiam faciat coniecturam quantitatis eius, sufficit. Et locator potest appendere conductum mercatorem, libram v. gr. pondo circiter appendens. Si non paciscatur de specie animalis, potest ille, qui locat, appendere onera sua, et mercatorem, si velit, super camelos; et si malit, super asinos. Sed si sarcina fuerit vitrorum, ubi mercator voluerit, ibi collocari eam iubebit.

Usus tertius.

Haustus. Et ille, qui locat iumentum suum, ut hauriat ex aquaeductu aquas ad irrigationem terrae, quae seminatur, aut ad balneum, debet scire etiam profunditatem aquaeductus.

Usus quartus.

Aratio. Qui conducit bovem, aut asinum, debet hos videre. Et ille, qui locat terram, noverit utrum campestris sit, an vero montana, an a multo tempore deserta, nec ne. Et pactum arationis aut in dies fit, aut in iugerum: utrumque autem non fit simul, quemadmodum ostendimus in opere sarcinatoris.

SECTIO II.

De confirmatione conductionis.

Directio.

Conductio vero statuitur terminis consuetis, qui simpliciter proferantur secundum distinctionem utilitatum, quae triplici modo, ut diximus, fit.

Modus primus.

Actionis. Et in eo sunt canones duo.

Canon primus.

Ille, qui conducit terram, ut seminet, etiam ius irrigandi ipsam ei debetur, et hoc quamvis voce expressa non paciscatur: et ille, qui conducit sarcinatorem, ut suat, cum panno etiam licium debet tradere sarcinatori absque acu. Et nutrix, quae conducitur, ut lactet infantem, aut eum gestet, illum etiam consopire, ac alere debet. Et cum ad hoc, ut illum alat, conducitur, si lac habeat, etiam illum lactare debet, alias non. Et amanuensis, qui conducitur ad scribendum, chartam debet habere ab illo, qui conducit: sed atramentum, et calamum de proprio habeat amanuensis. Et tinctor, qui conducitur, ut tingat, de proprio habere debet pharmaca tinctionis; et id, quod ei datur pretii nomine, merces est.

Canon secundus.

Cum conducitur paedagogus, ut doceat puerum, quidquid hic obliviscitur, quando apud ipsum est in schola, debet iterum docere eum. Si autem

iam egressus puer, obliviscitur, non debet paedagogus illum docere, nisi cum alia mercede.

Modus secundus.

Aedium et praediorum duo sunt canones.

Canon primus.

Cum paries nutat, aut pons abrumpitur, ille, qui locavit, debet reficere, et non debet ille, qui conduxit, expensa gravari. At si pariete alio, aut ponte novo egeat domus, quae conducta est, et non constituit ille, qui locavit, non potest ille, qui conduxit, compellere eum ad constituendum, sed, si velit, habitet in ea domo, uti est; vel si malit, exeat. Et ita cum violenter diripitur domus, et possit ille, qui conduxit, eam liberare, si velit, liberet; et si nolit, minime. Et cum ille, qui conduxit, amittit clavim domus, quoties dolose id non acciderit, non debet solvere, sed ille, qui locavit, compellitur ad faciendam aliam pro ea. Et cum locat aliquis domum non habentem portam, neque aquaeductum, non debet facere ei portam, et aquaeductum, si praescierit ille, qui conduxit, quod domus iis careret.

Canon secundus.

Domum quidem a quisquiliis, et caminum a fuligine, et atrium a stercore ille, qui conduxit, debet purgare. Nivem autem e tecto ille, qui locavit, debet detrahere: et si non mundaverit, et ruat domus propter nivem, quae manet, et liquefit super tectum ipsius, si velit ille, qui conduxit, potest egredi ab ea, quin teneatur ad persolvendam mercedem. Et cisternam (*vel cellam subterraneam*), et lavacrum ille, qui conducit, debet mundare. Aliqui tamen dicunt, quod non, sed quod debeat ille, qui locat. Et liquet, quod exacto tempore conductionis, cum exit ille, qui conduxit, quin mundaverit cisternam, et lavacrum, non exigitur ab eo, ut purget, exigitur tamen, ut purget atrium fimo, licet mox sit egressurus. Et an possit impedire locator, ne conductor deportet in domum ipsius aliquid, cuius causa multiplicantur mures, et laeduntur fundamenta, ac parietes, dissident auctores aliquot.

Directio.

Et terris etiam tres sunt canones.

Canon primus.

Ille, qui conduxit terram, ut in ea seminet, etiam ius aquae ad illius irrigationem debetur ei. Quidquid vero pactum fuerit, attamen nonnisi iuxta morem irrigetur, et non quantum ille, qui conduxit, vult.

Canon secundus.

Cum completur *prothesmia* conductionis terrae, et adhuc seges non est collecta, si propter negligentiam conductoris mansit, potest ille, qui locavit, ipsam metere, et eiicere extra terram suam, et non compensare damnum illius, qui conduxit, ac seminavit: et si relinquat, et non metat, potest solutionem petere mercedis spatii illius, quod excedit tempus conductionis, ab illo qui conduxit: et si ob frigiditatem nimiam aëris manet, aut ob diuturnitatem pluviae, non potest ille, qui locavit, segetem metere, sed relinquat illam cum mercede. Et si eo quod nondum pluit, et viridis est, non fuit collecta, ac *prothesmia* conductionis expleta est; si seges ex iis seminibus fuerit, quae ad escam iumentorum, et equorum se-

runtur, potest ille ipsam metere, et non debet eam relinquere cum mercede. Ille vero, qui conducit terram, ut eam aedificet, aut in ea arbores plantet, cum perficitur *prothesmia* conductionis, unum e tribus debet eligere sibi ille, qui locavit; aut destruat aedificium, et eradicet plantas, et solvat damnum eius, qui plantavit, et aedificavit; aut relinquat aedificium, et plantas, et solutam accipiat mercedem suam; aut emat aedificium, et plantas ab illo, qui conduxit, et eius erunt; voluntatique ipsius relictum est quodlibet ex his tribus. Et si ut destruat, et extirpet, eligit ille, qui locavit; mercedem operarii, qui destruit, et extirpat, dominus aedificii et plantarum, idest ille, qui conduxit, debet solvere; et ille, qui locavit, damnum aedificii, et plantationis debet solvere illi, qui conduxit. En enim siquis habens panem, prohibet ab eo hominem fame laborantem, etiam violenter eripitur ei panis, verum soluto pretio.

Canon tertius.

Ille, qui conduxit terram, ut in ea seminet milium, potest pro eo triticum seminare: et non potest ille, qui locavit, eradicare semen tritici propter causam, quam diximus. At ille, qui conduxit, ut seminet triticum, non potest in ea seminare milium; et si seminet, potest ipsum eradicare ille, qui locavit, et proiicere ipsum gratis, scilicet quin solvat damnum seminanti.

Modus tertius.
Iumentorum. Et habet canones septem.

Canon primus.

Ille, qui locat asinum ad sessionem, debet praeparare clitellam, cingulum, capistrum; et ille, qui locat camelum, debet parare funem ex cannabe: ligna autem quae construuntur ad sessionem, tentorium quod obumbrat, et funem, ille qui conducit, idest qui sedet, debet parare: et qui locat equum, non debet parare ephippium: sacci autem, in quibus conduntur res, iuxta pactum initum parentur.

Canon secundus.

Ille, qui locat iumentum suum ad sessionem, debet ministrare tentoria, strata, et viatica illi, qui sedet: et non potest ille, qui sedet, quamdiu viatica sunt exigua, pro eis, nisi id, quod sufficit ei in via, cum pane addere.

Canon tertius.

Iter quidem lentum veloxve secundum consuetudinem, et secundum pactum sit; et ita descensus illius, qui sedet, ex iumentis, in locis arduis, quando ascendendum est. At aliqui dicunt, quod si nolit descendere e iumentis ille, qui conduxit ut vehatur, non compellitur ad descendendum, quia id ad moderationem attinet, quam exhibere velit, et non ad coactionem legalem. Et cum litigant de loco pernoctationis ille, qui conduxit, ac ille, qui locavit, si aestas est, in campo aut oppido oportet commorari, siquidem pax fuerit: at si hiems est, in oppido, sive pax fuerit, sive bellum.

Canon quartus.

Ille, qui locat, debet adiuvare illum, qui conducit, cum sedet, et cum descendit, potissimum si infirmus fuerit, aut senex, aut mulier: debet etiam ferre sarcinas eius si opus fuerit:

potest autem ille, qui locavit, obligare conductorem, ut recte sedeat super iumentum, et in eius dorso medio.

Canon quintus.

Siquis locavit iumentum suum, ut portet quinquaginta libras tritici, sacci quidem non pertinent ad computum quinquaginta: at si quinquaginta tantummodo dixit, etiam sacci computantur. Et ille, qui pactum iniit, ut iumentum suum portet triticum, non potest recusare quominus portetur hordeum, et viceversa. Et ferrum, et stamnum, et aes affinia sunt metalla. At ille, qui ferrum deportat, non debet deferre linum, neque viceversa.

Canon sextus.

Cum moritur iumentum conductum, cessat conductio, et non licet ei qui conduxit, obligare illum, qui locavit, ut aliud substituat pro eo; neque si substituat, potest obligare conductorem, ut illud recipiat: et id quidem, cum nominatim appellatur iumentum, quod conducitur. At si simpliciter locavit aliquis iumentum suum, potest aliud substituere ei, et debet conductor id recipere. Et cum appellat nominatim unum e iumentis suis ille, qui locat, non potest illud mutare in aliud, si nolit ille qui conduxit.

Canon septimus.

Ille, qui conduxit iumentum, cui insideat, potest alium hominem pro se, aequalem tamen sibi, imponere: mercenarius (*mercede conductus*) autem, et iumentum, et domus, quae conducta fuerit, non commutantur pretio. Pannus autem qui consuitur, et puer qui instituitur, et via, num commutentur in alia similia, an non, dissident auctores. Et ille, qui conduxit indumentum, ut eo vestiatur, non potest cum eo noctu dormire.

SECTIO III.

Quaenam debeat solvere ille, qui conduxit. Quaenam sint mercede conducibilia, et quae secus.

Directio.

Ille, qui conduxit, securus est toto tempore usus sui. Itaque cum corruit domus conducta ad habitationem, aut corrumpitur supellex conducta ad vestitionem, aut moritur iumentum conductum ad sessionem, quoties non agit dolose ille, qui conduxit, non debet solvere pro eis. Et ideo si iniuria percutiat iumentum conductum, solvit pretium eius, si moriatur. Et aliqui dicunt, quod cum manet iumentum apud illum, qui conduxit, ultra pactum conductionis, et non restituat ipsum domino suo, si moriatur, etiam absque percussione, debeat solvere pretium eius. Et id ratum est. Et ita ille, qui conduxerit iumentum ad insidendum ei in via, et ligaverit illud in stabulo, si hoc corruat super ipsum, et moriatur, solvit, eo quod si processisset in via, et eam bestiam non ligasset, haudquaquam mortua fuisset. At si ex alia causa moriatur in stabulo, non debet solvere. Mercenarius, qui conducitur ad subiugandum iumentum, aut consuendum vestimentum, aut coquendum panem, si quidem negligentia eius, aut ignorantia eius corrumpitur ex eis quicquam in manibus ipsius, debet solvere pretium dominis eorum. Si autem non negligentia ipsius, sed ob aliud nocumentum corrumpatur aliquid, non debet solvere. Aliqui vero dicunt, quod

si in domo domini iumenti, indumenti, vel panis, et coram oculis eius, corrumpatur, non debeat mercenarius solvere, dummodo non causa sui ipsius res corrupta fuerit: et excusationem afferunt dicentes: quod non debeat mercenarius solvere, quia neque cum perit ovis nocumento caelesti in campo, et quando proximus non erat ei, debet solvere. Similiter et mercator in via cum corrumpitur res tradita, non debet solvere. Verum propter mercenarios malos, ne ipsis fiat occasio rem subtrahendi, definivimus, ut solvat; fortasse enim res dominorum manet in manibus mercenariorum: atque ita hi cavebunt ne damnum solutionis patiantur: quemadmodum etiam propter iudices malos, et hypocritas dicimus, quod non possit episcopus sententiam proferre sine testibus, quamvis sciat veritatem rei, neque testibus egeat. Scopum autem sectionis huius consequuntur typi quatuor.

Typus primus.

Illi, qui dealbat vestem alicuius, aut radit caput eius, aut detergit ipsum, absque eo quod pacto convenerit de mercede, non debetur merces, eo quod ob silentium suum perdiderit mercedem suam. Nonnulli vero dicunt, quod licet voce non conveniat de mercede in huiusmodi operibus, attamen causa quotidiani hominum usus hisce in rebus, mentali veluti pacto merces stipulatur; et ideo debet ille, qui ministerio fruitus est, solvere mercedem ministerii ei qui sibi ministravit.

Typus secundus.

Fullo, si domi domini pannum coram oculis eius dealbet, et res corrumpatur, debetur ei merces operis sui, neque debet solvere pretium panni, qui corruptus est. At si neque domi domini pannus, neque coram oculis eiusdem corruptus est, debet solvere, ceu ille, qui propter utilitatem suam ipsum petiit a domino eius, scilicet, ut lucraretur mercedem operis sui. Itaque debet solvere pretium eius, quemadmodum capite XXII. de datione usus ostendimus. Merces autem non debetur ei, eo quod non conciliaverit emolumentum domino panni: cur enim recipiat aliquid ob id, quod non tradidit? At aliqui dicunt, quod reapse ratum est, nempe ut nihil solvat, neque solutionem accipiat, si dolose non egerit, neque negligens fuerit.

Typus tertius.

Ille, qui conduxit iumentum, ut deportet decem sata tritici, et imponat ei undecim, ac moriatur illud iumentum, debet solvere pretium eius domino ipsius. Similiter etsi domino ipsius det undecim sata, et dicat, illa esse decem, et dominus ipsius ferenda illi imponat, ac moriatur, debet ille, qui decepit solvere, siquidem ex onere sarcinae mortuum fuerit; at si ex alia causa moriatur, non debet solvere, sed mercedem tantummodo augmenti illius, quod ferendum imposuit per deceptionem. Nonnulli vero dicunt, quod unam partem solum ex undecim partibus pretii iumenti debeat solvere ille, qui decepit, si prae onere sarcinae moritur: at hoc ratum non est. Et similiter cum duo homines conducunt asinum, ut ambo simul sedeant super ipsum, si sedeat alius cum eis sine ipsorum voluntate, et moriatur asinus, unusquisque eorum tertiam partem pretii amittat. Et

aliqui dicunt, quod unusquisque iuxta onus suum amittat: at id ratum non est, nam homines non ponderantur. Aliqui vero dicunt, quod non: sed ille tertius dimidium pretii eius amittat; et ambo illi, qui conduxerunt, dimidium, quia ius habebant, ut ambo simul sederent.

Typus quartus.

Cum aliquis tradit sarcinatori pannum, ut ex eo faciat tunicam; ipse autem pallium conficiat, et litigent mutuo; videlicet dicat dominus indumenti dixi tibi, ut tunicam de panno faceres: et dicat sarcinator, quod non, sed pallium dixisti ut consuerem tibi; illud firmum est, ut verbum domini indumenti recipiatur, cum iurat, eo quod ipse magis norit, quid ipse dixerit. At alii dicunt, quod non, sed verbum sarcinatoris recipi, eo quod iamdiu dominus indumenti concrediderit ei curam indumenti sui; et cum iurat dominus indumenti, manifestum est, quod non debetur merces suturarum sarcinatori, sed debetur ei pretium, eo quod magis valeat tunica, quam pallium: non tamen pretium, quod valet pannus integer prae scisso.

SECTIO IV.

De accidentibus, quae irritant conductionem.

Directio.

Tribus casibus cessat conductio.

Modus primus.

Exiguitas utilitatis ex re, quae conducitur, ob vitium, quod ei accidit, sive domus sit, sive iumentum, sive operarius, sive res alia. Et huic modo sunt tres typi.

Typus primus.

Ille, qui conducit iumentum, ut super illud sedeat in via, si deinde aegrotet, nec possit incedere, debet solvere mercedem iumenti, eo quod non ex parte iumenti defecerit utilitas, proveniens ex illius sessione. Et ita ille, qui conducit balneum, neque possit succendere ipsum: et ita ille, qui conducit officinam coqui, deinde recuset, aut non possit coquinariam exercere, rerum harum mercedem debet.

Typus secundus.

Cum tremit paries domus, potest conductor dissolvere conductionem, et ex ea egredi, ita tamen nisi properet dominus eius domus, ut illam congrua reparatione restauret. Si autem nolit exire, et maneat, etiamsi tremit paries, totam mercedem debet pendere, et non potest quidquam diminuere propter tremitum.

Typus tertius.

Ille, qui conduxit terram, ut in ea seminet, si postquam seminavit eam, corrumpatur semen prae glacie, aut grandine, aut tempestate, totam mercedem debet solvere, eo quod semen haud terrae causa corruptum fuerit: at si terra prius corrupta fuerit, quam seminetur, nihil debet.

Modus secundus.

Cessatio totius utilitatis. Per mortem scilicet iumenti, quod conducitur, aut operarii, qui conducitur, cessat conductio. Verum merces eius, quatenus operatum est iumentum, aut operatus est operarius, iuxta quantitatem temporis famulatus debetur domino iumenti, et heredi operarii. Et modus hic habet sex typos.

Typus primus.

Cum corruit aedes, quae conducta fuerat, cessat conductio: et cum deficiunt aquae irrigationis terrae, quae conducitur, ut seminetur, si voluerit ille, qui conducit, in ea seminet cum tota mercede, et non potest quidquam diminuere ob defectum aquarum: et si nolit, eam deserat. Et modi isti ambo distincti sunt, eo quod aedes, quae corruit, haud manet aedes; et terra, cuius aquae defecerunt, non ideo non manet terra.

Typus secundus.

Cum moritur infans, cuius nutrix conducta fuerat ad eum lactandum; aut puer, ad cuius institutionem magister conductus fuerat; aut corrumpitur pannus, qui conductus fuerat, ut vestis aliqua ex ipso fieret; illud firmum est, quod nemo ex eis possit obligare socium suum, si nolit, sed cesset conductio.

Typus tertius.

Cum diripitur aedes conducta, cessat conductio, et non debet conductor decertare cum illo, qui diripuit, eamque liberare, sed dominus eius debet illam liberare.

Typus quartus.

Cum fugit camelarius una cum camelis, quos locavit mercatori, cessat conductio, si camelos illos diserte conduxit mercator: at si non ita, sed simpliciter suscepit in se camelarius officium appendendi ei sic, et sic pondera, potest episcopus mutuas accipere drachmas pro camelis, qui fugerunt, et dare mercatori, ut conducat sibi camelos, et appendat sarcinas suas. Et cum redierit camelarius, solvet. Et si camelarius solus fugiat, et relinquat camelos suos, debet mercator indicare episcopo, et ab eo facultatem obtinere ad faciendas expensas pro camelis; et solutionem accipiet a camelario, quando aderit: et si in via fugiat, licet absque iussu episcopi expendat, solutionem percipiet.

Typus quintus.

Ille, qui conduxit iumentum, et custodit ipsum penes se, debitor est mercedis, quamvis illud non exerceat. Et ille, qui locavit, si ipsum custodit, et non tradit illi, qui conduxit, cessat conductio; presertim si non definivit tempus tradendi, et non tradendi; nam si tempus definitum non fuit, si petit ipsum mercator, et non tradit locator, cessat conductio.

Typus sextus.

Iam diximus, quia per corruptionem eius, quod conductum est, cesset conductio: addimus iam, ac dicimus, quod quamvis ab eo, qui conduxit, corrumpatur, cessat conductio: verum debet ille, qui conduxit, solvere pretium rei, quam conduxit, licet mercedem eius solvere non debeat: nam mulier quoque, si amputet naturam viri sui, cessat ipsius coniugium ob illam amputationem; attamen debet ob amputatum membrum poena multari.

Modus tertius.

Ut a lege irritetur emolumenti persolutio; veluti cum homo conducitur ut extirpet dentem male affectum; si quiescat dolor, et non egeat ille, qui patitur, illius evulsione, cessat conductio. Et hic modus habet tres typos.

Typus primus.

Tutor pupilli, cum locat aedem,

aut praedium pupilli ad aliquod tempus, si augeatur pupillus, et perveniat ad aetatem puberem ante complementum temporis, quod conventum fuit, cessat conductio. Toto tempore, quod subsequitur pubertatem suam, potest uti domo sua, aut praedio suo: toto tempore autem, quod antecedit pubertatem suam, manet conductio.

Typus secundus.

Ille, qui locavit servum suum, si libertate donet eum ante complementum temporis conductionis, ipsa liberatio rata est, conductio tamen non cessat; verum potest liberatus ille resumere mercedem temporis libertatis suae sibi ipsi a domino suo.

Typus tertius.

Siquis locavit aedem suam, et deinde vendat eam alteri ante exactum tempus conductionis, aliqui dicunt, quod venditio non valeat, at nos illam approbamus: et debet emptor expectare usque ad consummatum tempus conductionis, et tunc traditam accipiat. At si contingat, ut cesset conductio aliam ob causam, tunc dubitant aliqui, cuinam sit danda merces temporis reliqui usque ad complementum pacti, emptori ne an venditori: et illud ratum est, quod emptoris sit, quia conductio impediebat eum quominus acciperet rem emptam suam, et ea sublata est.

SECTIO V.

De promissione mercedis inventoribus rei perditae.

Directio.

Et hic modus habet quatuor elementa.

Elementum primum.

Dictio: veluti si dicat aliquis: qui inveniet, et restituet mihi asinum meum, aut bovem meum, aut servum meum, qui periit, aut faciet opus tale, verum legitimumque debitorem me constituo ei denarii, aut drachmae, aut alterius rei. Quicumque ergo audit, et perficit, ius habet ad denarium, aut drachmam. Et si non promittat dominus rei perditae quidquam, non debet dare quidquam illi, qui invenit, et restituit ei rem suam perditam. Similiter si promissor frigeat, siquidem inventor non audierit promissionem eius, nihil debetur ei. Et ita si quis peregrinus adfirmet lingua eius, qui perdidit, quod promiserit denarium illi, qui invenerit servum ipsius, qui revera tamen nihil promiserit, nihil debet neque ipse, neque ille peregrinus ei, qui invenit. Sed si dixerit ille peregrinus: qui invenerit servum talis, recipiet denarium, debet ipse solvere, quia dixit.

Elementum secundum.

Ille, qui promittit, perfecta aetate debet esse, neque interdictus administratione bonorum suorum; et ille, qui invenit, congruens inventioni tantummodo debet esse.

Elementum tertium.

Ipsum inveniendi opus debet quis nosse quantum sit: nam qui v. gr. dicit: siquis invenerit asinum meum, dabo ei denarium, ignorat quantus futurus sit inveniendi labor.

Elementum quartum.

Ipsa merces nota esse debet quo ex genere facultatum sit; et hoc habet typos tres.

Typus primus.

Cum dicit ille, qui Edessae versatur:

qui reddet servum meum ex Sarug, dabo illi denarium; et reddat illum aliquis e medio viae, medium denarii debetur ei. Si tamen e regione valde longinqua a Sarug reddiderit eum, non debetur ei aliquid amplius.

Typus secundus.

Cum dicet : qui restituet equum meum, dabo ei denarium; si duo homines illum reddant, unusquisque eorum dimidium denarii accipit. Et si homini particulari dicat, scilicet: tu, Petre, si reddes mihi equum meum, tibi dabo denarium; deinde Paulus cum Petro communicet in inventione; si dicat Paulus, ego adinvando invi Petrum, totum denarium accipit Petrus, et Paulus nihil accipit. Et si dicat Paulus: ut acciperem partem cum Petro, circuivi cum eo; Petrus quidem dimidium denarii accipit, et Paulus rursus nihil: ita dimidium denarii ille, qui perdidit, lucratur.

Typus tertius.

Cum dicet alicui: si restituas equum meum, do tibi denarium; et cum dicet alteri similiter: si reddis tu, do tibi denarium; si ambo reddant equum, dimidium denarii debet cuilibet eorum, et non denarium. Et si uni eorum denarium promittet, et alii donum simpliciter; si ambo reddant equum, ille, cui promisit denarium, dimidium debet accipere, et ille alius mercedem laboris sui. Et huius quidem operationis quatuor sunt canones.

Canon primus.

Ille, qui promittit, potest solvere, et irritare suam promissionem; verum antequam incipiat inventor diligentiam adhibere. Si autem postquam coepit, et antequam perficiat, vult irritare, mercedem laboris eius debet ei dare; et postquam absolverit, idest invenerit, totum id, quod promisit.

Canon secundus.

Ille, qui promittit, potest addere, et diminuere, et verbum eius ultimum recipitur. At mercenarius si non audierit promissionem diminutam, quae postremo facta est, et primam promissionem amplam solum audierit, ac propterea invenerit, nihil omnino ei detrahatur.

Canon tertius.

Mercenario nihil omnino debetur, nisi postquam absolverit opus suum. Itaque si invenerit equum, eumque adduxerit ad portam domini eius, deinde fugiat, aut moriatur antequam tradatur domino suo, nihil debetur ei.

Canon quartus.

Cum dicet mercenarius: decem promisisti: et dicet dominus: non, sed quinque; aut cum dicet dominus non propter hunc equum, sed propter alium promisi tibi decem; et dicet mercenarius: minime, sed propter hunc: aut dicet dominus: tu non adduxisti eum, sed ipse sponte venit; in omnibus istis, si non adsint testes pro mercenario, verbum domini recipiendum est, si iuraverit.

CAPUT XXX.

De inventione.

In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

Tria sunt elementa eius: inventio: inventor: et res inventa.

Elementum primum.

Inventio est acceptio quaedam e bonis perditis, ut eam custodiat inventor anno uno, et post annum confirmatur dominium eius super eam, sed debitor est domino eius, quotiescumque innotuerit. Et aliqui dicunt, quod omnis, qui invenit aliquid, necessario debet illud accipere, et custodire. Et alii dicunt: quod si sciat, illam rem omnino perituram, si illam non accipiat, debeat illam accipere; secus vero nequaquam. Et cum accipit, debet significare aliis hominibus, idest testes advocare sibi ipsi, quod invenerit talem rem, et debet aliquod e signis eius indicare, et non omnia, ne eum audierit homo non fidelis, dicat suam esse, et det signa, cum res propria ipsius non sit.

Elementum secundum.

Inventor ex illis, qui excesserint pueritiam, debet esse, licet infidelis sit. Itaque si puer aliquis invenerit, potest episcopus accipere rem ab ipso, et custodire eam, si innotescat illius dominus; secus ecclesiae sit. Et aliqui dicunt, non posse episcopum accipere rem, eo quod, si perierit, debeat illam solvere, et episcopus non debet solvere; itaque qnod sit in manibus eius, magis utile est domino ipsius. Et servus cum invenit aliquid, si perdat illud, potest dominus illius rei vendere servum, et suum recuperare ex pretio illius; et si non sufficit pretium servi, non potest in alia re damnum inferre domino servi. Et dominus servi potest obligare episcopum, ut accipiat de manibus servi eius id, quod invenit, ut custodiat illud penes se, et ita damnum non patietur per venditionem servi sui. Puer autem parvus cum invenerit aliquid, debet curator eius illud ab eo accipere, et custodire usque ad adultam aetatem eius, et deinde res ipsius erit, si non comparuerit dominus. Et ita daemoniacus, et ipse puer, si perdit aliquid, quod invenerat, debet solvere, si non animadverterit curator; verum si animadverterit, et non apud se acceperit, ipse curator de suo debet solvere, et non puer. Et si nocumento caelesti periit, non debet solvere nec puer, neque curator.

Elementum tertium.

Cum res ab incola regionis inventa, ex illarum numero fuerit, quae possunt perire, spectandum est utrum in loco periculi, an extra inventa sit; v. gr. ovis, aut pullus asinae, aut natus cameli, debet accipi per modum inventionis, et anno custodiri, donec fortasse veniat dominus eius, et ipsum accipiat: secus illius, qui invenit ipsum, erit. Hinc patet animal relictum in loco, ubi non sit rapax lupus etc. non debere accipi, sed relinqui, ut dominus eius inveniat ipsum.

SECTIO II.

De quatuor inventionis canonibus.

Canon primus.

Inventor si animo custodiendi domino ipsius simpliciter acceperit rem inventam, si haec corrumpatur, non debet solvere quidquam eius domino; tunc enim instar depositi extitit apud ipsum: et si animo statim dominium in eam sibi acquirendi accepit illam, debet solvere, si corrumpatur; et si animo, post annum, si non compareat dominus eius, dominium in eam sibi vindicandi, accepit eam, si

ante annum corrumpatur, non debet solvere; at post annum solvit: et si indistincte accepit eam absque aliquo proposito, episcopus observet speciem eius, et cognoscat, utrum speciem servi habeat, et quantum sederit super asinum, aut onus deferendum imposuerit. Fideiussor est, si res corrumpatur.

Canon secundus.

Inventor debet notum facere, quod rem talem invenerit, et eum re, quam invenit, locum, in quo invenit, an habitatus fuerit; et si forinsecus invenit, cum redit ad habitatum, notum faciat: et aliquem e rei modis, non tamen omnes dicat: et mercedem eius, qui notum facit, hoc est praeconis, et expensas rei inventae, si v. gr. pullus fuerit, inventor non debet amittere; sed pars eius, si possibile est, vendatur ob illum enutriendum. Et aliqui dicunt, quod non vendatur pars illius, eo quod si moretur dominus eius, inventor illum comedet, quoniam illius, qui invenit ipsum, proprius fit. Nam etiam cibus, eius qui invenit, fit. Potest itaque ipsum ostentare, et notum facere, et si comparuerit dominus eius, solvat pretium eius. Et ita si pecus fuerit perditum, et inveniatur, nec aliter possit conservari, alat ipsum inventor: et ita omnia, quae custodiri possunt. Nonnulli vero dicunt, quod potius iussu episcopi, si adfuerit, vendat id inventor, ac pretium eius custodiat, eo quod haudquaquam custodiri possit.

Canon tertius.

Post annum, si non comparuerit dominus, confirmatur dominium inventoris in rem inventam, nisi consilio doloso ipsum acceperit, idest ut absconderet ipsum.

Canon quartus.

Cum innotescit dominus, inventor debet rem inventam illi restituere, quando adhibitis testibus piis confirmaverit illam suam esse. Quod si testes non habeat, det autem signa multa et vera, tum potest accipere. Et aliqui dicunt, non esse fidendum signis, eo quod fieri possit, quod ab alio, qui eam vidit, discat, et intelligat ea. Itaque cum accesserit aliquis, et dederit signa, et acceperit rem inventam, quae sua non sit; deinde compareat dominus eius verus, si non adfuerit, qui illam accepit inique, potest ab inventore damnum repetere, et suam rem ab eo sibi restitui iubere; et hic vicissim, sibi reparari iubeat, quod pertulit damnum ab illo iniquo, nisi antea notum fecerit, ac confessus fuerit, suam esse eam, cum tradidit ei: et si confessus fuerit, non potest accipere ab eo quidpiam, sed detrimentum patitur absque spe compensationis. Et si adfuerit, ab ipso iniquo dominus ipsius eripiat. Et si corrumpitur res inventa post annum, pretium eius, quod valebat in fine anni, debet inventor solvere domino eius, si comparuerit, non secus ac si servata res fuisset. At si vitium novum in re fuerit, postquam ipsius dominium habuit, scilicet post annum, ipsam cum vitio eius debet tradere domino ipsius. Et liquet, quod si ante annum, scilicet antequam dominium eius habeat, fit in ea vitium, uti est eum vitio suo tradit eam domino ipsius, et inventor non potest petere a domino eius ius inventionis rei perditae.

CAPUT XXXI.

De infantium, et puerorum inventione.

In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

De elementis, et canonibus eius.

Directio.

Tria sunt huius inventionis elementa: ipsa inventio: res inventa: et inventor.

Elementum primum.

Inventio huiusmodi est susceptio infantis perditi, et alimento carentis. Quod autem sit actio pia, constat ex eo, quod a perditione praeservat talem. Porro testimonio confirmanda est huiusmodi susceptio. Itaque ille, qui suscepit, quin testes inducat, fieri haud potest, ut recipiatur ab eo infans, nisi recte educet eum.

Elementum secundum.

Ipse infans careat sustentatione opus est: secus si habeat patrem, aut matrem, aut consanguineum, non potest alienus suscipere eum: et ita ille, qui perfecta aetate est non recipitur; ille, autem qui aetate (*quidem, sed non intelligentia perfecta est recipitur*). Aliqui tamen dicunt, quod non recipitur; et id ratum est.

Elementum tertium.

Accipiens liber et perfecta aetate debet esse. Itaque servus non potest accipere, nisi forte iussu domini sui: et infidelis natos infidelium tantummodo potest accipere; et in qua re innotescat fides, postea ostendemus. Fidelis autem potest ipse etiam natos non fidelium derelictorum accipere. Similiter etiam prodigus non potest accipere, et si accipit, recipitur ex eo. Et ille, cuius manifesta non est pietas, neque prodigalitas, potest accipere, sed non potest transferre acceptum de regione in regionem, sed ab episcopo arcetur, donec ostendat pietatem suam. Et inops potest accipere, nam Deus est, qui alit. Et cum duo contendunt inter se, quis eorum accipiat, diviti adiudicatur acceptio. Et si pares fuerint, qui est civis, accipit; cum talibus enim magis convenienter consulitur vitae infantis. Et mulier non praeponitur viro, quamvis in educatione nati mater praeferatur patri. Et si in omnibus pares fuerint, sortes mittant. Et si puer ipse ad unum ex tollentibus declinet, et velit apud ipsum esse, non recipitur declinatio eius. At si declinet ad unum e genitoribus suis, patrem, aut matrem, recipitur declinatio eius, eo quod genitores suos cum experimento eligit; at tollentes ipsum, absque experimento.

Directio.

Canones inventionis duo sunt: educatio, et expensa. Itaque ille, qui accipit infantem in civitate, non potest illum deferre, et educare in pago. E converso autem potest ex civitate in aequalem civitatem, aut ex uno pago in pagum aequalem transferre eum: si in deserto invenerit eum, potest transferre quô volet ipse inventor. Expensa autem e bonis infantis debet esse; si quidem habeat bona: et si bona sua sint illa, quae addicuntur in testamentis infantibus proiectis, aut legati nomine aut donationis; aut inveniantur posita cum ipso ab illo, qui proiecit eum; si aut equus, aut animal aliud fae-

rit ligatum apud ipsum, aut prope ipsum, aut fuerit in aede, cuius non sit dominus eertus; ipsius quidem fit; et si subtus infantem fuerit abscondita pecunia, non ipsius censetur; sed si charta reperiatur apud ipsum, in qua scriptum sit, quod ipsius sit, inventor eiusdem, iussu episcopi debet e bonis eius expendere pro eo. Et si non sit pecunia infanti, non debet inventor eius ex proprio expendere pro eo, sed ex ecclesia, nam ipse educationem tantummodo ei debet.

SECTIO II.

De canonibus fidei, et libertatis, et affinitatis inventi.

Canon primus.

Fides infantis, qui invenitur, ex quatuor dignoscitur. Primo ex eo, quod si intelligat, signa det fidelium propria, et conversationis eorum. Secundo ille cum adoleverit, voluntati eius relinquatur ex quibus esse velit. Tertio ut confessioni illius, qui eum proiecit, coniungatur confessio ipsius, quod illum, qui generavit eum, imitetur. Certe si pater eius cum ipso sit, aut mater eius, confessioni eorum debet coniungi confessio ipsius. Quarto locus, in quo invenitur. Itaque, qui in porta ecclesiae reperitur, aut in domo christianorum invenitur, christianus est, et e converso. Ceterum etiamsi in porta ecclesiae inveniatur, si infidelis homo possit confirmare, quod ipsius natus sit, potest eum sumere, et instar eius non fidelis erit.

Canon secundus.

Inventus cum delinquit in hominem, antequam promoveatur ad puberem aetatem, ecclesia solvit mulctam delicti eius. Et si in ipsum delinquatur, ipsius, et non ecclesiae, erit mulcta.

Canon tertius.

Cum accesserit vir, et dixerit: hic infans, qui inventus est, natus meus est; admittitur verbum eius, licet fuerit servus, eo quod non sit, qui possit illum mendacem convincere. Et si mulier sit, quae dicat: natus meus est: non recipitur verbum eius, nisi consenserit ei maritus eius: at si vidua sit, recipitur verbum eius. Et eum duo litigant, et quisque eorum dicit: natus meus est: non praefertur fidelis infideli, sed omnes aequales sunt in hoc iudicio: et ille, qui confirmat verbum suum, accipit eum: et si ambo una confirment, ei ex ipsis, quem episcopus elegerit, traditur infans, donec adolescat, et voluntati ipsius relinquatur electio; fervendo enim fervet sanguis ex amore naturali consanguineorum, et veritatem circa haec tandem aliquando detegimus. Postquam vero incaluerit erga unum ex eis, si deinde poscat illum alterum, non recipitur verbum eius, eo quod fervor primus naturalis sit, secundus autem accidentalis.

Canon quartus.

Quod ad libertatem attinet, quamdiu de servitute aliquis illum non accuset, liber est. Et cum moritur, si quid possidet, ecclesia heres fit; nam et mulctam delicti eius ecclesia solvit. Et si quis illum servum suum esse accuset, si in manu eius non sit, non recipitur verbum eius, nisi confirmaverit, quod ancilla ipsius genuerit

eum, et proiecerit eum, ac ipse acceperit illum. Et aliqui dicunt, quod omnis, qui invenit infantem, et accipit eum, ac dicit, ipsum servum suum esse, confirmatur dominatio eius super illum: nam etiam ille, qui invenit supellectilem, ac dicit, mea est, confirmatur dominium eius super illam: at id non est ratum; nam servus, secus ac supellex, non potest apologiam facere pro se ipso: et inventus cum adolescet, et dicet de se, quod servus sit illius, qui accusat ipsum de servitute, recipitur verbum eius, etiamsi antea dixerit, se servum non esse. Et cum dicet: servus sum Petri, Petrus autem neget, et dicat: non est servus meus: si redeat, et dicat; non; sed Pauli sum servus, non recipitur verbum eius secundum apud nos; apud alios vero confirmatur Paulo servitus eius.

Directio.

Filia inventa, si postquam desponsa est dicit, se ancillam esse talis; non separatur propter hoc a marito suo, et confirmatur servitus eius illi tali. Nati autem, quos ante hanc confessionem suam genuit, liberi sunt; at illi, quos postea generat, servi. Similiter filius inventus, si postquam nupsit, confitetur servitutem, apud nos non separatur: at alii separant, quamvis filiam non separent. Et inventus eum emit, et vendit, deinde confitetur, se alicuius esse servum, non irritantur emptiones ac venditiones eius priores, irritantur vero posteriores.

CAPUT XXXII.

De manumissione servorum.

Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De manumissione simplici.

Directio.

Manumissionem simplicem dicimus illam, quae non definitur pacto in morte illius, qui manumittit, aut in emptione servi de se ipso. Manumittens debet esse perfecta aetate, et mente, et non impeditus a bonorum suorum administratione. Ille autem, qui manumittitur, homo servus, qui non sit oppigneratus, sit oportet. Et cum dicet dominus servo suo: oh domine mi; aut ancillae suae: oh domina mea; aut: oh soror mea; aut: oh sponsa mea; non confirmatur manumissio per hosce terminos. At si dicat servo: oh liber; et ancillae: oh libera; libertate donantur: et reus fit, si iterum in servitute detineat eos; nisi forte tamen nomen eorum non fuerit *liber*, aut *libera*. Et si dicet aliquis servo alieno: liberavi te, nullatenus confirmatur ei dominatio in eum: et si una die liberetur, manumittitur servus ille. Et manumissionis quidem quinque sunt qualitates.

Qualitas prima.

Communicatio partis cum parte, scilicet cum manumittit aliquis dimidium servi, totus servus manumittitur. Et si proprium non fuerit illud dimidium alterum, debet solvere pretium illius alterius dimidii domino ipsius, verum per quatuor canones.

Canon primus.

Cum haud miser fuerit, videlicet si potestatem habeat in pretium dimidii illius alterius: nam indumenta, quae super ipsum et domesticos eius, solum relinquuntur ei: aedes enim quoque eius venditur pro solutione pretii dimidii alterius: at si debito prematur pro quantitate pretii dimidii, non adigitur vi ad manumittendum totum servum.

Canon secundus.

Cum dicet: manumisi dimidium servi mei; aut: manumisi servum talem; tunc debet solvere pretium dimidii alterius, ut consummetur manumissio. At si dicat: manumisi dimidium socii mei, delirat, et cessat manumissio.

Canon tertius.

Ut voluntate sua manumittat dimidium suum, cum aliquis emit (*vendit*) dimidium patris sui, aut matris suae, sive velit, sive nolit, manumittitur ab eo dimidium, quod vendit; et non debet vendere, aut manumittere etiam dimidium aliud, si nolit.

Canon quartus.

Ut non sit oppigneratum ipsum illud dimidium aliud; secus non debet ipsum manumittere.

Qualitas secunda.

Manumissio consanguineorum. Itaque omnis, qui emit partem a consanguineis suis illis, quibus debet alimenta cum bonis evertuntur, liberatione liberatur, quatenus ad ipsum adtinet, ipsa illa pars, siquidem ipse fuerit non ineptus bonis administrandis. Et propter hoc curator pueri non potest vendere quidpiam e bonis pupillorum patris aut matris eius.

Qualitas tertia.

Ille, qui aegrotat, non potest liberare servum, cuius pretium superet tertiam partem bonorum suorum. Itaque cum unum solum servum habeat, et nihil amplius, si manumittat eum in aegritudine sua, tertia tantum pars liberatur; et in duas tertias partes eius heredes ipsius dominantur. In lege autem XXI imperatorum iuxta numerum servorum permittitur manumissio eorum; videlicet si unus est servus, aut duo, aut tres, licet liberare omnes. A quinque autem ad decem, dimidium tantummodo: et a decem ad triginta, tertiam partem; et a triginta ad centum, quartam partem. Et ille, qui moritur, si debitum habuerit, quando obiit, illud solvatur, et deinde confirmetur liberatio servi. Et si non sufficiant opes eius, etiam servus, qui liberatus est, vendatur, et debitum solvatur.

Qualitas quarta.

Sortes. Et sortes requiruntur, cum liberat aliquis servos, quorum pretium superat tertiam partem bonorum ipsius. Itaque non omnes liberantur. Et propterea cognosci debet ille, qui liberatur. Si quis ergo liberat tres, aut sex, aut novem servos, quorum pretium aequale sit, tripliciter hi dividantur, et mittantur sortes, ita ut scribatur in una schedula liberatio, et in qualibet aliarum duarum servitus, et ponantur in cera, et dentur cerae puero, qui nondum iudicio polleat, ut det unicuique unam, et ille, qui sortitur libertatem, ipse liberatur. Si autem non sit aequale pretium eorum, computetur pretium omnium simul, quamvis pares

non sint summae pretiorum: videlicet si quinque fuerint, et unus ex eis valeat centum, et duo alii centum, et duo alii centum, ille quidem unus in comparatione duorum in sorte est. Si autem duo servi, aut quatuor aequales pretio sint, neque triplicentur, ex uno quoque eorum tertia pars liberatur.

Qualitas quinta.

Affinitas. Affinitatem hic dicimus illam, quae post liberationem confirmatur inter liberatum et liberantem, aut inter hunc et heredes liberantis. Itaque quicumque liberat servum, haud omnino alienus ab eo fit, sed hic affinis eius est. Ergo liberans debet despondere, et corrigere, seu correctionem iubere, et admonere illum, quem liberavit: et cum obit ille, qui liberatus est, liberator eius heres fit illius, nisi habeat heredem naturalem; et si hic non extet, heredes liberantis hereditatem eius consequuntur.

SECTIO II.

De liberatione conditionata.

Directio.

Liberationem pacto conventam dicimus, siquando dicet homo servo suo: cum morior, liber es. Et si duorum dominorum fuerit servus, et ambo dixerint ei: cum morimur, liber es; non liberatur morte unius eorum, sed dimidium eius liberatur solum. Et cum dicet homo servo suo: cum morior, liber es, verum si ingrediaris aedem meam, aut facies sic; et moriatur ille homo, non possunt heredes eius vendere servum illum, quamvis non fuerit ingressus dictam aedem, et needum fecerit dictam actionem: nisi solum, cum recusaverit, et dixerit: non faciam; aut: non ingrediar.

Directio.

Ipsa promissio liberationis huiusmodi post mortem secuturae, imitatur testamentum: itaque ille, qui dicit servo suo: cum morior, liber es; potest illum vendere, aut illum dono dare, et cessat liberatio, quae post mortem secutura est. Similiter licet dicat solum: cassavi promissionem meam illam, et non addat, dicens: liber es post mortem meam, cessat liberatio. Similiter si neget dominus, dicens: non dixi, quod post mortem meam liber es, cessat liberatio, nisi adfuerint testes. Et ita si delinquat servus, venditur mulcta, et cessat liberatio eius. At si dominus eius eripiat eum, non cessat liberatio, nisi dominus eius illam casset manifeste. Et ancilla, cui dictum est a domino suo, cum morior, libera es; si parit post promissionem suae liberationis, ipsa quidem libera est absque nato suo: nam et ancilla quoque, quae in testamento addicitur alicui, si parit, non etiam cum ipsa natus eiusdem in servitutem traditur.

SECTIO III.

De consensu in liberationem per famulatum servi.

Directio.

Hoc actionis genus contrarium est reliquis actionibus legitimis, eo quod illud, quod non est servi, tamquam id, quod servi est, reputatur, videlicet: quemadmodum servus domini sui est servus, etiam opus eius domini ipsius est legitime. Et cum per

opus suum emit se ipsum, tamquam is, qui parte aliqua bonorum suorum aliquid emit, dominus sui ipsius apparet. Verum duas ob causas tamquam legitima reputata est: primo quidem, quia domino ut plurimum non placet servum gratis manumittere: secundo quia tunc magis sollicitus fit ad opus et lucrum ipse servus. Et ipse hic fidelis aliquis debet esse; et sic demum confirmatur emptio personae ipsius, et liberatur. Elementa autem actionis huius sunt quatuor.

Elementum primum.

Dictio: cum dicit dominus servo suo: consensi, ut liberem te, cum dederis mihi mille drachmas duobus temporibus, aut plus, aut minus; et cum solveris tu, liber eris; confirmatur libertas eius, cum solverit. Confirmatur autem, quamvis dicat dominus servo suo: vendidi tibi personam tuam, aut animam tuam talibus nummis, quos solves mihi post tempus tale.

Elementum secundum.

Pretium. Quod ipsum debet esse notum in quantitate, et per modum debiti tempore certo solvendi, quod nempe duobus temporibus, aut pluribus solvatur. Et ratum est, si paciscatur servus cum domino suo, ut serviat ei annum, aut plus, aut minus, et addat ministerio suo denarium unum, aut plus, aut minus.

Elementum tertium.

Dominus. Et hic perfecta aetate, qui idoneus sit ad administrandum, debet esse; et propter hoc ille, qui minore aetate, aut energumenus fuerit, non potest consentire liberationi servi sui, Et ita oppigneratus servus manet.

Elementum quartum.

Servus quidem perfecta aetate, et mente, ac fidelis debet esse. Et ipse consensus liberationis in ipsum totum, et non partem eius debet esse. Canones vero eius quinque sunt.

Canon primus.

Cum non totum debitum solvit servus, non liberatur pars eius, sed servus manet, quamvis unus solus nummus supersit ex eius debito, donec illum solvat.

Canon secundus.

Cum properanter solvit servus ante complementum *prothesmiae*, non potest dominus non accipere; nam etiam omnis creditor compellitur ad solutionem proprii recipiendam quovis tempore: et si pignus receptum est, et quidem persona servi ipsa sit pignus eius; et hic vult pignus (*nempe se ipsum*) liberare; si transierit tempus, et non solverit impedimenti alicuius causa, aut si in viam discesserit absque auctoritate domini sui; aut si habeat, et non solvat; potest dominus eius irritare consensum liberationis. Et si servus energumenus fit, et habet aliquid, episcopus accipiat, et solvat, ut liberetur; alias cessat eius liberatio.

Canon tertius.

Dominus non potest vendere servum, cuius liberationi consensit, quamvis ille etiam, qui emit, consentiat liberationi eius post solutionem quantitatis ab ipso debitae, quae scilicet quantitas quota sit, a domino in testamento dicatur. Ipse quoque servus non potest liberare servum, neque legare, neque donare homini quantitatem, quam debet domino suo, neque votum vovere; et si voverit, non solvat, nisi auctoritate domini sui.

Canon quartus.

Natus ancillae, cuius libertati consensum fuit, dum mater libertate donatur, cum ipsa liberatur, siquidem post consensum pepererit eum.

Canon quintus.

Si deliquerit ille, cuius libertati consensum fuit, in dominum suum, aut in alienum, debet solvere mulctam, cum venditur ob suum delictum.

CAPUT XXXIII.

De raptu.

Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis solutionis.

Directio.

Raptum iniquitatem magnam esse, Deus per Moysem significavit. Ne, inquit, concupiscas uxorem socii tui, et servum eius, et ancillam eius, et bovem eius, et asinum eius, et quidquid est illius. Omnis ergo, qui rapit, debet solvere. Et solutionis tria sunt elementa: causa solutionis: res rapta: et materia solutionis.

Elementum primum.

Omnis, qui perdit rem non suam, aut alium adigit ad perdendum, aut accipit rem alienam, solvendo solvit: et ille, qui effodit puteum, ceu ut in ipsum cadere faciat, solvendo solvit pretium eorum, quae in ipso pereunt. Si tamen alius proiiciat in ipsum iumentum, sive servus, sive filius liberi sit, ille, qui proiicit, solvit, non ille, qui effodit: et ille, qui suscepit in se aliquid custodiendum, si absque voluntate eius pereat, quodcumque fuerit, non debet solvere. Itaque ille, qui custodit oves alicuius in atrio suo, si lupus insidietur, et perdat ex eis, non debet solvere: et ita ille, qui gestat infantem alicuius, si lupus rapiat illum ab eo, non solvit: at si in loco non tuto inter medios lupos adducat ipsum, debet solvere: et ille, qui resolvit compedes servi, aut iumenti, aut destruit beth-gazam (*arcam nummariam*) ita ut diripiantur facultates, solvit. Et aliqui dicunt: quod si energumenus fuerit servus, et ferox iumentum, debeat solvere, alias non: at id ratum non est. Et ille, qui aperit portam caveae, et inde volatile avolet, non debet solvere; at id ratum non est. Et si quis tenet utriculum butyri, et dum solvit os eius, spirat ventus vehemens, et proiicit ipsum, ac perit butyrum, non solvit, nam absque voluntate eius flavit ventus: at si solvat ipsum, ponat humi, et liquefiat, ac pereat, solvit: et si cum apertum est os utriculi, alius homo pessumdet ipsum, ille, et non ipse solvit; nam et ille, qui deiicit hominem in foveam, ipse solvit, et non ille, qui effodit foveam.

Directio.

Raptum immobilium, praedii inquam, et aedis etc. per ingressum in ea raptorum, et expulsionem domini eorum ex eis, fieri contingit. Et manifestum est, quod si debilis ingreditur in praedium illius, qui fortior ipso est, non sit raptus; si certe dominus eius non sit absens. Et si forte a raptore alius rapiat, potest dominus suum repetere ex quolibet amborum. Et si raptor oppigneravit aliquid, quod rapuit, penes alium, aut illud locavit, aut commendavit, ipse solvit, cum perit, et non ille. Et si escam rapiat aliquis, eamque deferat alte-

ri, si novit ille, qui comedit, solvit; alias non.

Elementum secundum.

Cum servus rapitur, ac perit, ille, qui rapuit eum, debet solvere pretium eius domino eiusdem. Et si partem ex servo amputet raptor, debet solvere pretium illius partis cum damno, quod contingit in pretio totius. Et si nocumento caelesti corrumpatur pars eius, *damnum* dumtaxat, quod contingit in pretio totius debet sarcire: in reliquis autem animalibus, cum corrumpit raptor partem eorum, *damnum* pretii eorum solum debet solvere. Et aliqui dicunt, quod raptor, cum expellit oculum equi, aut bovis, quartam partem pretii eius debeat solvere cum ipso; at ratum non est. Instrumenta autem musica, et lusus illegitimos, citharam, vel latus eius siquis pessumdet, non debet rependere. Ceterum non debet in domos cantorum irrepere fidelis, instrumenta frangere, neque debet comburere ea, eo quod modi eorum, et non ipsa, sunt legitimi.

Et ille, qui rapit servum, aut asinum alicuius, etiam mercedem operis eorum debet restituere cum ipsis, quamvis non exercuerit eos, eo quod domino ipsorum cesset opus eorum. Liberum si rapit homo, si illum laborare fecerit, solvat mercedem laboris eius; alias secus.

Elementum tertium.

Materia solutionis instar illius, quod raptum est, et periit, debet esse, si ex similibus fuerit; alias pretium, quod valebat. Et similium quatuor sunt canones.

Canon primus.

Homo debet solvere pretium eius rei, quam pessumdedit, si similis ei non reperiatur.

Canon secundus.

Cum solvet pretium rei eius, deinde contingat, ut inveniat similem ei, potest perditor restituere pretium, quod dedit, et dare rem similem ei, quam perdidit: eo quod ille quoque, qui fugat servum, et solvit pretium eius, si illum invenerit, potest ipsum tradere domino eius, et recuperare pretium, quod dedit.

Canon tertius.

Ille, qui rapuit denarium in urbe Melitina, si obvium habeat dominum denarii in urbe Sebaste, et denarius tempore quo fuit Melitinae valebat undecim, et Sebaste duodecim, non potest dominus denarii pro solutione denarii exigere a raptore, nisi undecim drachmas. Et cum ierint ad urbem Melitinam, potest reddere drachmas, et accipere denarium.

Canon quartus.

Ille, qui frangit calicem argenteum pondo decem, et pretii viginti, non decem drachmas argenti fracti solvit, et decem drachmas signatas, sed debet conflare ex argento calicem, licet ad conflationem magis requiratur.

Directio:

Non similibus item quatuor sunt canones.

Primus.

Cum fugit servus raptus, pretium eius solvit raptor domino, et tunc non ipsius fit servus, sed si reperiatur, debet dominus eius accipere eum, et restituere pretium raptori. Et si raptor voluntate sua illum fugavit, etiam mercedem laboris servi debet solvere, secus vero minime.

Secundus.

Cum dicet raptor: periit res, quam rapui: et dicet dominus: non periit: si vult expectare, an forte compareat, non potest exigere pretium eius. Et si accipit pretium eius, debet credere raptori, qui dixit: periit. Et manifestum est, quod si compareat, potest restituere pretium, et accipere ipsam. Et de pretio cum dicit raptor, quod valet decem, et dicit dominus, quod valet undecim; si dominus non habuerit testes, verbum raptoris admittitur, cum iurat.

Tertius.

Cum dicet dominus, quod vitiosus non erat bos ipsius, qui raptus fuit, et dicet raptor, quod vitiosus erat, verbum raptoris admittitur, eo quod rei non existentia plane probet adsertionem raptoris. Sic cum dicet: servus meus, quem rapuisti, et fugasti, artifex erat: si non habeat testes, verbum raptoris admittitur, quod artifex non esset.

Quartus.

Cum dicet raptor, hoc indumentum est, quo indutus erat servus meus; ratum habetur verbum eius, nisi dominus habuerit testes.

SECTIO II.

De defectu qui accidit rei raptae.

In eo sunt canones quatuor.

Primus.

Cum aliquis rapit rem, quae valebat decem, et ponderetur pretium eius, ac inveniatur valere unum; si servata est, et restituat eam raptor domino ipsius, non debet supplere defectum pretii eius. At si postquam valuit unum, corrupta fuerit, decem debet solvere raptor, et non unum; si non fuerit alia similis ei; et si fuerit, potest raptor emere aliam similem ei, quae corrupta fuit, uno, et tradere domino. Et ille, qui rapit vestem, quae valet decem, deinde valeat quinque, deinde illam induit, et valeat quatuor, eo quod induit eam, unum tantum defecit causa ipsius, addat utique illud ultra vestem, et restituat domino ipsius. Et ille, qui scindit indumentum, quod rapit, segmenta eius cum defectu pretii restituat domino eius. Et ille, qui rapit triticum, et ventilat illud, si deinde velit dominus, valorem eius accipit cum mulcta defectus pretii eius. Et si velit triticum simile, accipit: pretium vero eius non potest exigere. At si raptor molat triticum, farinam debet restituere domino eius, quod illud corruperit. Et ille, qui rapit servum, si perit ipse servus, aut deperditur, quidquid accidit detrimenti pretio ipsius, debet restituere raptor domino eius. Et si membrum ex servo, quem rapuit, corrumpat raptor, non pretium membri ille debet solvere, sed detrimentum pretii totius suppleat: videlicet si centum valebat, et cum amputata fuit manus eius valuit quadraginta, servum eum sexaginta reddat. Et si ob nocumentum caeleste putrefiat manus servi rapti, aut cadat, non debet raptor damnum in aliqua re pati. Et servus raptus cum occiditur, si dominus eius occidat eum, non potest exigere pretium eius ab illo, qui eum rapuerat.

Secundus.

Servus raptus, cum occidit aliquem, et detineatur a praeside, ac occidatur, potest dominus eius repetere so-

lutionem pretii eius ab illo, qui rapuerat eum. Et si *servus* perdat rem alterius, raptor debet solvere mulctam, et dominus servi absque damno accipit servum suum. Et si postquam perdiderit servus rem alterius, moriatur, debet raptor solvere pretium eius totum domino ipsius, et solvere etiam mulctam rei, quam perdidit ipse, qui raptus est ab eo, domino ipsius rei.

Tertius.

Cum aliquis rapit pulverem ex loco socii sui, et corrumpitur ille pulvis, similem pulverem debet raptor restituere, et replere locum, ex quibus illum accepit, eumque complanare, si velit dominus loci illius: secus non potest absque auctoritate eius restituere denuo pulverem in locum, ex quo accepit. Et aliqui dicunt, si angustietur raptor a pulvere, quem rapuit, et non habeat locum, in quem proiiciat eum, potest proiicere eum in stationem, ex qua accepit, et coaequare loca illa, quamvis nolit dominus stationis. Et cum effodit homo puteum in terra non sua, potest eum denuo replere: sed si suscipiat in se dominus terrae, quod si in puteum ceciderit homo, aut iumentum, ipse restituet, et non putei raptor, tunc non potest raptor replere ipsum.

Quartus.

Raptor si castraverit servum, pretium eius universum solvere debet. Et si nocumento caelesti pereant testiculi servi, uti est, accipiat eum dominus eius, et raptor nihil perdit, eo quod sit adauctum et non diminutum pretium. Et servus pinguis cum macrescit apud raptorem, si non diminuatur pretium, nihil perdit raptor: contra ac accidit ei, qui rapit oleum, et coquit ipsum, donec dimidium eius maneat, quamvis non diminuatur pretium eius, sed etiam accrescat; secundum dimidium quod imminutum est, debet raptor addere super ipsum, quia oleum est simile, et pinguedo servi non est similis. Et si mustum coquat raptor, et imminuatur quantitas eius, crescat autem pretium eius, non debet raptor superaddere ei secundum illud, quod diminutum est, eo quod dilutio non habeat pretium imminutionis in musto, quod coquitur: et in oleo non est dilutio, sed unguentum. Et servus artifex, cum rapitur, et obliviscitur artis suae, debet raptor solvere mulctam artis, cuius oblitus est. Et si postquam oblitus fuit, rursus addiscat apud ipsum raptorem, non solvit mulctam raptor. Et aliqui dicunt, quod solvat, eo quod doctrina nova donum est novum. Et ille, qui rapit argentum, quod valet unam drachmam, et conflat annulum, qui valet decem drachmas, anuulum, prout est, debet restituere domino, et non argentum. At si dominus velit, potest cogere eum, ut liquefaciat ipsum, et redigat ipsum in argentum, uti accepit, et suppleat diminutionem, si contigerit, in quantitate argenti, aut in eius pretio. Et ille, qui rapit mustum, cum fit vinum, debet dominus eius vinum illud accipere; et si acetum fit, acetum accipit, verum cum mulcta. Et ille, qui vinum rapuit, quod acetum *deinde* fiat, pretium vini solvit. Et ille, qui ova rapit, aut educat pullos, aut pellem bestiae rapit, et concinnat eam; aut triticum rapit, et seminat illud; pullos, pellem, et semen accipit dominus ovorum, pellis, et tritici.

SECTIO III.

De augmento, quod fit in re rapta.

In eo sunt canones sex.

Canon primus.

Siquis rapit triticum et molit, aut argentum et conflat, aut indumentum et lavat aut consuit, aut lutum et efficit lateres; augmenta haec potest dominus accipere; et nihil damni infert raptori, qui damnum passus est, et moluit, conflavit, concinnavit, abstersit, consuit, et lateres effecit.

Canon secundus.

Ille, qui rapit pannum, qui valeat decem, et tingit ipsum tinctione, quae valeat decem, si iam viginti valeat, tunc vendatur, et accipit dominus decem, pretium panni sui; et raptor decem, pretium tinctionis suae. Et si valeat triginta, quisque eorum accipit quidecim: et patet, tinctionem non esse uti suturam; nam tinctio per materiam fit, sutura autem absque materia. Et si post tinctionem valeat solum quindecim pannus, dominus decem sua accipit, et raptor quinque solum accipit, et quinque perdit, quia sua causa contigit damnum: et si decem solum vendatur, uti est; accipit pannum dominus eiusdem: et si octo solum vendatur, duas drachmas raptor dumtaxat debet supplere domino panni. Similiter quamvis ventus rapiat pannum alicuius, eumque proiiciat in lagenam tinctoris, uti qui rapit, et tingit, iudicatur: et cum dominus panni vult vendere suum pannum, non potest tinctor non vendere suam tinctionem: et cum tinctor vult vendere suam tinctionem, potest dominus panni non vendere suum pannum; nam violentia est, quod quis tingat pannum non suum.

Canon tertius.

Siquis iniuria sibi vindicat praedium, et aedificat in eo aedificia, aut serit in eo plantas, aut seminat in eo semen, potest dominus praedii cogere raptorem, ut destruat aedificia sua, et eradicet plantas suas, ac semen, et reparet etiam damnum, quod accidit praedio a destructione, et eradicatione.

Canon quartus.

Ille, qui rapit unguentum, et commiscet ipsum cum unguento suo, iuxta unguentum, quod rapuit, debet solvere. Et ita ille, qui rapit oleum olivae, et commiscet cum oleo sesamorum; aut aquas rosaceas, et commiscet cum aqua; et ille, qui rapit farinam, eamque commiscet cum farina sua. Ille autem, qui rapit triticum album, et miscet cum rubro; aut sesamum, et miscet cum semine lini; debet separare, et tradere id, quod rapuit, et non aliud simile, quamvis ea separatione defatigetur, quia iniquus fuit.

Canon quintus.

Ille, qui rapit partem ex terra, et confundit cum terra sua, ac aedificat aedificium, potest dominus partis illius cogere eum ad evertendum aedificium, quod aedificavit in illa eadem parte. Et ita ille, qui rapit tabulam, eamque figit in navi, potest dominus tabulae illius recipere tabulam suam, nisi tamen fuerit in navi anima vivens, quae perdatur per naufragium; aut bona, quae non sint raptoris, et corrumpantur; secus ve-

ro pretium tabulae potest accipere tempore calamitatis; et expectet, donec perveniat ad portum navis, et tunc, si velit, restituat pretium, et recipiat tabulam suam. Et si raptoris fuerint illa bona, aliqui dicunt, quod possit recipere tabulam suam, quamvis corrumpantur bona raptoris, quia oppressor est: at illud ratum est, ut non accipiat, sed expectet, donec veniat ad portum. Et cum cadit denarius in puteum alicuius, potest dominus denarii extrahere totam aquam illam, ut inveniat denarium suum, et debet reficere damna domino putei, si contigerint. Et cum corrumpit aliquis unum de duobus calceis, qui valeant decem drachmas, et ille unus, qui mansit, tres drachmas solum: aliqui dicunt, quod septem drachmas solvit raptor, ut reficiatur pretium comparis alterius, et alii dicunt, quod tres drachmas solvat raptor pretium comparis, quem rapuit, respective ad illum qui mansit: et alii dicunt, quod quinque drachmas solvit, eo quod si alius etiam illam, qui mansit, corrumpat, manifestum sit, quod quisque amborum corruptorum dimidium pretii duorum calceorum solvit.

Canon sextus.

Siquis rapit ancillam alicuius, et eam sibi, vel alteri despondet, potest dominus eius separare ipsam, et irritare desponsationem illegitimam. Verumtamen expedit, ut pretium eius solutum accipiat, et non separet, maxime si voluntate sua desponsata fuerit. Et cum noluerit *separare*, accipiat pretium eius. Quod si pepererit prolem, et ignoraverit is, qui eam despondit ac violavit, quod ancilla esset, liber est natus eius; et si sciverit, servus est etiam domini ancillae. Et si morte moriatur hic natus, postquam natus fuit vivus, pretium eius debet solvere raptor, qui genuit ipsum, domino eius.

CAPUT XXXIV.

De gravibus facinoribus, quae poenam capitalem merentur.

In eo sunt sectiones septem.

SECTIO I.

De homicidio.

Directio.

Lex spiritualis, quae per Christum dominum nostrum data fuit nobis, praecipit nobis, ut dimittamus nobis invicem delicta, et non resistamus malo; et percutienti nos in maxilla nostra dextera, porrigamus aliam; et auferenti tunicam, demus etiam pallium. Sed quia conversatio haec mundana, nisi capitali poena ad correptionem afficiantur delinquentes, haudquaquam recte regitur; praecepto prisco, quod a Deo per Moysem datum fuit, indigemus ad scopum hunc consequendum, iuxta illud; si ausus fuerit vir contra socium suum, et occiderit eum dolo, ex altari meo detrahe illum, ut occidatur etc.

Directio.

Homicidium quinque rationibus perpetratur: voluntate: modo, qui similis est voluntati: errore: modo, qui imitatur errorem: mediatione alterius causae. Itaque ille, qui occidit voluntarie cum quovis armorum genere, aut cum ligno, aut cum lapide, aut cum igne, occidendo oc-

cidatur a potestatibus saeculi huius, et in futuro saeculo cruciatum sempiternum hereditat a iudice totius iustitiae Deo, cuius gratiae laus. Si autem adversarii eius, hoc est domini eius, qui occisus est, praeceptum christianum sequentes propitii fiant erga eum, aut reconcilientur cum eo per pecuniam, quam accipiunt ab eo, et dimittant ei delictum eius, non occiditur: siquidem paenitentiam agat: post viginti annos deinde recipiatur in templum: et quinque quidem cum paenitentibus magnis oret: et quatuor cum fidelibus oret: oblationem autem non accipiat, nisi postquam praedicti anni exacti fuerint. Ita definivit S. Basilius magnus in illis, quae ad Amphilochium Iconii scripsit, qui fuit avunculus eius.

Directio.

Et modum, qui imitatur voluntatem dicimus illum, quando non cum aliquo ex instrumentis armatis occidit aliquis, neque baculo, neque petra magna, sed cum aliquo instrumento, quod ut plurimum non occidit: et ipse hic non debet occidi, sed damnum pati mille denariorum auri, aut decem millium drachmarum pecuniae in favorem heredum occisi, siquidem possideat: alias consanguinei ipsius debent opem ferre cum eo: et si inopes fuerint, tota communitas fidelium subsidium ei tribuat; et per secundum dimidium spatii, quod diximus, scilicet per decem annos exhibeat paenitentiam, et deinde dignus habeatur mysteriorum duobus annis in fletu: tribus inter audientes genuflectat; et uno consistat, cum fidelibus pariter communicans. Et scito, quod mulcta mulieris, cum occiditur, dimidium est mulctae viri, idest 500. denarii: et viri infidelis, uti mulieris fidelis: et mulieris infidelis, uti dimidium mulieris fidelis: et in mulcta pares sunt pueri, et viri, et puellae, ac adolescentes. Et mulcta servorum, ac ancillarum, quantitas est pretii eorum.

Directio.

Error duplici modo contingit: cogitatione, puta si proiiciat quis sagittam ex longinquo in hominem, quem existimabat feram venaticam: aut opere, puta, si quis proiiciat lapidem contra canem, aut contra arborem, ut fructum excutiat, percutiat autem hominem, eumque occidat. Et ille, qui cum errore occidit, uti dimidium damni illius, de quo supra, debet pati, et uti dimidium canonis eius perficere paenitentiam.

Directio.

Et modum, qui imitatur errorem, dicimus illum, cum dormiens scilicet, et convertens latus supra infantem, aut supra aegrotum, hunc enecat. Et ille, qui ita enecat, uti dimidium eius, de quo supra, debet damnum pati, et canonem paenitentiae perficere.

Directio.

Etiam cum interventu alteriuse ausae dicimus, quod occidat aliquis, v. gr. ille, qui fodit puteum, in quem decidat homo, et moriatur: et hic totum damnum, et dimidium canonis paenitentialis debet explere. Et aliqui dicunt, quod ille, qui occidit modo, qui imitatur voluntatem, aut cum errore; aut modo, qui imitatur errorem, aut interveniente alia causa, si non possit perficere canonem paenitentialem, personam fidelem, servituti obnoxiam, liberet, et

eruat, et deinde recipietur ad communionem.

Directio.

De illis autem, qui in bello interficiunt, S. Basilius dicit, quod patres nostri illos homicidas non reputarunt, quia pro recta religione vindictam sumunt: sed quomodocumque sit, manus eorum purae non sunt, et tempore triennii solum debent arceri, ut mundentur. Illi autem, qui veneno, aut magia occidunt, homicidae sunt voluntarii, et culpabiles. Et ita illi, qui propinant venenum mulieribus, uti abortum edant; et ita mulieres, quae propinant pharmaca viris suis, ut eos ad amorem sui provocent, et tenebras faciant in mentibus eorum. Et liber quamvis servum occidat, occidatur: et fidelis quamvis infidelem occidat, occidatur. Et vir quamvis feminam occidat, occidatur; et adultus quamvis infantulum occidat, occidatur: et incolumis oculis quamvis caecum aut claudum occidat, occidatur. At vir si occiderit filium suum, aut servum suum, ne occidatur. Et homicida, gladio debet occidi, quamvis non gladio, sed alio instrumento occiderit. Aliqui dicunt, quod si igne, aut dilaceratione membrorum, aut fame, aut saxo, aut mersione occiderit, eodem modo occidatur: ast gladio debet occidi. Et ille, qui ferit virum, aut percutit eum alio modo, ita ut cadat in stratum, si in ipso strato suo moritur, is, qui percussit eum, occidatur. Et si postquam convaluit, mortuus est, non occidatur: et liquet, quod mercedem medico ille, qui percutit, debet dare.

Directio.

Cum reconciliatur dominus occisi cum occisore super pecunia, quam det ei, et ratum habetur debitum pecuniae, cessat sententia mortis, sive multa fuerit pecunia, sive exigua.

Et cum unus (*si plures fuerint*) e dominis occisi convenit cum occisore super parte sua, etiam illi alii debent convenire cum eo super propria pecunia, et non poterunt occidere eum.

Et cum multi unum occiderint, omnes occiduntur propter illum unum. Et cum unus multos occidit, ipse solus propter omnes occiditur. Verum, cum adsunt domini omnium occisorum, non possunt dicere contra unum ex occisis quod hic occidatur, et nos mulctam reliquorum occisorum e bonis eius accipiemus. Si antequam occidatur homicida, moriatur, non possunt domini occisorum accipere pretium interfectorum suorum e bonis eius. Et servus cum fatetur, quod voluntate sua occidit, occidatur. Et siquis percutit sagitta aliquem, per quem illa transiens, alium quoque percutiat, et ambo moriantur, ille, qui percussit, occiditur pro illo primo, et mulcta debetur dominis interfecti secundi.

Directio.

Cum pater voluntate sua occidit filium suum, non occiditur, sed damnum patitur. Et puerulus, ac energumenus quamvis voluntarie occidant, attamen tamquam si ex errore fuerit, imputatur eis, et damnum mulctae sustinent. Et ille, qui fodit puteum in via, aut ponit petram offendiculi, in quibus aliquis moriatur, damnum mulctae patitur: et si iumentum moritur in ea, pretium eius solvit. Et si podium aedificet in via, aut aquaeductum magnum, quae cadant super ali-

quem, damno mulctae subiicitur. Et ille, qui in terra sua puteum fodit, in quem cadat aliquis, et moriatur, nihil damni patitur. Et ille, qui insidet animali, solvit omnino, quidquid caleat pede suo posteriore vel anteriore, aut mordet ore suo, aut corrumpit ipsum animal, quod sub eo est. Et non solvit quidquam, si cauda sua corrumpat: et ita si mingat in via, ac prolabatur in ea aliquis, et moriatur, non solvit quidquam, qui sedet super ipsum. Et ille, qui animal suum coram se ducit, et ipse post illud ambulat, debet damnum ferre totius rei, quam corrumpit sive anterioribus sive posterioribus pedibus suis. Ille, qui ducit animal proprium cum capistro eius, solum debet solvere, pro eo, quod corrumpit anterioribus pedibus suis.

Directio.

Servus cum per errorem aliquid corrumpit, debet dominus eius aut tradere eum domino illius rei, aut solvere pro servo suo mulctam. Et paries alicuius cum nntat ad latus viae, et dicitur domino eius, ut diruat eum, nec eum diruit, quidquid ille paries corrumpit casu suo, debet solvere. Et cum duo equites invicem offendunt in cursu eqnorum, et ambo moriuntur, cessat poena capitalis, et damnum ab utroque.

Et cum occidit aliquis, pretium eius debet solvere: et ille, qui percutit ventrem gravidae, et illa foetum mortnum per abortum edit, quinquaginta denarios auri solvit: et si foetum vivum edit, deinde moritur, muletam perfectam, scilicet mille denarios auri solvit: et si postquam foetum mortuum edidit, ipsa quoque moriatur, 550 solvit. Et si moritur, deinde edit infantem mortuum, 500 solum solvit. Et haec quidem, si masculus fuerit infans, secus dimidiam quantitatem. Et pretium infantis ancillae si masculus fuerit; dimidium decimae partis pretii eius, si vivus est, et decima pars integra, si femina sit.

Directio.

Cum invenitur occisus aliquis in aliqua vicinia, et nescitur, quis occiderit eum, adiurantur quinquaginta viri ex illa vicinia per Deum, et per verba eius viva, et dicent, quod non occidimus eum, neque scimus, quis occiderit eum. Et hoc dicto, tunc omnes vicini illi damnum muletae perfectae ferant pro dominis occisi: et si quinquaginta non fuerint illi vicini, duplicantur eis iuramenta, donec perficiatur numerus quinquaginta. Illi autem, qui iurant, ne sint pueri, aut energumeni, neque mulieres, neque servi. Et si mortuus aliquis inveniatur in loco cruento, et non sit in cadavere signum caedis, cessat adiuratio cum muleta; et similiter quamvis sanguis decurrat ex naribus eius, aut ex ore, aut sit in annulo eius, siquidem non fuerit in eo percussio. Et cum invenitur occisus super asinum, quem ducit aliquis; qui ducit, solvit, et non oppidani vicini loco, in quo inventus est. Et si in aede alicuius invenitur, ille homo adiuratur quinquaginta iuramentis, et damnum patitur sine vicinis. Et si in navi inveniatur occisus, illi, qui in ea sunt, adiurantur, et damnum ferunt. Et si in ecclesia, vicini eius adiurantur, et damnum ferunt. Et si in via regia, aut in campo, cui vicinum non sit

oppidum, invenitur, cessat adiuratio, et damnificatio. Et si inter duo oppida invenitur, oppidum vicinum adiuratur, et damnificatur. Et si dominus occisi unum tantum e vicinis accuset, non cessat adiuratio omnium vicinorum. Et si alium exterum, qui vicinus non sit, accuset, cessat adiuratio, et cessat damnificatio omnium vicinorum. Et cum unus e vicinis dicet: talis occidit eum, iuret, quod ego non occidi, et non novi alium occisorem eius praeter talem. Et si duo vicini testimonium edant adversus alium, qui non sit ex vicinis, non recipitur testimonium eorum. Et cum duo testes fideles testantur, aliquem occidisse, occiditur ille. Et si unus vir, et duae mulieres testentur, non occiditur, sed damnum fert mulctae.

SECTIO II.

De laceratione membrorum.

Directio.

Vir quidem si fecerit vitium socio suo, sicuti fecit, patiatur: fractionem pro fractione, dentem pro dente, oculum pro oculo etc. dixit Deus. Itaque ille, qui amputavit manum alicuius ab eius arteria voluntarie, amputatur manus eius ab eiusdem arteria. Et ita si pedem amputet, et si narem, aut aurem amputet, et ita si oculum eruat: quod si non eradicetur oculus, sed lux eius solum obtenebrescat, et cesset, debet incendi speculum igne, et poni linum humidum super faciem eius, qui percussit, ne comburatur, et detineri speculum incensum contra oculos eius. Et ille, qui proiicit dentem, proiicitur dens eius, verum dens praestantior non proiicitur pro dente praestantiore; neque dens viri pro dente pueruli, quod recenter germinat. Et siquis, frangit os socii sui percussione aliqua, non frangitur os eius: et manus viri amputatur pro manu feminae, quam amputavit. Et manus liberi pro manu servi: et manus fidelis pro manu infidelis, et ita de reliquis membris. Aliqui tamen non coaequant, nisi solum virum, et mulierem, et servum, atque liberum. Et mancus cum amputat manum alicuius, si voluerit ille, cuius manus amputata est, amputare manum laevam illius, amputet; et si maluerit, damnum ab eo repetat. Et ita ille, qui laceratus est, si voluerit, laceret; et si maluerit, damnificet. Et cum unus vir amputat dexteram duorum virorum, ambo amputent dexteram eius, et damnum alterius dexterae inferant ei pro mulcta, et summam inter se dividant.

Directio.

Si autem sine sua voluntate amputet aliquis membrum alterius, mulctam illius membri, quod amputat, debet solvere, et non amputatur membrum eius. Et mulcta linguae, quae amputatur, perfecta est, scilicet mille denariorum: et ita mulcta perfecta pro virilibus, quae amputantur. Et ille, qui percutit super caput socii sui, et pessumdat mentem eius, mulctam perfectam solvit. Et sic ille, qui abradit barbam alicuius, quae amplius non crescat: ita et dominus barbae, et amborum oculorum mulctam perfectam exigunt: in duabus autem manibus, et in duobus pedibus, et in duobus labiis, et in duobus testiculis, et in

duabus mamillis feminae, et in quolibet horum membrorum geminorum dimidium mulctae est: et in qualibet e palpebris oculorum, quarta pars mulctae: et in quolibet digito manuum, et pedum decima pars mulctae. Et digiti omnes aequales sunt, et in quolibet dente, dimidium decimae partis mulctae, scilicet quinquaginta denarii. Et dens, ac molares aequales sunt. Et omnis, qui percutit membrum aliquod, ita ut cesset usus eius, mulctam perfectam debet solvere, quamvis non putrefiat ipsum membrum: et cum percutitur oculus pueri parvi, aut sexus eius, aut lingua eius, et non confirmatur corruptio, paciscantur de damno.

SECTIO III.

De apostatis.

Directio.

Apostoli sancti canone suo octavo praeceperunt, clericum cum ob timorem humanum apostata fit, deponi; et siquidem ipsum paeniteat, illum recipi tamquam saecularem. Et synodus sancta Nicaeae canone XI. praecepit illos, qui absque necessitate cogente, et sine rapina bonorum suorum abnegarunt, si veraciter paenitentiam agant, et convertantur, post annos duodecim recipi ad communionem mysteriorum. Synodus autem naeocaesareensis dimidium huius spatii definit iis, qui sine necessitate, atque hilariter negarunt, siquidem convertantur. Illi autem, qui non sponte, sed cum lacrymis apostatarunt, tribus annis arceantur; et iis, qui ante baptismum abnegarunt, canon non imponitur. Et omnes patres tradiderunt, quod presbyteri, et diaconi, qui abnegant, quamvis coacti, si convertantur, instar saecularium recipiantur, et gradum sanctum nullatenus promereantur. Sanctus vero Basilius in suis litteris ad avunculum suum Amphilochium asperioribus verbis utitur; praecipit enim, illum, qui abnegat Christum, toto tempore vitae suae debere flere; et eo tempore, quo egreditur e vita, dignum fieri sanctis rebus ob fiduciam de benignitate divina.

Directio.

Et hi quidem canones ecclesiastici. Leges autem imperiales occidendo occidunt absque commiseratione fidelem, qui abnegaverit, si paenitentiam non agat: et si paenitentiam agat, recipitur paenitentia eius: et si postquam resipuit, iterum abneget, non amplius debet recipi paenitentia eius, eo quod schemate mendaci paenitentiam agat: et eum non resipiscit, non debet statim occidi, sed in carcere detineatur tribus diebus, et detur ei alimentum pro animae suae conservatione, si forte resipiscat. Et si voluerit investigare veritatem confessionis nostrae, disputent cum ipso doctores, et confirment orthodoxiam per demonstrationes naturales, et non scripturales, eo quod reiecerit libros sanctos, et admoneant eum, atque persuadeant eidem similiter per demonstrationes naturales. Et ita si non persuadeatur post tres dies, die quarta occidatur. Natus autem illius, qui abnegavit, fidelis habeatur, et bona patris ipsius apostatae custodiantur donec perficiatur eius aetas, et mens; et si credit tunc, non hereditat bona, sed ab ecclesia dispen-

setur sustentatio eius. Et si non credit, occiditur: et siquidem habeat consanguineos infideles, qui nunquam crediderunt, ipsi hereditant bona eius, secus vero ecclesia hereditat.

Directio.

Puer parvus, aut ebrius, aut energumenus cum abnegant, non iudicantur, sed cum perficitur mens eorum, probetur fides illorum: et si illa vera non existat, damnentur. Et abnegatio aut verbis fit, cum contraria loquentur divinitati, aut incarnationi verbi Dei. Et manifestum est, quod arianismus, et naturarum personarumque divisio (*) non sit absoluta apostasia, veluti si adoremus numen aliud extra Deum, cuius gratiae laus. Magi autem apostatae sunt verbis, et operibus, et idcirco non vivant. Magum siquidem ne vivere sinas, dixit Dominus. Et cum duo testantur de aliquo, quod abnegaverit, non sufficit ad falsitatis eos redarguendos, si ipse dicat: non abnegavi: sed debet recitare fidem. Et si dixerit: veraces sunt, verum quia servus fui, aut quia violenter ductus fui, et nunc credo, recipitur verbum eius.

SECTIO IV.

De iis, qui fornicantur.

Directio.

Siquis e filiis Israel, et ex illis, qui convertuntur ad me, mittet semen suum in alienam, occidatur vir ille, et populus terrae lapidibus obruat eum. Haec dixit Deus Moysi, ut loqueretur filiis Israel. Patres autem sancti legis novae et spiritualis indulgentes suscipiunt illos, qui resipiscunt. Nam ipse quoque Deus, cuius gratiae laus, dixit per os prophetae: nolo mortem peccatoris etc. In illum, qui moechatur cum muliere coniugata, quindecim annos sanxerunt, in quibus ipse non communicet mysteriis: et cum dignam poenitentiam praestiterit, recipiatur. In fornicarios autem septenos annos tantummodo sanxerunt. Haec invenimus in scriptis magni Basilii ad avunculum suum Amphilochium Iconii. Leges autem imperiales mandata prisca sequentes, fornicatorem, qui perfecta mente et aetate, et liber, ac maritus mulieris fuerit, lapidando lapidant: non coniugatos autem flagellando tantum flagellant centum virgis adhibitis. At puerum, et energumenum neque lapidant, neque flagellant.

Directio.

Servus, qui fornicatur cum filia ingenuorum, lapidatur, et viceversa. Et parvus, qui fornicatur cum adulta, haec lapidatur pro eo. Et ita mente praedita, cum sui copiam facit energumeno: et viduus si moechatur cum virgine, lapidatur; et ipsa flagellatur, et viceversa. Et illi, qui flagellantur, etiam eiici debent e regione, in qua moechati sunt, sive viri fuerint, sive mulieres, et ipsum exilium debet esse itineris duorum aut plurium dierum, ac diuturnitas eius annus unus perfectus. Servus autem in exilium non agitur, ne damnificetur dominus eius. At aliqui dicunt, quod eiiciatur dimidio anno. Et infideles, quamvis legi alienae subditi sint, iudicamus, quamdiu sub potestate nostra sunt. Et concumbentes cum masculis, aut animalibus, aliqui oc-

(*) Monophysita loquitur.

cidendo occidunt agentem et patientem, gladio; alii vero lapidibus obruunt. Vir quidem, si dormierit cum masculo concubitu muliebri, occidantur ambo: et vir concumbens cum iumento occidatur, et ipsum iumentum lapidetur: et si mulier accesserit ad iumentum, ut ab eo insideatur, occidi mulierem, et iumentum quoque, Deus praecepit. Et si quis dixerit, cur iumentum quoque occidetur? dicimus, quod ne causa recordationis operis illius abominabilis sit induenti ipsum: et quod non comedatur caro eius, manifestum est: et cum occiditur, ex bonis illius qui infamiam patravit recipiat dominus iumenti pretium illius.

Directio.

Fornicatio confirmatur aut per testes, aut per confessionem moechi. Et testes quidem sex debent esse, ut diximus: et debet episcopns unumquemque eorum seorsum interrogare, quae fuerit fornicatio, et qualis, et ubinam fornicatus sit hic, et cum quo. Et cum ostenderint, et consenserint invicem verba eorum, tunc profert sententiam, postquam interrogavit, num iusti sint, et non passione ducti, et perfecto intellectu atque aetate. Et si reus confiteatur, quod fornicatus sit, quatuor vicibus in diebus quatuor debet episcopus interrogare eum, quae fuerit fornicatio, et qualis, et cum quo fornicatus sit, et ubi, et quando. Et postquam patefecerit omnia, tunc profert in eum sententiam. Et ille, qui cum errore fornicatur, videlicet invenerit mulierem in lecto suo, et existimaverit, quod uxor ipsius esset, haud sane ipse reus est, rea tamen mulier.

Directio.

Vir maritus mulieris cum confirmat, seductum se fuisse violenter ad fornicandum, verberatur, et non lapidatur. Et si mulier confirmat, quod violenter ducta fuerit, et vociferata sit, non verberatur, neque lapidatur: et necesse est, ut cum beneplacito praesidis ac testium lapidetur moechus: et primum testes incipiant proiicere lapides, deinde praeses, deinde plebs. Et petrae lapidationis mediae debent esse, quia per parvas protrahitur cruciatus, et ex praegrandibus una occidit, et non potest dici lapidatio. Et moechus cum infirmus fuerit, siquidem lapidandus est, lapidetur in sua aegritudine; sed si verberandus fuerit, relinquatur, donec convalescat. Et ille, qui infirmus est, et non sustinet flagellari centum virgis, debent centum virgae subtiles invicem colligari, et sic una verberatione verberatur, sed dolorifera. Et moechus fidelis, qui lapidatur, non sine oratione sacerdotum debet sepeliri.

SECTIO V.

De illis, qui furantur.

Directio.

Furti tria sunt elementa: res furto sublata: ipsum furtum: et fur.

Elementum primum.

Rei furtivae sunt canones sex.

Canon primus.

Id, quod furto surripitur, si minus fuerit denario uno auri, aut decem drachmis argenti, poenam furi capitalem non conciliat: at si denarium furetur, existimans quadrantem nummi esse, poena imponitur capitalis. Et si tunicam furetur, quae

non valeat denarium, et fuerit in sinu eius denarius aureus, non est capitale crimen eius: et ille, qui bis, aut ter furatur, qualibet vice minus denario, non est reus capitalis poenae. At si in arca foramen faciat, et extrahat saepius minus denario, capitalis poenae reus est. Et cum duo simul furantur aliquid, quod valde minus est duobus denariis, poenae capitalis rei non sunt: at si aliquid, quod valeat duos denarios, furentur, capitali poena puniuntur.

Canon secundus.

Id, quod furto tollitur, non debet esse ex bonis furis. Itaque ille, qui furatus sit aliquid e bonis suis, quamvis illud pigneraverit, aut locaverit, poena capitali non punitur. Similiter et cum dicet fur: haec res mea est, quamvis non possit confirmare, non est poenae capitali obnoxius. At illud ratum est, illum flagellari oportere, ne ausam furibus praebeamus.

Canon tertius.

Id, quod furto aufertur, si fuerit ex organis illegitimis, uti sunt instrumenta cantus, aut ex alia re abominabili, non imponitur furi poena capitalis.

Canon quartus.

Si id, quod furto surripitur, partim fuerit ipsius furis, huic ad capitalem poenam non imputatur. Et idcirco siquis furatur ex bonis, quae communia sunt ipsi, cum socio suo, non amputatur manus eius, quamvis inter mille denarios, quos furatus est, unus denarius sit eiusdem, quia nullus denarius est in illis mille, in quo non habeat partem. Et aliqui dicunt, quod et ratum est, nempe quod quamvis duos denarios communes sibi cum alio furetur homo, manus eius amputetur, quia denarium unum non suum furatus est. Et fidelis, cum e domo sanctuarii furatur, non amputatur manus, quia habet in ipsa partem, uti reliqui fideles, sed servetur iudicium eius illi, qui sanctuarium suum communivit, Deo, cuius gratiae laus.

Canon quintus.

Siquis furatur ex bonis crediti, quod habet in aliquem, qui morosus sit debitor, non punitur ut fur dominus crediti: at si ille non fuerit morosus, amputatur manus eius. Et filius cum furatur ex bonis patris sui, capitalis poenae reus non est: sicuti neque mulier cum furatur ex bonis mariti sui. At vir cum furatur e bonis uxoris suae, capitali poenae subiicitur: et siquis furatur herbam, aut venationem, aut ligna ex silva, aut fructus ex arbore, aut aliquid, quod semel furto sublatum fuit, et propter quod manus amputata iam fuerit, non amputatur manus eius.

Canon sextus.

Siquis furatur aliquid, quod non sit in loco custodiae, non amputatur manus eius: et manifestum est, quod stabulum sit locus custodiae iumenti, et non indumenti; et platea aedis sit locus custodiae stratorum atque vasorum, et non pecuniae: et campus, et via, et ecclesia non sint locus custodiae illius penitus rei: nisi fuerit eius, cuius vicina est custodia, aut fuerit dormiens, aut fuerit vacuus (*inanis*, *errans*) ut pistor (*coquus*) aut mercator in multitudine emptorum; tunc enim amputatur manus furis huiusmodi. Et siquis ex aede, cuius aperta fuerit porta, furatur, non amputatur eius manus. Et res quae do-

mi sunt, veluti cortinae cilicinae, et iumentum apud pastorem in campo, haec inquam sub custodia esse censentur. Et siquis e sepulchro sindonem, qua involvitur mortuus, furatur, flagellatur, et non amputatur manus eius. Et si locus custodiae proprius furis fuerit, aut is pigneraverit illum, aut locaverit, amputatur manus eius: at si rapiatur ab eo, minime.

Elementum secundum.

Actionis furti tres sunt canones.

Canon primus.

Apertio portae clausae. Ille itaque, qui nocte prima perforat, et nocte secunda ingrediens furatur, si vidit dominus domus aditum, ac non occlusit ipsum, non amputatur manus illius. Et cum duo perforant, et unus ex eis intrat ad furtum extrahendum, manus illius, qui intrat et extrahit, amputatur, et non alterius.

Canon secundus.

Qualitas acceptionis. Itaque siquis intrat in locum custodiae, et manducat escam, quae valeat unum denarium, et egreditur, non amputatur manus eius. Et si devorat margaritam quae valeat denarium, et egreditur, amputatur: et si perfodiat latus arcae, et cadant pecuniae extra aerarium, quamvis nihil ex iis accipiat, amputatur. Et siquis furatur aliquid, et illud deferendum imponit asino, qui ibidem existit, et egreditur, non amputatur manus eius. Et siquis furatur ovem quae valeat octo drachmas, et cum educit ipsam, currit cum eo etiam agnus valens duas drachmas, amputatur manus eius, etsi agnus non ierit volente fure. Et siquis accipit servum parvum e conspectu portae domini illius, aut vocat, et removet eum, et deinde abigit ipsum, si servus ex illis sit, qui intelligunt, non amputatur manus accipientis eum; secus amputatur.

Canon tertius.

Locus, in quem transfert fur furtum. Itaque ille, qui ex communi loco in communem alium intra ipsam domum transfert pecunias, et fugit, amputatur: et si in aedem extrinsecam educit, ac fugit, si illa non habeat portam exteriorem, amputatur; secus, minime. Et vicinus si furatur ex officina vicini sui, aut siquis invitatus ad convivium, furatur domino convivii, non amputatur manus eius, quia non removent ab eo pecunias, quemadmodum ab alienis.

Elementum tertium.

Fur hic perfecta aetate, et mente debet esse. Et ideo non est sententia super puerulo, neque super energumeno: est autem super libero, et servo, et viro, ac femina, et fideli, et infideli.

Directio.

Furtum uno ex his tribus confirmatur: iuramento: confessione: ac testimonio.

Confirmatio prima.

Cum dicet fur: furatus non sum, adiuretur; et si iurat, non iudicatur: et si non iurat, redit adiuratio super illum, a quo furto sublatum sit aliquid: qui si iuret, solvit fur, iuxta id, quod dicit adversarius ipsius sibi furto sublatum esse: amputatur etiam manus eius.

Confirmatio secunda.

Liber, si postquam accusatur de furto, confiteatur, se furatum fuisse, solvit, et amputatur manus eius. Et

si postquam confessus est, abneget, et dicat: furatus non sum, et mentitus sum in confessione mea, non confirmatur ei ius mulctae manus suae super adversario suo. Et servus cum confitetur, se furatum esse dimidium denarii, non recipitur verbum eius, si non consentiat dominus eius. Et si confiteatur, se furatum fuisse denarium, amputatur manus eius, quamvis non consentiat dominus eius: et si dicat servus: furatus sum, et dedi domino meo; non recipitur verbum eius, quia contumelia afficit dominum suum.

Confirmatio tertia.

Testimonium. Furtum non confirmatur, nisi cum testimonio duorum virorum iustorum. Et si unus vir, et duae feminae testentur, debet solvere, et non amputetur: quamvis si unus vir, et duae feminae testentur, aliquem voluntarie homicidium commisisse, is non solvat mulctam, neque occidatur. Et cum testantur duo de aliquo, quod furatus sit bona alicuius absentis, non amputatur manus eius, donec ille praesens adsit.

Directio.

Ille, qui furatus est, debet restituere id, quod furatus est, si existat, et amputatur manus eius. Et si non existat, pretium eius restituat, ac amputetur manus eius. At aliqui dicunt: si non existat id, quod furto sublatum est, pretium eius restituat fur, et non amputetur manus eius.

Amputatio manus a nervis, quae sunt inter exteriorem brachii medii partem ad cubitum, fieri debet, et non ab humero, uti dicunt aliqui. Et prima quidem vice, in qua fur deprehenditur in furto, manus eius dextera amputetur; et secunda, pes eius sinister, et non dexter, ut non cesset gressus eius: et tertia, manus eius sinistra: et quarta, pes eius dexter: et quinta, dicunt, occidatur: at illud firmum, ut caecus fiat, et sexta occidatur. Et post amputationem, debet locus eius lavari oleo, quod igne ferveat, ut non corrumpantur membra reliqua. At aliqui dicunt, quod si nolit, res haec ei non fiat; sed id ratum non est, quia fieri potest, quod ex affectu in patrem recuset: manifestum est autem, quod pretium olei ipse debeat solvere. Praeterea et proiiciatur oportet manus eius in collum eius triduo, veluti ad eius confusionem, et increpationem ceterorum furum. Et sicuius manus dextera nocumento caelesti putrefacta fuit, et idcirco amputata, cum furatur prima vice, pes eius sinister amputetur. Et si ille, qui amputat, erret, et manum sinistram amputet; aliqui dicunt, quod debeat solvere is, qui amputavit, pretium eius furi, et rursus amputetur pes eius sinister: at id aequum non est, sed sufficit ei malum, quod contigit. Et si non per errorem, sed cum scientia amputavit sinistram, sinistra eius, qui amputavit, amputatur, et dextera furis; et ita ambae manus furis amputantur.

SECTIO VI.

De latronibus, et sicariis.

Directio.

Latrones, et sicarios potentes viribus dicimus illos, qui in locis ab auxilio remotis rapiunt, captivant, et

occidunt. Nam si debiles homines fuerint, et postquam rapuerunt, fuga sibi consulunt, flagella solum merentur, non vero sententiam mortis. Potentes autem viribus dicimus non solum masculos, aut armatos, sed et quotquot possunt captivare, et occidere: aliqui tamen dicunt, quod si vel una mulier sit in medio latronum, flagellantur, et non traduntur morti. Et in locis remotis ab auxilio dicimus; illi enim, qui in vicinia locorum habitatorum rapiunt, fugitivi, potius quam latrones sunt, sed cum non sit timendus, et durus praeses, circa oppida, aut civitates rapiunt, et latrocinantur; quemadmodum etiam illi, qui intra civitatem noctu cum lampadibus, et sub splendore stellarum intrant in alicuius aedem, coopertas habentes facies, ne cognoscantur, tamquam fures, et non tamquam latrones iudicantur.

Directio.

Latro si adolescens fuerit, amputetur manus eius: et si senex fuerit, occidatur: et si non habeat robur adolescentis, neque mentem senis, flagelletur, et eiiciatur. At illud ratum, quod si vel unum denarium abducat, amputetur manus eius dextera, et pes eius sinister simul, quia praedo magis infestus est, quam fur: et quamvis plures participent in ipsa acceptione, omnes una recipiunt hanc poenam capitalem. Et si occiderit solum, occidatur; et si plures unum occiderint, omnes occidantur. Et si neque rapiant, neque occidant, sed solum terrorem, commotionemque iniiciant, flagellentur, et eiiciantur, minime vero occidantur. Et si rapiant, et occidant simul, appendantur super ligna, confixis manibus, et pedibus suis, et relinquantur, ut cruciatu ampliori torti deficiant, et dispereant, ac triduo solum super patibulis maneant, deinde deponantur, et sepeliantur cum oratione, si baptizati fuerint.

Directio.

Latrones, si resipiscant antequam comprehendantur, suscipiantur, neque occidantur, vel crucifigantur, neque amputetur ullum ex membris eorum, sed restituant id, quod rapuerunt. At si postquam comprehensi fuerint, paenitentiam ostendant, non suscipiantur. Et latro, cum occiderit, et detentus fuerit, si non obsecrent heredes occisi praesidem, ut eum occidat, quin etiam dicant, nos illum occidi nolumus, possunt recipere solutionem mulctae occisorum suorum e bonis latronis, et hoc quamvis praeses occidat ipsum latronem.

Directio.

Sunt et alia plurima delicta praeter ea, quae numerata sunt, quibus homo in Deum, aut socium suum peccat, puta si utatur ebrietate, et crapula, aut eloquio mendaci, aut opprimat, et defraudet, aut accipiat usuram, et foenora, aut contumelia afficiat etc. Delinquentes huiusmodi episcopus debet corrigere admonitione, aut increpatione: quod si non proficiat, praeses castiget flagellis. Pater etiam et ipse potest corripere natum suum, et dominus servum suum, et vir uxorem suam: et praeses solum simpliciter potest flagellare. Flagellationes vero dicimus percussiones, quae adversus corpora nuda delinquentium virgis lacerantibus, decem scilicet virgis fiunt: quae enim has excedunt, mortales sunt. Pater autem filium suum pro-

pter correptionem, et eruditionem pravae indolis debet percutere solum, et non flagellare: dominus autem servum suum similiter percutiat, et non flagellet: aliqui dicunt, posse flagellare: et vir uxorem suam, si causa sui conturbetur, et fugiat e domo ipsius. Et praeses antea comminetur delinquenti, et si non proficit comminatio, tum flagellet: et virga media debet esse inter baculum, et fustem: et ille, qui percutit, ne elevet manum suam super caput suum, neque parum attollat, sed mediocriter, ut dolore afficiat, et non enecet. Et verberationes in toto corpore fiant, praeter caput, faciem, collum, et lumbos: et non ligentur manus eius, qui verberatur, ut, si velit, manibus suis excipiat verberationes: et vir stans verberetur, ac mulier sedens verberetur, et veletur peplo, ut non nudetur.

SECTIO VII.

De retributione vastatorum (iniquorum iudicum).

Directio.

In capite illo, quod fuit de raptoribus, quaedam diximus de hoc proposito, sed heic reliquum est, ut loquamur de tribus aliis canonibus.

Canon primus.

Princeps cum iudicat aliquid modo non legitimo, debet damnum reparare, ceu ille, qui sic laedit ipsum etiam populum: itaque cum flagellat delinquentem, qui morte dignus non sit, et tamen hic moriatur prae flagellis, solvit mulctam eius dominis eius. Similiter si non recte iudicaverit, scilicet ex testimonio duorum non iustorum, aut duorum servorum, aut duorum puerulorum flagellaverit aliquem, et tandem innotuerit, quod ille non deliquerit, ipse debet reconciliari cum illo, qui flagellis caeditur. Et aliqui dicunt, quod testes compensent: et manifestum est, quod flagellator non compenset, quoniam iussus id facit.

Canon secundus.

Cornupeta. Et hic cornupetam dicimus non solum iumentum, sed et omne damnificum, sive bos fuerit, sive asinus, sive homo fidelis, sive non fidelis, puer, minor, aut energumenus. Itaque cum offendit aliquis cornupetam damnificum, debet pugnare cum illo, eumque a se repellere: et non solum a sua persona potest homo repellere cornupetam, sed et a suis bonis: et quamvis unus sit denarius, potest repellere a pecuniis, quae suae non sunt; si non possit repellere cornupetam, debet eiicere, alias non. Et aliqui dicunt, quod non debet. Expulsio autem non quovis modo fieri debet, sed gradatim: nam si clamore expellitur, non percutiat: et si percussione expellitur, non laceret: et si vulnere expellitur, non occidat. Itaque si fugientem cornupetam insectetur, et occidat, damnum mulctae patitur, si homo non fuerit; secus occidatur, quia occidit, si homo cornupeta fuerit. Et hic sunt quatuor typi.

Typus primus.

Si possit homo fugere e conspectu cornupetae, non licet ei illum percutere: et si virga propellitur, non debet gladio illum percutere: et si petra expellitur, non debet sagitta illum adpetere.

Typus secundus.

Cum mordet cornupeta manum hominis, potest discerpere manum eius: et si decidant dentes cornupetae, non solvit; et si non possit illos excutere, licet ei percutere cultro ventrem illius, et comprimere genitalia eiusdem.

Typus tertius.

Cum prospicit aliquis per scissuram portae, aut per fenestram alterius, et videat verenda eius, aut domesticorum eius, potest dominus domus verberare oculum eius sputo, quin illi significet, ut caveat; si tamen ille excaecetur, solvit. Qui accedit in occulto, et percutit oculum illius, qui prospicit, acu, aut sagitta, si oculum eius eruat, detineatur.

Typus quartus.

Cum aliquis aures dat sermonibus alterius loquentis domi suae e fenestra, non potest illum ab initio percutere dominus domus, sed clamorem edat contra eum; et si non recedit, percutiat aurem eius, aut caput eius; et non solvit, si ille laedatur.

Canon tertius.

Iumentum, quod corrumpit aliquid, dum non est cum eo dominus ipsius, si die emittitur in satum, non solvit dominus eius; at si nocte emittitur, solvit; quia satum debet per diem custodiri ab eius domino, et iumentum noctu a suo domino. Et si dicatur, quod etiam per diem custoditur iumentum a pastoribus, et noctu etiam dimittitur, ut pascat; dicimus quod mos est pastoribus, quod omittant custodiam per diem, et per noctem. Si in hortum, cuius aperta sit porta, ingrediatur iumentum, non debet dominus eius solvere, nam dominus horti deliquit, non claudendo portam horti sui. At si cum eo sit dominus iumenti, siquid corrumpat, solvit dominus ipsius, quidquid corruperit pedibus suis anterioribus vel posterioribus, aut ore suo. Verum, si quid corrumpit iumentum per lutum, aut arenam, quae ob gressum eius cadunt super aliquid, non solvit dominus eius, si iuxta morem propellat ipsum: at si ipsum currere faciat immoderate, solvit. Et ita ille, qui dimittit camelos suos in vico absque ligamine: et ille, qui sedet super equum non domitum in medio populi. Et heic sunt typi quatuor.

Typus primus.

Cum scinditur tunica alicuius a lignis, quae portat asinus, quia illum haud declinare fecit, si tamen vocem edidit et clamorem erga illum dominus asini, et ipse non recessit, non solvit dominus asini; at si non vociferatus sit, solvit.

Typus secundus.

Cum intrat iumentum in satum, et cum ipsum expellit dominus sati, ingrediatur, et corrumpat satum alterius, non solvit ille, qui eiecit iumentum. At si medium fuerit satum eius inter sata ex omni parte circumstantia, debet ipsum non eiicere, sed tolerare, quamvis corrumpat satum suum, nam poterit repetere a domino illius. Et si expellat tunc, et corrumpat satum alterius, qui eiecit iumentum, solvit; et quandocumque dominus sati praesto est, et potest eiicere iumentum, et non eiicit iumentum, dominus non debet solvere.

Typus tertius.

Feles alicuius cum ingressa occidit volucre alterius, aut subvertit ollam eius,

non solvit *dominus felis*, quia mos non est, ut ligetur feles.

Typus quartus.

Feles improba, quae consuevit nocere volucribus, et disperdere cibos, ac foedare coctionem, debet occidi, etiamsi quieta sit, quia nihil differt a lupo, qui domesticus fieri non potest: et similiter canis noxius. Et aliqui dicunt, quod occidi non debeat, eo quod nocumentum ab ipsa illatum accidentale sit, et non naturale, ut est illud lupi.

CAPUT XXXV.

De immolatione, (macello) *venatione, et discretione ciborum.*

Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis immolationis.

Directio.

Quatuor sunt elementa immolationis: id quod immolatur: instrumentum: ipsa actio immolationis.

Elementum primum.

Lanius, christianus, intellectu praeditus, et saecularis debet esse. Et christianus quidem, eo quod comedere ex immolatis heterodoxorum, potissimum ethnicorum idololatrarum et magorum, prohibuerunt patres sancti: et ab immolatis Iudaeorum magis, quam Agarenorum, removent conscientiae fidelium: et apostolus divinus Paulus temporibus, in quibus pauci erant fideles, praecipit: quidquid venditur in macello, comedite absque disquisitione. Et intellectu praeditus dicitur esse debere, quia puer parvus, et vir energumenus confuse, et non iuxta convenientiam nempe cum debita sanguinis evacuatione sciunt mactare. Saecularem praeterea diximus esse debere, eo quod presbytero et diacono non liceat immolare, aut mactare.

Elementum secundum.

Id quod immolatur. Scias vero, quod animalium quaedam sunt manducabilia, quaedam vero haud manducabilia, quemadmodum paulo post ostendemus. Et manducabilium quidem, aut comestibile est mortuum ex ipsis, puta pisces, locustae, aut *non* comestibile est: et liquet quod animalis, qui non comeditur, et illius, qui, cum moritur, comeditur, frustranea sit mactatio. Sane animalia marina omnia comestibilia sunt: reptantia vero et ranae, comestibilia non sunt omnino; cancer autem, et carpus, sicei tantum non comeduntur. Et de cane aquatili variant sententiae. Porro illa, quae mactantur, si venalia non sint, necessario debent immolari per amputationem gutturis, et gulae: at si venatilia sunt, ubicumque, in quocumque membro, cum percutiuntur, et moriuntur, comeduntur: certe si cum comprehenduntur, nondum mortua sint, debent mactari: et si derelinquuntur, ut moriantur, quamvis ob id necessario adhibeatur culter, non debent comedi. Et ita cum in puteum cadit bos, ac timeat eius dominus, ne moriatur, quamvis in latere eius percutiat ipsum cultro, aut alia re, si egrediatur ex eo sanguis, comedi potest. Et similiter dum bos, aut pecus effugit, et difficulter detinetur, opus vero habeat dominus eius illum mactare, debet expectare, donec comprehendat ipsum: quod si non potuerit, potest illud

percutere sagitta, ceu in venatione, et ipsum manducare.

Elementum tertium.

Ea quae pertinent ad venationem, et immolationem triplicis sunt generis: animalia venatica: instrumenta armata: materiae illae, quae vi sua occidunt; item illae, quae suffocant.

Genus primum.

Venatu captum, quod canis indicat, manducabile est, si morsu eius moritur. Et indicium canis tribus dignoscitur: uno quidem, si nutu domini sui currit: secundo, si a praedae indagatione removeatur: tertio si non comedat ex venatione ob timorem a domino suo: et quidem debent replicari saepius haec indicia, et tum demum confirmatur, quod canis praedam indicaverit. Quod si aliquando non increpetur, dum dominus eius illum ad indagandum immittit, maxime cum est in aestu cursus; aut si aliquando comedit, maxime cum fuerit valde famelicus; non idcirco manducabilis non est venatio eius: pars tamen a cane morsa abiici debet.

Genus secundum.

Instrumenta armata sunt gladius, sagitta, hasta, et omnis res, quae constat ex ferro: manducabile autem est quidquid per ipsa percutitur. Praeterea id, quod arundine, et ligno capitur, et occiditur, manducabile est, praeter id quod dentibus aut unguibus mactatur, aut occiditur; non est enim hoc manducabile.

Genus tertium.

Volucre, quod lapide percutitur, ac occiditur, et moritur, non manducatur. Et ita omnis venatio, quae fune, aut filo suffocatur, aut suffocatur subtus canem, et quin egrediatur ex ea sanguis, manducabilis non est: animal autem gradiens, si percutitur, et egreditur ex eo sanguis, quamvis cadat, et suffocetur, comeditur.

Elementum quartum.

Actio mactationis. Tota pars pectoris suprema confinis collo, et gula debet amputari in mactatione, ita ut ambo simul nexus coxarum amputentur: sed etiam ex collo occipitii potest mactari iumentum. Et instrumentum ipsum ex ferro, aut re alia, praeterquam ex osse, debet esse; nam et belua venatica, cuius ossa sagitta percutiuntur, manducabilis non est. Et iumentum quod suffocari, aut mori incipit, debet mactari; et si postquam mactatur, movetur secundum consuetudinem, comedatur; alias minime: et ille, qui mactat, acuere cultrum suum debet, et nomen Dei vivi invocare, dum mactat, et in orientem convertat faciem beluae, quae mactatur.

SECTIO II.

De confirmatione dominii in venationem.

Directio.

Omnis, qui propriam sibi vult venationem, aut in loco angusto, ex quo egredi non possit, claudit ipsam, ibique commorari facit eam, aut tondet alam ipsius, et propriam sibi facit venationem illam. Itaque siquis coarctat venationem in locum angustum, et ipsa aufugit ab eo, ac alius capit eandem, eius qui capit est, et non eius, qui conclusit, quamvis locus angustus sit eiusmet qui occlusit eam in ipso. Et venatio, quae cadit in la-

queum alicuius, ipsius est, qui tetendit laqueum. Et illa, quae cadit, et mergitur in campum, quem irrigavit dominus eius non propter venationem, sed propter semen, aut ingreditur in aliquam aedem, aut nidificat in ea, non domini est campi, aut aedis illius, sed eius, qui capit ipsam. Et siquis venatur venationem, quae sua non sit, quamvis aufugerit e manu domini, aut ex laqueo eius,et quamvis dominus voluntarie dimiserit eam, domini est, et non illius, qui capit eam. Ecce enim ille, qui liberat asinum suum a suo servitio, ipsius est, et non cuiusque, qui capit eum. Et si columbae turricolae alicuius forte permiscentur cum columbis turricolis alterius, et non possit ille suas cognoscere, nemo ex eis potest vendere quidquam ex ipsis alieno homini, sed prius mutuo conveniant, quod unius eorum omnes sint,et statim ille vendat suum, si velit. Et cum columbae propriae alicuius hominis permiscentur cum columbis alicuius loci, non propterea prohiberi debent a venatione incolae regionis illius.

Directio.

Cum duo venatores simul percutiunt venationem aliquam, et unus quidem ictu, qui non occidit statim, alter autem ictu, qui statim occidit; aut si ictus, qui statim non occidit, praecedit ictum, qui occidit statim; venatio domini ictus, qui statim non occidit, est, quia licet eam non occiderit, poterat eam occidere, quia illam debilitavit suo ictu. Et si ictus statim occidens praecessit, venatoris, qui occidit, est venatio. Et si amborum simul sint duo ictus, tam illi, qui statim occidit, quam alteri, qui statim non occidit, communis est venatio illa.

SECTIO III.

De differentia (discretione) *escarum.*

Directio.

Non omne, quod intrat in os, coinquinat ipsum, in evangeliis suis adorandis dixit Dominus noster. Et divus Paulus Timotheo scribit: omne quidem, quod creavit Deus, bonum est, et nihil est abominabile, si cum laudatione Dei suscipiatur; sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem. Et Tito scripsit: omnia enim munda sunt mundis: illis vero, qui immundi sunt, et infideles, nihil mundum est, sed immunda est mens, et conscientia eorum. Et ad Romanos: illi autem, qui infirmus est in fide, date manum, et non sitis fluctuantes in vestris cogitationibus. Est enim, qui credit? omnia manducet: et qui infirmus est, olus manducet: ille autem, qui manducat, non spernat illum, qui non manducat; et ille, qui non manducat, non iudicet eum, qui manducat. Et magnus Basilius ad Amphilochium Iconii avunculum suum de illo, qui vovit, se non manducaturum carnem suillam,res inquit ridicula visa est mihi; doce eos ergo, ut alieni sint a votis, et promissionibus irregularibus; neque enim est quidquam ex Dei creaturis immundum, et reprobandum, dummodo cum Dei laudatione sumatur. Itaque dicimus, quod ab esu cuiusvis rei, quae comedi potest, non debet prohiberi is, qui asceta non est, exceptis septem tamen rerum generibus.

Genus primum.

Illa, quae prohibentur manducari in novo testamento, tria sunt: immolatum, idest idolothyta; sanguis; et suffocatum, hoc est mortuum sine mactatione, manducari non possunt, praeter locustas, et pisces, qui comeduntur, quamvis mortui, et non mactati: et praeter foetus, qui reperiuntur in ventre vaccarum, et ovium mactatarum, qui comeduntur, quamvis suffocati. Et artem scarnificationis reprobant aliqui, eo quod in sanguinem, qui comestibilis non est, potestatem habeant qui eam artem exercent: et manifestum est, quod ad hoc opus *apostoli* elegerunt Iudam, qui vocabatur Barsabas, et Silam viros primarios in fratribus, et scripserunt epistolas per manus eorum, ac miserunt eos cum Paulo, et Barnaba Antiochiam, et in Syriam, ac Ciliciam, et praeceperunt, ne imponeretur onus excedens, extra ea, quae necessaria sunt, fidelibus, sed se abstinerent dumtaxat ab immolato, et a sanguine, et a suffocato, et a fornicatione.

Genus secundum.

Ex animalibus, quidem animalia rapacia, idest quaecumque habent dentes caninos; et ex volatilibus incurvatum rostrum habentia, quorum per se natura cicurari non solet. Et ideo lupus, et ursus, et leo, et tigris non sunt comestibiles, quamvis forte mansueti fiant: et ita asinus dentibus caninis praeditus, elephas, et canis, comestibiles non sunt, licet mansuefieri possint. Et sic asinus, mulus, equus, camelus, et omnis fera seu silvestris, seu domestica, non sunt comestibiles: neque reapse comeditur v. gr. onager. Et de vulpe, dama, hyena dubitarunt aliqui. Et histrix, et cattus non sunt comestibiles, quia canis similes sunt Et ex volatilibus aquila, vultur, gryphus, accipiter, omnino comestibiles non sunt.

Genus tertium.

Nocua omnia ex volatilibus, et ex animalibus illa sunt, quorum interfectores haudquaquam damnantur; et comestibilia non sunt, v. gr. scorpii, mures, serpentes, corvus, et alia huiusmodi.

Genus quartum.

Illa, quorum occisores rei sunt, comestibilia non sunt, uti psittacus, et hirundo, vespae, formicae: et coturnicem aliqui dicunt comestibilem esse, uti gruem; at aliqui negant. Et piscium varia genera, et turtures, et passeres omnes comestibiles sunt: quamvis inquam hi coloribus varient, comestibiles sunt. Et ita volatilia aquatica omnia, et pisces omnes.

Genus quintum.

Repens omne abominabile nec comestibile est, uti scarabei, et lucertae, et ranae, et testudines; at de cancro dubitarunt aliqui. Et ita reptile alatum, uti muscae, et locustae, comestibile est; at de histrice dubitarunt aliqui.

Genus sextum.

Omne mundum, in quo admiscetur aliquid ex non comestibilibus, haud comestibile est, nisi sanctificetur per orationem. Itaque vinum, aut oleum, aut pinguedo, in quibus suffocatur mus, haud comestibilia sunt, nisi sanctificentur. Et adeps si non sit effusus, et durus, debet proiici quidquid eius tactum fuit a mure. Et aqua putei hauriatur, et proiicia-

tur, et deinde orent sacerdotes super adipem reliquum. Ille etiam, qui vendit ex eo vino, aut oleo, aut adipe huiusmodi, debet indicare id, quod contigit, emptoribus, ut si patiatur stomachus eorum, utantur: alias secus, et non decipiat, et reus fiat, quamvis oraverit super ipsa sacerdos.

Genus septimum.

Volatilia quae vescuntur stercore, et purgatione hominum, et cadaveribus; ea, inquam, siquidem non apparet foeditas in carne eorum, uti est gallina, comestibilia sunt, secus minime. Reliqua huiusmodi, scilicet etiam porcus, abstinere debent a cibis abominabilibus, et cibari legumine, et deinde mactari.

Directio:

Tempore necessitatis omnia comestibilia fiunt. Et hic tria schemata debent perpendi: necessitas: species comestibilis: et quantitas eius.

Schema primum.

Necessitatem dicimus tempus illud, in quo existimat homo, quod si non manducet, moriturus sit. Et ita quoties aegrotus fuerit, et existimaverit, quod si non comedat ex re aliqua non comestibili, subito morietur, non debet homo huiusmodi expectare, donec diserte appareant signa mortis.

Schema secundum.

Species comestibilis. Omne enim, quod non comestibile est, sive suffocatum fuerit, sive immolatum, sive sanguis, sive animal ex iis, quae numeravimus, tempore necessitatis debet comedi, excepto homine. Itaque nequaquam licet illi, qui est in necessitate, quamvis appareant in ipso omnia signa mortis luculenter, occidere hominem, quamvis hic infidelis sit, neque servum suum, neque natum suum. Nonnulli vero *dicunt quod* dignos morte, homicidas scilicet, et moechos, et sodomitas, possit occidere, quamvis id non indicet praesidi. Alii denique dicunt, quod partem e servo suo, scilicet frustum ex femore eius, possit dominus amputare in necessitate, si sciat, quod ille non sit moriturus ex huiusmodi amputatione. At id ratum non est. Et cum invenerit homo cibum alterius, qui non sit in simili necessitate, potest illum comedere, verum ex auctoritate domini eius; et si non det gratis, emat ex eo; et si non vendat, rapiat. Et cum invenit ille, qui est in necessitate, cibum comestibilem, qui venditur, et invenit etiam suffocatum, aut sanguinem gratis, qui scilicet gratis detur, debet emere, et comedere de cibo mundo, et non comedere cibum incomestibilem gratis.

Schema tertium.

Quantitas comestibilis. Aliqui dicunt, quod ad vitae tantummodo conservationem comedat aliquis ex incomestibili in necessitate. At alii dicunt, quod postquam excesserit fines prohibitionis, et iam pollutus sit homo, ad satietatem comedat. Et illud firmum est, quod si spem habeat, mundum sibi comparandi cibum, ob vitae conservationem solum comedat: et si spem non habeat talis comparationis, ad satietatem suam comedat; atque etiam viaticum sumat, si in via fuerit.

CAPUT XXXVI.

De iuramento.

In eo sunt sectiones duae.

SECTIO I.

Qualiter fiat iuramentum, et in quo expietur peccatum eius.

Directio.

Audistis, quia dictum est antiquis: ne iuramentum mendax proferas, exhibebis autem Domino iuramentum tuum; ego vero dico vobis, ne iuretis omnino, Dominus noster dixit in evangeliis suis adorandis. Sed filii saeculi huius consentiunt iuramento faciendo aut ob necessitatem iudiciorum saecularium, uti dixit apostolus: omnis contentio, quae contingit inter homines, iuramento solvitur; aut per consuetudinem sermonis, aut per iram, aut per desiderium, et aliis modis, quos enumeraturi sumus; et de modo illo iudicii postremo agemus. Nunc dicimus, quod iuramentum actiones possibiles, quae fuerunt, et fiunt, et non necessitatem, aut impossibilia respicit; et ipsum quidem hoc in nomine Dei, cuius honori adoratio, fit, aut per aliquod e nominibus eius naturalibus, non temere, ut dicitur in sermone simplici quotidiano, per Deum, aut non per Deum ago, aut age tu, sine animo confirmandi quidquam. Et quod per nullam creaturam debeat quis iurare, vel adiurare, constat ex duobus: 1. ex illo quod dixit Dominus noster: non per caelum, quia sedes est Dei etc. 2. ex illo quod dicunt patres, quod cum baptizat sacerdos, non usurpet nomen ullius creaturae in adiuratione contra satanam; quia irridetur a diabolis ille, qui adiurat eos per quidquam extra Deum, et cum idololatris numeratur.

Directio.

Et vis iuramenti quinque modis confirmatur.

Modus primus.

Siquis iurat per nomen, quod non dicitur, nisi de Deo, cuius gratiae gloria, v. gr. per Deum, aut creatorem, aut adonai, aut elohim, aut aeternum, validum est iuramentum eius.

Modus secundus.

Siquis per nomina, quae etiam aliis conveniunt, iurat, scilicet per factorem, aut conditorem, non est validum, nisi adiungat to-omnium-.Et similiter dum per illum, qui non habet finem; nam etiam angeli, et animae, et corpora post resurrectionem sine fine erunt. At si ad Deum respiciat mente et animo suo, sive id vocabulum adiungat, sive non adiungat, validum est iuramentum.

Modus tertius.

Cum per virtutem Dei, aut per sapientiam eius, aut per verbum eius, aut per spiritum eius iurat, seu is, qui per ipsum iurat, validum est.

Modus quartus.

Cum per illum, qui est, aut per invisibilem, aut per incomprehensibilem, non est validum, nisi adiungat, natura sua; nam etiam omne creatum, est; et omne occultum, non cernitur; et omne, quod non ascendit in mentem, incomprehensibile est.

Modus quintus.

Siquis dicit: Deus testis est, aut testem advoco Deum, me persolu-

turum esse Deo ieiunium mense uno, aut eleemosynam talem, aut eulogias tales; debet perficere actiones illas. At si dicat, si rursus ieiunabo, aut rursus orabo, aut rursus castus ero, non debet perficere ea, sed canonem propitiationis (*expiationis*) impleat.

Directio.

Quicumque iurat, debet confiteri sacerdoti, et implere canonem expiationis. Et aliqui dicunt, quod si mentiatur, debeat; secus, minime: at id ratum non est, eo quod Dominus noster praeceperit nobis: ne omnino iuretis. Itaque omnis, qui iurat, quamvis cum veritate, debet liberare hominem fidelem subditum servituti, si possit; secus, vestiat decem pauperes; et si non possit, cibet decem famelicos; et si nequeat, eo quod inops sit valde, ieiunet tribus diebus continuis: non dico, ut dormiat incaenatus, sed caenet vespere pane sicco, et aqua cum sale: et ita expiabitur peccatum eius. Et vestimenta pauperum decem non debent esse omni ex parte perfecta, sed licet decem tunicis, aut decem palliis decem nudos induat, sufficit. De illis autem, qui iurant, et mentiuntur, si sine voluntate sua ducuntur vi ad mentiendum, post sex annos cum fuerint in paenitentia, et lacrimis, praecepit magnus Basilius, eos recipi ad communionem: et si voluntate sua mentiuntur sine violentia, post undecim annos.

Directio.

Si autem moriatur qui iuravit cum veritate, heredes eius debent e bonis ipsius propitiationem pro eo curare. Et si iuravit, et mentitus est, non possunt expiationem pro eo offerre; sed Deo, cuius miserationibus laus, relinquatur negotium ipsius. Si servus fuerit ille, qui iurat cum veritate, praeter ieiunium, nihil aliud debet perficere.

SECTIO II.

Quomodo, et in quibus iuramentum sit mendax seu falsum.

Directio.

Falsitatis iuramenti septem sunt modi.

Modus primus.

Dictio de introitu. Siquis iurat, se domum non ingressurum, si ascendat in tectum eius deforis, non mentitur, licet e tecto descendat in domum. Et ille, qui iurat, se non esse egressurum domo, si ascendit in tectum, mentitur. Et siquis iurat, se non ingressurum domum, si ingrediatur in ecclesiam, aut molendinum, aut balneum, non mentitur. Et si intret intra cortinam eorum qui tabernacula incolunt, mentitur: si autem in civitate id agat, aut rure, minime. Et si iurat: non intrabo in hanc domum, debet statim egredi, et non debet educere secum suos domesticos.

Modus secundus.

Dictio de cibo, et potu. Ille, qui iurat: non bibam aquas lagenae huius, non mentitur, nisi cum totam aquam, quae in ipsa est, bibit. Et ita si iurat: bibam aquas lagenae huius, debet totas, quae in ea sunt, bibere. Et patet, quod qui iurat, se bibiturum aquas huius fluminis, mentitur; uti ille, qui iurat, se ascensurum in caelum, et debet expiationem facere. Et ille, qui dicit: non manducabo hunc panem subcineri-

cium, et hunc panem subcinericium; non mentitur, si unum ex eis manducaverit; at mentitur, si ambos manducaverit. Et ille, qui iurat, se ova manducaturum, non mentitur, si diversa a gallinaceis ova *manducet*. Et qui iurat, se non manducaturum carnem, ne adipem quidem comedat: nam ille, qui iurat, se non manducaturum pinguedinem, si spumam comedat, mentitur, et vice versa non mentitur. Et siquis iurat, se non manducaturum, non mentitur, si biberit.

Modus tertius.

Siquis iurat, se non empturum quidpiam, non mentitur, si alium constituat procuratorem, ut emat ipsi aliquid.

Modus quartus.

Siquis iurat: non ingrediar domum talis, mentitur, si ingreditur in quamcumque domum, quae fuerit illius talis. Et si iurat: non intrabo in domum, in qua habitat talis, non mentitur, si intrat in domum, quae illius talis fuerit, at non habitet ibi. Et cum iurat: non intrabo in domum talis, non loquar cum servo talis, non mentitur, si postquam venduntur domus, et servus, intrat, aut loquitur. At si dicat: in hanc domum, aut cum hoc servo, mentitur.

Modus quintus.

Cum iurat: nunquam loquar tecum, discede a me statim, mentitur in eo, quod dixit: discede. At si scribat ad eum, aut innuat, non mentitur.

Modus sextus.

Cum iurat: cras comedam hunc panem, si pereat panis ante crastinum diem voluntate sua, mentitur; secus vero minime. Et cum iurat: cras solvam tibi creditum tuum, si moriatur creditor ante crastinum diem, non mentitur, si heredibus illius solvit. Et cum iurat: initio mensis talis solvam tibi, mentitur, si antea solvat.

Modus septimus.

Cum iurat: non video peccatum, quod committitur, sed si videro, indicabo episcopo, non debet statim, ac videt, indicare. At si moritur episcopus, antequam significet, mentitur. Et cum iurat: non recedam ab adversario meo, donec ab ipso creditum meum accipiam; si reconcilietur cum eo, et dimittat ei, aut recipiat compensationem aliam, mentitur. Et si adversarius eius declinet ab eo absque eius voluntate, non mentitur. Et cum iurat: verberabo talem centum virgis: non mentitur, si fasce centum virgarum verberaverit cum una verberatione.

Directio.

Quodcumque opus iuraverit homo, se non facturum, non mentitur, si illud facit, simili fere modo: si is, qui iurat, se in aedem non intraturum, siquidem vi feratur, et introducatur, non mentitur: at si ipse consentiat, se deferri, atque introduci, mentitur. Et si oblitus fuerit, se iurasse, et fecerit, aliqui dicunt, ipsum mentiri; alii vero negant: et cum iurat aliquis, se non locuturum cum Abrahamo, et loquatur cum turba, in qua est Abraham, si sciat, quod in ipsa est, mentitur; secus vero minime.

CAPUT XXXVII.

De votis.

Et in eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De elementis eius.

Directio.

De voto plurima invenimus in libris divinis. Et sane manifestum est, quod siquis promittat Deo aliquid, debeat persolvere: adimple siquidem Altissimo vota tua, divus David praecepit. Et sapiens: antequam voveas, praepara votum tuum. Elementa porro eius tria sunt: ille qui vovet: dictio eius: et id quod vovetur.

Elementum primum.

Ille qui vovet, fidelis et perfecta statura debet esse. Et quod ab infideli non suscipiatur votum, notum est ex eo, quod dixit Isaias. Attamen cum infidelis vovet, debet implere votum suum, si fidelis fieri promereatur.

Elementum secundum.

Dictio. Cum dicet: si sanaverit me Deus ab hae infirmitate mea, aut sanaverit talem, erit meum debitum erga ipsum sic et sic. Aut: si liberaverit me a damno tali; debet implere, si Deus adimpleverit erga ipsum.

Elementum tertium.

Materia voti ieiunium debet esse, aut oratio, aut profectio ad Hierusalem, aut eleemosyna, aut certamen pro religione recta.

SECTIO II.

Canones voti.

Directio.

Quinque sunt canones.

Canon primus.

Ieiunium. Siquis dicit: si bene fecerit mihi, aut tali Dominus, ieiunabo; quamvis una die ieiunet, implevit votum suum. Et si dicat: ieiunabo die secunda; aliqui dicunt, quod si semel ieiunet die secunda, implevit: et alii dicunt, quod toto tempore vitae suae die secunda debeat ieiunare; et id ratum est; alias, quae est differentia inter feriam secundam, et feriam tertiam? Et siquis vovet ieiunare diebus triginta, et quadraginta, dies ieiunii dierum canonicorum non numerantur in eius voto: at si voveat: ieiunabo hunc annum, etiam ieiunium dominicum, et reliqua ieiunia comprehenduntur in eius voto. Et si voveat diem illum, in quo venerit talis ex itinere suo; si nocte veniat, liberatur a voto suo. Et siquis vovet ieiunare toto tempore vitae suae, diebus sabbati, et dominicis, pentecostes, et festorum dominicorum, non debet ieiunare.

Canon secundus.

Ille, qui vovet, pedestrem se iturum ad adorandum in Hierusalem, debet pedester ire: attamen si aegrotus vehatur, impletur votum eius: si vero, eum sanus est, et potest ambulare, si insideat, non impletur votum eius; nisi secundo eat, et ubi vectus fuit, ambulet; et ubi ambulavit, vehatur: et liquet, quod si in regressu suo sedeat, vanum non efficitur votum eius.

Canon tertius.

Si voveat, se in ecclesia Deiparae, quae est in *Anthrothurio* oraturum, etsi in ecclesia alia, quae in nomine Deiparae aedificata sit oraverit, impletur votum eius. At si voveat: in

ecclesia S. Iohannis evangelistae orabo, non impletur votnm eius, nisi in huiusmodi ecclesiam se conferat; quia Deiparae quidem reliquiae neque in Anthrothurio, neque in ulla ecclesia sunt; de sanctorum vero reliquiis non ita se res habet.

Canon quartus.

Cum vovet agnum, aut vitulam, aut rem aliam comestibilem Domino, debet illam mactare, et adducere ad sacerdotes, et diaconos, ac pauperes: et si equum, aut asinum, aut aliud voveat, vendat, et pretium eius distribuat clericis, et pauperibus.

Sectio III.

De decimis.

Decimatione decimate omnem seminis vestri redditnm, quem producit terra vestra quolibet anno: decimas proventus tui, et vini tui, et olei tui, et primogenita boum tuorum, et ovium tuarum; et disces timere in conspectu domini Dei tui cunctis diebus, Deus in lege vetere filiis Israel praecepit. Filiis autem ecclesiae sanctae in nova praecepit: nisi abundaverit iustitia vestra plusquam illorum. *Nos igitur* multo magis urget debitum decimarum, et segregationis oblationum Domino, quam illos.

Directio.

Omnis liber fidelis perfectus statura, et mente, qui possidet alimentum omnino sufficiens, cuius quantitas demonstratur undequaque absoluta, debet decimare alimentum suum: et ille, qui servus est, aut debitor, cui non superfuit post solutionem debiti sui alimentum plenum, non debet decimas dare: ex aedibus autem, in quibus habitat dominus earum, et ex vestibus, quas induit, et ex vasis domus suae, et ex iumento servitii sui, et vectionis suae, et ex servis ministerii sui non debet decimam dare homo. At ille, qui vendit omnia, quae habet, et dat pauperibus, is quidem perfectus est, ut dixit Dominus noster, si reliquis etiam fulgeat virtutibus, et altior est gradu eorum, qui decimas dant. Porro decimae ex septem generibus alimentorum separantur.

Genus primum.

Ex semine, et fructibus, et ex omni re, quam producit terra, sive multum fuerit sive exiguum, et sive e caelo, sive a flumine irrigetur, una pars ex decem debet separari, exceptis lignis, et arundinibus et oleribus, ac fructibus siccis, qui remanent, et non decimantur humidi. Ex humidis enim primitiae solum debent separari episcopis, et clericis. Et ex semine, et ex fructibus, qui per haustum aquarum fluvialium, aut ex puteo irrigantur, dimidium decimationis separatur: et ex melle, oleo, et vino et bombyce similiter dimidium decimae.

Genus secundum.

Mercatura. Si mercaturae pretium attingit biscentum drachmas pecuniae, quinque ex eius pretio drachmae separari debent ut fiat oblatio Domino. Et si aurum, aut argentum sit, cum ipsis vestibus indumenti computatur.

Genus tertium.

Aurum sive signatum sit, sive non signatum, si minus quam viginti stateres fuerint, non separatur ex eo oblatio. Et si viginti fuerint in anni termino, dimidium sicli separetur

ex summa. Et omne, quod excedit, eadem ratione agatur.

Genus quartum.

Si argentum, minus fuerit biscentum, ex eo non separatur oblatio: et si biscentum fuerit, quinque separantur ex eo: et quidquid superadditur, eadem ratione agetur, scilicet ex summa quadraginta drachmarum, una drachma in fine anni separetur.

Genus quintum.

Si grex equorum vectioni deditus fuerit, masculi, et feminae, aut feminae solum, in singulos equos unum denarium debet solvere dominus eius. Et si voluerit, videat pretium eius, et ex summa biscentum drachmarum, quinque solvat. Ex mulis autem, asinis, et pullis equorum, quibus vehi nondum licet, non fit oblatio, neque ex grege equorum, qui non pascuntur toto anno aut plus dimidio anno; scilicet ex his, qui aluntur in praesepibus, non fit oblatio.

Genus sextum.

Ex bobus, et vaccis, eum triginta fuerint numero, et pascuntur toto anno, aut plus dimidio anno, unius vituli, aut unius vitulae debet fieri oblatio in fine anni: et ex quadraginta, bos, aut vacca perfecta debet offerri: et ex omni numero, qui excedit quadraginta, quarta pars decimae partis pretii bovis perfecti, aut vaccae perfectae. Et ex sexaginta, duo vituli, aut duae vitulae: et bubuli uti boves recensentur.

Genus septimum.

Ex ovibus, quae minus sint quadraginta, non fit oblatio: et ex quadraginta usque ad centum viginti, quae pascuntur, in fine anni una ovicula offertur; et ex centumviginti usque ad biscentum, duae oviculae: et ex biscentum ad tercentum nonaginta, tres oviculae; et ex quatuorcentum, quatuor, et ex iis, quae plures sunt, quam dictae: ex summa centum agnorum, unus agnus: et oves, et caprae perinde habentur in canone oblationis.

Directio.

Ex omni iumento, quod servit, bove scilicet etc., et ex omni, quod alitur, et ex parvis, et imperfectis, pullis, et vitulis, ac agnis non fit oblatio. Et illi, qui offert, non conceditur pretium oblationis ipsius dare; et ille, qui accipit, neque ex bonis neque ex malis, sed ex mediis *accipit*, et cum perficitur numerus oblationis, si pereat ex eo aliquid, antequam offerat, non debet offerre, nisi postquam numerus completus fuerit. Et ille, qui parat oblationem debet diversis modis illam exhibere; primo episcopis separet ex ea partem, deinde sacerdotibus, postea ministris sanctuarii, postremo pauperibus orbis, viduis, et reliquis egenis, quos supra numeravimus: patri suo autem, aut matri suae, aut avis suis utriusque sexus, aut natis suis, aut natis natorum suorum, non debet vir dare ex oblatione sua, eo quod e proprio debeat dare propinquis suis, et non ex parto Domini: in aedificium autem ecclesiae potest dare, et ita pro sepultura defuncti; quamvis alii id iustum esse non dicant. Infidelibus autem non debet dare ex parte oblationis; non enim iustum est accipere e pane filiorum etc.

CAPUT XXXVIII.

De iudiciis saecularibus.

In eo sunt sectiones tres.

SECTIO I.

De actionibus convenientibus episcopo in iudiciis saecularibus.

Directio.

Divus Paulus in tabulis sanctorum ecclesiae Dei, quas ad Corinthios scripsit: si mundus, inquit, in vobis iudicatur, indigni estis iudicare iudicia tenuium? sed et illos, qui contemptibiles sunt in ecclesia, collocate vobis in iudiciis. Et quemadmodum ipse sermo eius indicat, ad confusionem eorum, qui coram exteris, et non fidelibus iudicabantur, haec dixit, non autem vocatorum, et sanctorum sodalium suorum, scilicet episcoporum, quos iudicare saecularia iudicia docet per illa: nescitis quoniam angelos iudicabimus? quanto magis saecularia? Et apostoli sancti in capite XI. didascaliae doctrinam amplam tradiderunt circa personam episcoporum, qualiter cauti esse debeant in iudiciis. Sic nempe, estote iudicantes, sicuti et vos iudicamini, cum in ipso iudicio participem, et synthronum, atque assessorem, et inspectorem iudicii habeatis Christum: dicimus itaque, quod omnis, qui suscipit in se administrationem iudiciorum, decem convenientias debeat perficere.

Convenientia prima.

Cum *iudex* noviter constituitur, debet ostendere communitati librum systaticum; (*epistolam commendationis, vel diploma*) qui datus est ei a patriarcha, si episcopus fuerit, aut ab episcopo, si syncellus ipsius est, ut sciant omnes homines legitimitatem constitutionis (*dignitatis*) ipsius.

Convenientia secunda.

Postquam ii sciverint, debet inquirere de illis, qui oppressi fuerunt a suo praedecessore, et perscrutari cum ipsis causas, ob quas cohibiti sint, et proferre super eos iudicium iustum, et dimittere eos, postquam comparuerint adversarii eorum. Et si fuerit aliquis in eis, qui non habeat adversarium, et dicat; nescio, quare cohibitus sim, debet proferre praecones, qui eius nomine inclament: et si ita non innotuerit adversarius eius, aliqui dicunt, quod fideiussorem constituat, et deinde dimittatur.

Convenientia tertia.

Postea constituat sibi nomicum (*notarium, legis peritum*) virum sacerdotem, aut diaconum, aut saecularem iustum, et viros significantes iustitiam, et iniustitiam testium, et minus quam duo non debent esse significantes. Et eligat sibi interpretem, si non calleat linguam illius regionis.

Convenientia quarta.

Postea eligat sibi locum congruum habendo iudicio in sua cella, aut in oratorio; intra templum autem non debet iudicare. Ante portam vero domus iudicii non debet velum expandi: immo neque porta erigatur, sed sit homo aliquis, a quo illi, qui sine causa ingrediuntur, arceantur.

Convenientia quinta.

Non debet iudex tempore caloris aut calamitatis, aut morbi difficilis iudicare, ne causa angustiae, conditionis propriae, et amari palati, dum vult rem expedire, non iuste decidat.

Convenientia sexta.

Ne iudicet, antequam congregentur ii, qui periti sunt iudiciorum, licet fuerit illis peritior, et cum consilio rectorum decidat in iudicio: si enim festinanter absque consilio, et disquisitione proferatis sententiam, a Deo cruciabimini, ut apostoli sancti pronunciarunt in didascalia.

Convenientia septima.

Non debet vendere, aut emere per se ipsum, quod creditum est sibi, iudex; sed per procuratorem non notum emat, aut vendat, ut non erubescant eum emptores, aut venditores, et pretio excedente emant ab eo, atque minimo vendant, et ita malitiose munus suffuretur.

Convenientia octava.

Si quis contemnat coram ipso in tribunali, dum litigat, aut inhonoret testes tamquam mendaces, illum corripiat semel et iterum verbo adhortativo, et si non acquiescat, prohibeat eum; et cum innotuerit coram ipso testimonium mendax, prohibeat, et increpet dure illum, qui testatus est, et praecipiat praeconibus, ut proclament, ne quis amplius in testimonium inducat talem.

Convenientia nona.

Sine testibus non debet umquam proferre sententiam, et hoc quamvis norit negotium illud: idque duas ob causas; primo quidem, ne cadat super eum opinio mala acceptionis personarum: itaque quando testibus adhibitis profert sententiam, pro auctoritate potest iustificare iustum, quamvis natus ipsius, aut amicus fuerit, et damnare reum, quamvis inimicus eius existimetur. Secundo, ut non praebeamus ansam iudicibus nequam, et hypocritis, atque proprio commodo studentibus, qui prout libuerit iudicent absque consideratione, et dicant: nos periti sumus in hoc negotio. En enim Deus, cuius gratiae laus, non quia ignoraret, negotium sodomitarum pessimum dixit: clamor Sodomae, et Gomorrae venit ad me, et peccata eorum praevaluerunt: descendam, videbo, an uti clamor, qui venit ad me, fecerint, et consummarint, nec ne, et sciam. Propter iudices haec dixit, ut discant, quominus absque recta disquisitione neque iustificent, neque damnent. Et hoc confirmans sanctus mar Iacobus sarugiensis dicebat: en hinc accipite exemplum iudices, ut adcurate quaeratis veritatem, et ea communiamini: dixit: descendam, videbo iniquitatem filiae Gomorrhae, num talis sit, nec ne, et sciam, cum sciret: descendam, videbo; quasi aliquis dicat: videte vos, ne, cum iudicatis, festinetis ad condemnandum.

Convenientia decima.

Cum iam a diebus aliquot protulerit sententiam, et deinde existimet, quod iudicium non fuerit iustum, non debet abrogare iudicium illud ob solam opinionem suam, nisi comprobetur, esse contrarium illi, quod exaratum est in codice legali, aut canoni apostolico, aut alicui ex definitionibus Patrum sanctorum, aut traditioni consuetudinis ipsius nationis fidelis.

Directio.

Iam antea adfirmavimus, quod non debeat episcopus, et quilibet iudex propriae cognitioni innixus sententiam ferre. Fieri tamen poterit quod scientia eius negotiorum iudicialium maior sit, quam ipsius imperitia agen-

darum rerum. Idque constabit modis quatuor.

Primo.

Cum peritus fuerit in negotio illo, quod iudicatur, et conveniant testes, atque testentur fallaciter contra id, quod ipse scit firmiter, non debet recipere testimonia haec falsa, sed denuo disquirat.

Secundo.

Cum sciverit, iustos esse testes, non opus est postulare significatores, qui notam faciant iustitiam eorum.

Tertio.

Cum fatetur unus ex adversariis, quod contra se sit ius, et debitor sit, et audiat episcopus confessionem eius, deinde ille neget, et dicat: confessus non sum, neque debitor sum, si secreto confessus est coram episcopo, non potest episcopus proferre in eum sententiam reatus, sed petat ab adversario eius testes. Quod si alius cum eo episcopus audierit confessionem eius, potest episcopus damnare eum.

Quarto.

Cum peritus fuerit episcopus in negotio iudicandarum rerum, aliqui dicunt, quod licet unus testis adsit, potest ferre sententiam: attamen ratum est, quod non; quia neque sic evadit opinionem malam.

Directio.

Cum viderit episcopus scripturam suam confirmantem chirographum alicuius, haud debet proferre sententiam confirmatoriam, si non meminerit rei, quae gesta fuit coram se, quia similitudo scripturae cum scriptura, ita ut non discernatur una ab alia, haud impossibilis est: itaque debet episcopus conficere sibi librum memoriae causa, et in eo adnotare iudicia omnia, quae confirmat: et dum incidit in chirographum quodpiam, et in eo videt scripturam suam, si non fuerit servata in ipsius memoria illa narratio, videat librum memorialem suum; et si repererit ipsam, proferat sententiam; secus, non: at debet magis caute conservare librum, ne occurrat in ipso fraus ob similitudinem scripturae. Ita et quivis testis librum memorialem conficere sibi debet; alias si non meminerit rei ibi narratae, non debet testimonium edere, quamvis videat scripturam suam. Heic autem sunt canones tres.

Canon primus.

Cum duo testes testantur, quod in conspectu ipsorum confirmaverit iudicium episcopus, et scripserit confirmationem, cuius ipse oblitus fuerit, aut non habeat librum memorialem; nisi ab illis, qui scribunt librum memorialem, et servant, confirmetur ea narratio; vel si ipse quidem consuetudinem habuerit scribendi, neque tamen historiam illam cum reliquis factis in libro memoriali suo reperiat, non confirmatur dicta historia.

Canon secundus.

Cum unus e duobus adversariis dicet episcopo: iamdiu absolutum fuit iudicium meum coram te, et me securum reddidisti; episcopus autem dicet, quod non; non debet episcopus iurare, quod illum non securum non reddiderit, sed ille adversarius iuret, quod ita secum gesserit. Et illud ratum, quod potest adversarius ille apud patriarcham vocare episcopum, ut iudicet, et adiuret episcopum, si negaverit.

Canon tertius.

Cum solvitur iudicium alicuius coram episcopo, et exigit ille homo, ut episcopus scribat ei confirmationem cum testibus, non potest episcopus recusare, sed debet scribere ei, et confirmare cum testibus: verumtamen debet etiam scribere in libro memoriali suo historiam, et testes, et proprietates personales hominis illius, si exterus sit, alias nomen eius, nec non * patris eius, et epocham temporis, et debet sigillare librum memorialem sigillo suo, et caute custodire ipsum propter fraudes.

Directio.

Aequaliter propensus sit episcopns in ambos adversarios cum iudicantur. Et heic sunt canones quatuor.

Canon primus.

Ne praecipiat uni eorum intrare, antequam intret socius eius, sed simul intrent, neque excipiat salutationem unius eorum ante salutationem sodalis eius; sed quamvis unus eorum primus salutem dicat, expectet episcopus, donec alter etiam dicat, et deinde respondeat to " benedictus est adventus vester ,,: neque unum ex eis sedere iubeat, et alium stare, sed ambos aut sedere, aut stare mandet: neque in unum eorum magis defigat intuitum, sed in ambos simul respiciat; aut non defigat intuitum neque assurgat uni eorum, alteri vero minime, sed aut ambobus assurgat, aut neutri. At si unus ex eis fidelibus sacerdos sit, alius saeculi filius, sacerdos magis honoretur in sessione ob honorem sacerdotii. Et ita si unus ex eis fidelis est, alter vero minime, aliquantulum magis honoretur adversarius fidelis ob fidem suam.

Et cum intrant, interroget; quis vestrum est actor, et cum dicet unus eorum: ego habeo adversus hunc hoc et hoc; interroget collitigantem: tu vero quid dicis? si fateatur, iubeat, ut satisfaciat; at si neget, dicat actori: habes documentum eius rei, quam exigis? si respondeat: habeo paratum, et postea exhibeat, acceptatur probatio eius. At si respondeat: non habeo neque paratum, neque imparatum, et postea exhibeat: aliqui dicunt, quod non recipiatur; at id ratum non est; fieri enim potest quod illius oblitus fuerit.

* Cod. lat. *et non.*

Canon secundus.

Et cum plures actores fuerint, ille, qui antecessit, incipiat; et si simul intrent, sortes mittant. At si fuerit in eis aliquis, qui secus viam est, et aliqua re turbatus, debet sine mora episcopus incohare iudicium suum: et similiter si mulier sit, quae petat iudicium; secus contemnetur honor eius, si diu maneat in tribunali.

Canon tertius.

Non licet episcopo, vel cuilibet iudici recipere donum ab uno ex collitigantibus, neque ab ambobus simul: munus enim excaecat oculos sapientium, Deus dixit. At si aliquis homo consuetudinem habeat offerendi oblationem, et munera episcopo, et non habeat iudicium cum aliquo, potest ab hoc recipere donum; ita etiamsi consuctus non sit, dum iudicium non habet, potest ab eo recipere.

Canon quartus.

Ad anniversaria funera, quae faciunt fideles, vocatus episcopus, potest ire, quamvis habeat iudicia. Ad convivia autem, quae fiunt haud quie-

tis causa defunctorum, non potest ire, si iudicium agat eius qui ea facit.

Directio.

De comprobatione iustitiae testium canones sunt septem.

Canon primus.

Iustitia testium praeceptum est divinum. Itaque cum testes testificantur, quamvis consentiat adversarius testimonio eorum, debet episcopus quaerere significantes, a quibus confirmetur iustitia testium, si illos non cognoscat. Et aliqui dicunt, quod si adversarius consentiat, episcopus non debeat quaerere significantes: at id ratum non est. Porro illud firmum est, quod si adversarius fateatur, illos iustos esse, episcopus tunc non debeat exigere significantes.

Canon secundus.

Qualitas significationis iustitiae testium fit, si scribat episcopus ad significantem secreto nomina testium, et amborum collitigantium, et quantitatem bonorum; quia fieri potest, quod sciat significans inimicitiam, quae inter testes intercedit, et illum, qui iudicatur. Et potest etiam fieri, quod ex parte tantum exigua, et non ex magna sciat, quod iuste testentur. Et quamvis interrogatus significaverit secreto per scripturam, postea tamen episcopus debet manifeste oretenus interrogare eum, ut tollatur omnis controversia.

Canon tertius.

Significantes iustitiam testium, uti testes quoque, debent esse iusti, et debent nosse, quaenam sit iustitia, et quae non sit iustitia in testificatione. Debent praeterea intima testium scire, et non speciem eorum exteriorem intueri. Et debet significans testificari, quod iustus sit hic testis, et acceptabilis sit eius testificatio: quia multi iusti sunt simplices, et non cognoscunt iudicia, et non discernunt inter veritatem, et falsitatem, ob simplicitatem suam; et propterea non admittitur testificatio ipsorum, etsi pii, ac iusti fuerint. Et significatio unius significantis sufficit, quamvis testificatio unius testis iusti non sufficiat.

Canon quartus.

Significans non debet reprobare testem aliquem, nisi viderit, aut firmiter sciverit fraudem eius. Porro ut fraus firmiter potest non cognosci, iustitia etiam firmiter potest non cognosci: quia natura rapitur homo ad abscondendas suas maculas. Itaque significans non debet elevare iustitiam testis, nisi cum intima eius noverit per societatem longam cum ipso, aut per acceptionem, et dationem, quae inter ipsum cesserunt et illum, aut per iter viae longae: et propterea debet episcopus interrogare significantem: nostine tu intima talis testis, an tantummodo fraudem eius non perspexisti, aut nosti? Et si dicat: novi, confirmatur iustitia testis; et si dicat, quod non: non vidi in eo fraudem, non confirmatur.

Canon quintus.

Significans non debet ostendere causam iustitiae testis, eo quod haud definiri queunt causae iustitiae: debet autem ostendere causam iniustitiae eius, si prodigus, aut ebrius, aut ad iurandum proclivis, ant moechus, aut usurarius, aut raptor, aut latro, aut nugator, aut quid simile: et quamvis accusatio talis sit, qua viri iusti inquinari non debent, tamen propter necessita-

tem iustitiae iudicum debent illa patefieri.

Canon sextus.

Scriptura sola significantis non sufficit, sed oretenus quoque episcopus illum interrogare de testibus debet; verum occulte; nam fieri potest, ut revereatur testem, et non possit illum publicare.

Canon septimus.

Cum significantes testantur de iustitia testium, et dubitat episcopus, aut existimat, quod per errorem testentur non iuste, licet ipsi iusti sint, debet separare eos ab invicem, et cum singulis privatim disquirere, qualiter quisque viderit, et ubi, et quando; nam si forte varient eorum verba, patefiet quae sit iustitia testium. Ita enim se gessit ille vir desideriorum propheta Daniel cum duobus archisynagogis, quorum testimonio credidit universus populus, tamquam summorum sacerdotum, cumiudicarunt castam Susannam, eamque morti addixerunt.

Cum duo significantes testantur iustitiam testis, et duo alii confirmant fraudem eius, cessat fides iustitiae eius. At si duo confirmant iustitiam eius, et unus confirmat fraudem eius, non recipitur verbum prohibentis (*repellentis a testimonio dicendo*). Et significans non dicat de aliquo teste, quod fraudulentus sit, sed quod viderit, aut audiverit de eo, aut quod duo testes iusti testati sint apud eum, quod fraudulentus sit testis ille. At ob famam tantum vagam non potest alicui detrahere.

SECTIO II.

Qualiter proferatur sententia in absentem.

Directio.

Quod in praesentia amborum litigantium proferatur sententia, omnes legumlatores adseruerunt esse iustum: sed propter necessitatem aliquando causa exigit, ut proferatur sententia in absentem. Et huius propositi sex sunt elementa.

Elementum primum.

Cum aliquis venerit ad episcopum, et dixerit: creditor sum adversus talem decem denariorum, et habeo testes contra eum, et en deseruit iudicium, et migravit, habet tamen hic bona, et peto recipere solutionem rei meae, quia egeo; debet episcopus inquirere, num in loco propinquo sit ille homo, mittatque ad episcopum, illius loci, ut eum compellat solvere rem, quam debet. Et si locus remotus sit, potest episcopus, eum audit testificationes testium, accipere e bonis debitoris absentis, et solvere, et scribere chirographum solutionis.

Elementum secundum.

Absque testibus, et disquisitione firma, non debet solvere episcopus quidpiam e bonis illius, qui abest.

Elementum tertium.

Cum confirmantur testimonia debiti illius, qui distat, debet episcopus adiurare illum creditorem, quod solutionem rei suae non acceperit a debitore illo, et ne partem quidem ex ea, sed et quod concordiam non inierit cum illo, nec dimiserit ei debitum, neque acceperit ab eo compensationem pro credito suo: et tum demum

solvat ei aliquid. Et ita puer, aut energumenus erit debitor, quamvis praesens, aut mortuus fuerit.

Elementum quartum.

Cum confirmatur iudicium coram episcopo aliquo, et id vult significare episcopo regionis alterius, non sufficiunt scripta, quae scribit ad illum, sed duos testes paret, et coram ipsis confirmet iudicium: et hortetur eos, ut eant ad testandum apud episcopum illum alium; et deinde episcopus ille compellat debitorem, qui in regione ipsius est, ad solvendum: ad haec etiam scribat cum testibus chirographum de eo, quod comprobatum fuerit apud se, et designet in eo nomina amborum litigantium, et parentum, ac avorum ipsorum, et signa effigiei eorum, et regionis eorum, et quantitatem debiti, ac tempus eius, et dicat: confirmatum est penes me per testes iustos, et adiuravi quoque creditorem, ac petiit a me, ut scribam ad te, quo repetas rem eius ab ipsius debitore. Et si homo aliquis existat in regione illa, et consenserit nomen eius, et nomen patris eius, et avi eius, et figura eius, et locus eius iis, quae designata sunt in chirographo, ac dicat: ego nulli quidpiam prorsus debeo; si possit ostendere, quod erat in illo loco aliquis alius, qui hisce proprietatibus denotabatur, quamvis mortuus iam fuerit, evadit ille iudicium solutionis; secus autem minime: et si fateatur, ego sum, et nemo habet adversus me aliquid, non recipitur verbum eius, quoniam testes iusti testati sunt de eo, quod debitor sit. Et si fateatur: debitor fui, sed solvi, non recipitur verbum eius; et nisi constituat testes, solvit.

Elementum quintum.

Ius actoris super reum absentem.

Si fuerit debitum aut ager, aut res alia definita, facile potest solvere episcopus ex bonis absentis: et ita si vestimentum, aut res alia, quae facile reperitur, aut cuius pretium definitur, item solvit: at si servus, aut ancilla, aut equus, aut sigillum annuli fuerit, si reperitur in manu debitoris quidpiam tale in regione, in qua est, compellitur ad solvendum: et si non reperiatur in manibus eius, debet pretium eius solvere.

Elementum sextum.

Si reus non compareat coram episcopo, si in eodem loco sit, non debet episcopus audire testimonium testium, nisi eum comparuerit: et si audierit, non debet sententiam ferre adversus eum, nisi quando comparuerit; quia fieri potest, quod respondeat pro se ipso, quod solverit. Et si non fuerit in loco illo, debet audire testimonium adversus eum, et iudicium proferre, atque condemnare eum.

Directio.

Definitio distantiae loci, in quo existat adversarius ille, adversus quem absentem fert iudicium episcopus, illa est, qua a diluculo incipiat aliquis procedere e domo sua, et non possit eodem die, quamvis vespere profundo, reverti rursus domum suam: et cum in huiusmodi regione fuerit collitigans, si existat in ipsa regione episcopus, debet episcopus ille, apud quem fit iudicium, scribere ad eum, quo cogat debitorem ad solvendum. Et si non sit episcopus ibi, potest

episcopus illum ad se vocare, postquam confirmatum est iudicium. Et si possit redire nuncius eodem die, debet comparere collitigans, qui ita distat, cum vocabitur ab episcopo, aut solvat id, quod debet. Et cum existunt bona debitoris absentis, potest episcopus ex iis solvere creditori, quia debitum confirmatur per testes: et postea si comparuerit debitor, et ostenderit, iamdiu se solvisse debitum suum, et constituerit testes solutionis, potest accipere proprium a creditore, qui secundo solutionem accepit. Et illud firmum, quod debeat episcopus accipere fideiussorem a creditore, eum accipit solutionem rei suae ex bonis debitoris absentis, ut eum comparuerit ille qui aberat, fideiussor eius restituat, siquidem debitor ostenderit, se solvisse.

SECTIO III.

De divisionibus.

Directio.

Divisionum tria sunt elementa: dividens: qualitas divisionis: sententia erronea divisionis.

Elementum primum.

Non debet episcopus relinquere regionem sine hominibus dividentibus, sed constituat eos, et decernat illis stipendia ab ecclesia: et similiter significanti iustitiam testium. Testibus autem non debet dare quidpiam, ne suspicio mala subintret: sed neque numero determinato definiuntur testes, et dividentes: unus solus non sufficit, cum testimonio similis sit divisio, et iustitiam exigat: et si inops fuerit ecclesia, domini partium secundum partes suas dent divisori mercedem.

Elementum secundum.

Materiae, quae appenduntur, aut mensurantur, pondere, aut mensura, dividuntur facillime: et ita terra plana mensura dividitur: et quantitas partium secundum partem magis exiguam definitur, hoc modo; videlicet eum terra fuerit trium hominum, quorum uni dimidium, alteri tertia pars, et alii sexta pars, in sex partes dividimus eam; tres domino dimidii, et duas domino tertiae partis, et unam illi alteri. Et scribant divisores nomen uniuscuiusque eorum in charta, et ponant chartam ternam in tribus globulis cereis, vel luteis, et advocent hominem exterum, ut accipiat unam ex eis; et si nomen domini dimidiae partir educatur, det ei partem primam, et secundam, et tertiam, et post eum alii: et si nomen domini tertiae partis extrahatur, det ei partem quartam, et quintam, et manet sexta domino sextae partis: et hoc modo dividat, si alius extrahatur primus: et divisores ex qua voluerint parte, faciant compositionem partium. Et si pars unius ex eis confirmabitur (*fortasse remanebit*) cessat divisio, et denuo dividant inter eos illud, quod superest, quia omnes debent prodire, et non unus ex eis specialiter. Et cum unus e dominis partium dixerit, erraruut dividentes in divisione; si constituat testes, cessat divisio prima, et denuo incipiant dividere: at si non constituat testes, non recipitur verbum eius, sed potest adiurare dividentes, quod non erraverint.

Elementum tertium.

Violenta oppressio (*sententia erro-*

nea) in divisione; et ipsa divisio, aut aequalitatis, aut directionis, aut restitutionis est.

Modus primus.

Divisio aequalitatis. Cum pannus, aut terra, aut materia ponderabilis, sive mensurabilis fuerit illa, quae dividitur inter dominos diversos; si unus ex eis recuset, et nolit dividere, vi cogitur ab episcopo, ut dividat, quando socii eius volunt dividere; ita tamen si partes, quae dividuntur, non amittant primam suam utilitatem post divisionem. Et ideirco cum balneum parvum, aut lapis molaris fuerit communis duobus *dominis*, licet unus ex eis velit dividere, et alius non; non compellimus hunc', ut dividat, quia balneum, balneum haud manet post divisionem, neque mola manet mola. Et ita cum homini alicui una ex decem partibus fuerit in aede, et ipsa decima, cum dividitur, apta non fuerit habitationi, non audimus dominum decimae volentem dividere, si dominus novem partium nolit: et propterea non est domino novem analogia in ea; quia etsi una pars vendatur, abest timor divisionis, quae causa esset emolumenti cessandi.

Modus secundus.

Divisio directionis, veluti si moriatur homo, et relinquat tres servos aequalis pretii tribus filiis; aliqui dicunt, quod non possit unus e filiis recusare divisionem, scilicet quominus accipiat unum ex servis, qui prodeat ei sortito, eo quod non est diversitas in pretio, neque ei fit iniuria. Et illud ratum, quod possit recusare, eo quod possint esse diversi in arte, et uni ex filiis unus ex eis specialiter magis congruat. Similiter si quatuor servos, quorum unius pretium est centum, et pretium alterius centum, et pretium aliorum duorum centum, relinquat tribus filiis: similiter etiam si molam, balneum, et equum aequalis pretii tribus filiis relinquat, opprimitur ille (*iniuria fit illi*), qui non vult dividere. Et si terra aliqua fuerit communis duobus dominis, et cum dividitur in duas partes, illa una pars causa proximitatis aquarum biscentum valeat, et illa alia centum, non in duas debet dividi partes, sed in tres, quarum tertia pars contra duas tertias partes, uti dimidium contra dimidium, ponatur, et compellatur dividere ille, qui non vult dividere; et illam partem, quae in sorte prodit ei, accipiat, sive tertiam partem, sive duas tertias partes, eo quod pretium earum aequale sit. Et diversitas hoc loco non est, uti diversitas illa servorum aequalis pretii, et diversae artis: hic siquidem minus laedit, et idcirco heic consequitur coactio, et non consequitur illic.

Modus tertius.

Divisio restitutionis (*vel proportionis*) veluti si moriatur homo, et relinquat duos boves, quorum unus pretium sit sexaginta, et pretium alterius centum. Itaque si accipiat unus eorum meliorem, et restituat socio suo viginti, coaequantur. Nemo autem ex eis cogitur si nolit dividere, sed manent ambo boves communes. Et si dicat unus eorum: accipiat unus nostrum bovem deteriorem cum quinta parte bovis melioris; ut ille deterior sit uni eorum specialiter, et ille melior solus maneat ambobus, scilicet uni eorum quatuor partes, et alteri una pars, ne tum quidem cogi-

tur ille, qui non vult dividere; et quia ne haec quidem actio liberat eos a societate, maneant ambo boves communes.

Directio.

Atque hac sunt regulae cuiusvis divisionis, quam quivis cum proximo suo cogi potest a lege ut faciat: ac licet non dicat, consentio, et accepto, confirmatur nihilominus divisio: et in omni divisione, in qua non cogitur unus e sociis necesse est, ut dicat: consentio, et accepto hanc partem, quae prodiit mihi sortito, et tum rata habetur divisio. Et si aquaeductus, aut balneum, aut lapis molaris, aut domus quae habet fornicem, id est orbicularis, vel cetera quae non sunt divisibilia, communia fuerint duobus, aut pluribus, debet utilitas dividi inter eos, aut certis diebus unusquisque eorum totum possideat, videlicet ille, qui dimidium habet, tribus diebus possideat molam, et ille, qui tertiam partem, duobus diebus; et ille, qui sextam partem, uno die. Et si veniant duo aut tres ad episcopum, et poscant, ut dividat inter eos bona, quae sunt ipsis communia, debet ille dividere, quamvis nesciat certo, quod eae pecuniae sint ipsorum; verumtamen debet scribere in *apodixi*, quam dat eis: divisi inter eos in verbo eorum.

CAPUT XXXIX.

De testimoniis.

In eo sunt sectiones sex.

SECTIO I.

Quinam digni sint ut eorum testimonia recipiantur.

Directio.

Sex sunt causae, ob quas testes digni fiunt, ut admittantur eorum testimonia.

Causa prima.

Perfectio mentis, et staturae: nam testimonium energumeni, aut pueri reprobatur, neque umquam admittitur in iudiciis.

Causa secunda.

Fides: et patet, quod testimonium infidelium nullatenus recipiatur adversus fidelem. An vero adversus infidelem recipiatur testimonium infidelis, variant nonnullorum sententiae. At illud ratum, quod si ex una confessione fuerint, recipiatur, videlicet Iudaei adversus Iudaeum, et Moslemani adversus Moslemanum: verum cum testis aliquis deponit, testem illum esse oportet eiusdem (*cum reo*) confessionis.

Causa tertia.

Libertas: et plerique legumlatores reprobant testimonium servi, quamvis fidelis aliquis sit, eo quod sub violentia servitutis iugatus sit.

Causa quarta.

Iustitia: et iustum hic non dicimus illum, qui liber sit ab omni specie iniquitatis; alias nunquam rata haberi posset testificatio in mundo, eo quod nemo sit mundus a sorde peccati, nisi solus dominus noster Iesus Christus: sed illum dicimus, qui in peccata ingentia non sit lapsus, neque in parvis diu manserit, et aliquoties cum ab habenis iustitiae custoditur (*immo relaxatur*) per fragilitatem naturae humanae, non sine cordis dolore sit. Et quia peccata multa sunt, de octo solum speciebus ex illis, quae ut plurimum maculant operatores ipsarum, verba faciemus.

Species prima.

Ludus aleae non figuratae, praeter iacturam, magis vitiosos, et magis improbatos, qui se exercent in eo, facit: similiter lusus, qui per columbas fit, et reliqua volatilia.

Species secunda.

Illorum, qui plerumque ebrii fiunt in accubitibus, et conviviis lascivis, non suscipiuntur testimonia.

Species tertia.

Illorum, qui devorant usuram, non suscipitur testimonium: similiter non recipitur testimonium eius, qui cum ingreditur balneum, linteo non cooperit verenda sua.

Species quarta.

Ars modulorum et cantuum musicorum et tympani, et tibiarum et auditus eorum, repellit a dignitate testimonii, praeterquam organi illius ex fistulis, quo canitur in ecclesia inter Iudaeos.

Species quinta.

Poesis foedans dominum suum; nam plerumque absurda loquuntur poetae, dum laudant, aut vituperant, et mendacio non solent carere. Scias autem; quod omnis poeta versibus loquitur, at non omnis, qui ligata oratione utitur, est poeta: nam plerique doctorum theorias divinas carminibus declararunt: ex graecis magnus Gregorius; ex syris mar Ephraemus, et mar Iacobus, et alii.

Species sexta.

Ornatus vestium vitium est in viris piis, quia ornatus mulieribus convenit; et ex mulieribus in iis, quae puellae sunt, atque in aestu adolescentiae, aliquo modo castus est.

Species septima.

Polygamia. Itaque testimonium trigami non suscipitur, at bigami suscipitur.

Species octava.

Abiectio ministeriorum sacerdotalium. Itaque testimonium illius, qui spoliatus fuit presbyteratu, aut monachatu, non recipitur. Et de illo, qui spoliatur diaconatu, variant sententiae.

Causa quinta.

Prudentia. Itaque ille, qui manducat in via, aut mingit, aut se purgat coram plebe, licet non peccet, attamen honor eius vilipenditur, et non prudens, aut honoratus, sed vilis, et infamis vocatur, et testimonium talis hominis non recipitur; nam fieri potest, ut non paveat ignominiam illam, quae accidit ei, si mentitur, quemadmodum non pavet illa alia, quae ipsum similiter ignominia afficiunt. Et ita sacerdos cum vestimenta induit agricolae, nam hoc indicat intemperantiam eius, aut turbationem mentis eius. Similiter vir dives, cum cum ipse per se portat vasa sua, et reliquas res suas, causa avaritiae suae non habens servum aut alumnum: at si ob humilitatem haec facit, non vocatur imprudens. Denique reiiciuntur illi, qui in accubitibus cantant, aut ludunt, et rident, et cum scurris ac saltatoribus occupantur.

Et de artibus vilibus, v. gr. coriarii, stercorarii, fullonis, balneatoris, variant sententiae. Et illud ratum, quod si ipsi per se elegerint eas, imprudentes sunt, quia reliquerunt artes honorabiles, et vilibus delectati sunt: at si parentes eorum exercuerunt eas, non idcirco imprudentes

sunt. Et textrinam aliqui infamem iudicant, et alii ab arte sutoria non distinguunt eam; et id quidem ratum est.

Causa sexta.

Cautio ab opinione mala. Et opinionis malae sex sunt causae.

Causa prima.

Utilitatis cupiditas, et damni fuga. Itaque illius, qui testatur de patruo suo, aut de filio, quod fecerit opus morte dignum, non admittitur testimonium, nam fieri potest, quod ut hereditatem eius possideat, si ille occidatur, testetur. Et ita si duo viri testentur, non esse iustos testes, qui testantur de consaguineo nostro, quod occiderit, non recipitur testimonium eorum; nam potest fieri, quod idcirco dedecorent hos testes, ne ipsi detrimentum patiantur. Et cum testantur duo homines aliis duobus, quod legaverit ipsis talis, cum moreretur, hoc et illud, et vicissim illi duo alii, testantur illis duobus, qui testimonium pro ipsis reddiderunt, quod ipsis etiam legaverit idem talis, cum moreretur, hoc et illud, non recipitur testimonium primorum, neque novissimorum. Et mercatores si simul fuerint in via, ac testetur unus alii, quod latrocinio rapta fuerit merces eius, admittitur testimonium eius, quoties non dicat: etiam merces mea praedae fuit.

Causa secunda.

Consanguinitas, ob quam alimenta debentur, impedit susceptionem testimonii. Itaque non recipitur testimonium patris pro filio suo, neque pro filio filii sui, quotquot descendunt: neque testimonium filii pro patre suo, aut avo suo, quotquot ascendunt: porro est manifestum, quod ille, qui his testimonium reddit, veluti in favorem sui ipsius testis existit. Et de mutuo testimonio viri et uxoris variant sententiae. Et patet, quod testimonium mariti de homine aliquo, quod moechatus sit uxorem eius, non recipitur: similiter quamvis cum aliis tribus testibus iustis testetur de uxore sua, quod moechata sit, non recipitur testimonium eius. Et aliqui dicunt, quod recipiatur testimonium filii pro patre suo, et testimonium patris pro filio non recipiatur propter exundantiam miserationis viscerum paternorum: et idcirco neque super extero recipitur testimonium eius, si ille exterus fuerit sodalis filii sui: ceteroquin patet, quod testimonium patris super filio suo, et filii super patre suo recipitur. Et illud ratum, quod testimonium filii super patre suo de delictis morte dignis non recipiatur.

Causa tertia.

Inimicitia repellit testimonium. Et propter hoc non admittitur testimonium inimici contra inimicum suum. Et cum ambo fuerint collitigantes, postquam solvitur iudicium ipsorum, recipitur testimonium, quod invicem sibi reddunt, si iusti sint. Nam si impediatur testimonium huiusmodi, fieri potest, ut omnis, qui cognoscit aliquem scientem famam sui debiti, aut delicti, statim intentet iudicium cum illo quem scit collitigatorem suum fore, ut repellat eius testimonium contra se, et ita dominabitur iniquitas in iudicio. Testimonium amici pro amico, et fratris pro fratre, et consanguinei pro consanguineo recipitur. Illud autem firmum est, quod testimonium deprecatoris pro illo, cui officium deprecationis exhibet, non su-

scipitur. Et odio impediri testimonium, manifestum est; sive hoc odium hereditarium sit ex parentibus, sive ipse per se ipsum mereetur homo hanc mercedem pessimam; et hoc ipsum apparet ex eo quod quisque eorum laetatur de iis, quae contristant socium suum; et contristatur de iis, quae illum laetificant, atque expectat et desiderat malum eius: existit autem odium, et ex religiosarum sectarum diversitate: et manifestum est, quod illorum, qui infideles apud nos vocantur, quosque etiam baptizamus, cum convertuntur, quamvis nomen Christi invocetur super eos, Arianorum, inquam, et sodalium eorum, ceu ethnicorum, repellatur testimonium; quamvis revera nemo iam existat ex ipsis tempore nostro. Illorum autem, qui quidem non fideles vocantur a nobis, sed quos tamen non denuo baptizamus, si simplices, et tantum non credentes sint ob haeresim; horum, inquam, recipimus testimonium, si iusti sint.

Causa quarta.

Simplicitas naturalis, et imprudentia: quia multoties homines simplices, et fideles iusti, quamvis non voluntarie, mentiuntur imperitiae suae causa, et quia cito credunt, sine examine testantur; et propterea nonnisi in negotiis maxime exploratis debet recipi eorum testimonium, et post inquisitionem multam.

Causa quinta.

Ille qui clam intemperantiam exercet, scilicet sub schemate mendaci, si edat testimonium aliquod, non recipiatur id ab episcopo. Quod si postea paenitentiam egerit, et evaserit iustus, et pius in suis moribus, tam occulte, quam manifeste, et idem testimonium primum edat, rursus id non recipiatur: at si de rebus, quae postea acciderunt, testimonium edat, recipitur testimonium eius. Infidelis autem, et puer, et servus, si post fidem, et perfectam staturam, et libertatem, testimonium primum, quod receptum non fuerat, confirment, recipitur. Huiusmodi enim hominum multum non interest repellere a se ignominiam primam, quae ex mendacio accidit: viceversa occultus intemperans, qui continens factus est: hic enim naturaliter fertur ad hoc, ut ostendat, quod etiam antea castus, et iustus fuerit, et non intemperans, ut putabatur. Intemperantis vero publici, et osoris, et domini pro servo suo, post instaurationem continentiae, et dilectionis, et libertatis, cum renovatur (*ab eis testimonium*), aliqui id recipiunt, et alii non.

Causa sexta.

Illorum, qui motu suo contentioso accedunt ad testimonium edendum, quamvis non requisiti a collitigantibus, non recipitur testimonium, eo quod suspicione mala laborant: verumtamen non in omnibus iudiciis reprobatur testimonium, veluti de raptu cimeliorum, aut legatorum ecclesiasticorum, aut cauponarum, aut pontium, et cum agitur de oppressis capitali sententia, ac non delinquentibus qui existimantur deliquisse, haudquaquam repellitur testimonium testis, licet ipse per se accedat, ac testetur. Manifestum autem est, quod illorum, qui se abscondunt, et secedunt in angulis, ut testentur de eo, quod viderint, aut audierint a collitigante, non repellitur testimonium, si iusti

sint : cum saepe exigat causa testimonium huiusmodi, quando non confitetur collitigans coram testibus, sed secreto exigit ab actore, ut liberet ipsum.

Directio.

Omnes causae, quae reprobant testimonium, cum removentur, amplius non reprobant: et remotio pueritiae, energumenatus, ac servitutis, et similium manifesta est; sed ablegatae intemperantiae vel odii difficulter comprehenditur sinceritas, eo quod non sufficiat verbum intemperantis, cum dicet : paenitentiam egi : aut inimici dicentis : non sum nunc inimicus, nisi demonstraverint fructus dignos paenitentiae, et depositionis odii spatium aliquod : et aliqui spatium hoc definiendo definierunt, esse annum ; alii vero sex menses : at id firmum non est, nam actibus potius et motibus voluntariis exploratur veracitas, quamvis spatio temporis exiguo. Et episcopus si per errorem protulerit sententiam fretus testibus non probabilibus, postquam innotuerit eos pueros fuisse, aut servos, aut energumenos, aut infideles, aut gulosos, revocare sententiam illam, quam tulit, debet.

SECTIO II.

De numero, et sexu masculino testium.

Directio.

Testimonium unius personae numquam recipitur : nam Deus, cuius gratiae laus, in utroque testamento confirmavit, quod in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Et numeri testium quatuor sunt typi.

Typus primus.

Bona omnia, et proventus cum suis iuribus et causis, per duos testes viros, aut unum virum et duas feminas adiudicantur. Atque hoc typo comprehenditur societas, et conductio, et corruptio bonorum, ac fideiussio, et occisio per errorem, et analogia, ac emptio, et venditio. Et cum unus vir, et duae feminae testabuntur de aliquo, quod furatus sit, damnatur is quidem ad solutionem, non tamen damnatur ad amputationem manus suae.

Typus secundus.

Actiones non sunt bona (*facultates, possessiones*) uti delicta, in quorum auctores sententia mortis cadit. Actiones autem sunt, veluti liberatio servorum, testamentum, tutela, condonatio delictorum, interpretatio coram episcopo in iudiciis, consanguinitas, perfectio staturae, ac mors adversarii. De his omnibus (*actionibus*) sub testimonio duorum virorum iustorum fit iudicium. Et aliqui dicunt, quod in necessitate etiam fiat iudicium testimonio unius viri iusti, et duarum feminarum iustarum. Et ita desponsatio sine tutore et duobus testibus iustis non habetur rata, si virgo sit ; secus sub duobus testibus iustis tantummodo.

Typus tertius.

Actiones illae, quae plerumque non sunt perspectae viris, ut conceptio, et partus mulieris, et virginitas eius, et morbi feminarum; haec inquam, teste uno viro, et duabus feminis, aut quatuor feminis absque viro comprobantur. Et aliqui dicunt, quod partus ipsius mulieris etiam solo testimonio abortus comprobatur, quam-

diu manet communicatio; aut per manifestationem signorum conceptionis, eum sequitur separatio naturalis aut legalis.

Typus quartus.

Fornicatio sex testibus iustis confirmatur, eo quod de duabus personis agatur. At aliqui dicunt, quod quatuor solum testibus, et multa scribunt, ac dicunt, quod testes debeant esse oculares. At illud firmum, quod non statim debeat proferri iudicium, et credi testibus fornicationis, quia plures sunt affectus, et plurimi sunt qui affectibus indulgent. Et sufficit historia Susannae castae, et testimonium futile illorum, qui prae ceteris a tota ecclesia antiqua sponsa (*socru*, *nuru*) insana, iusti reputabantur: quos quidem testes propria concupiscentia infrenis praecipites dedit, et iustitia divina, sceleris impatiens, manifestavit. Quamquam manifestum est, quod *divina iustitia* non omni tempore excitatur, sicuti tunc excitata fuit.

SECTIO III.

De certitudine cognitionis testium.

Directio.

Quidam sapientem interrogavit, qua quaeso de re testimonium dicam? Cui sapiens respondit: viden exortum solem? Sane, respondit ille. In re ergo aeque evidenti, ait sapiens, testimonium tuum profer; aliâs sile. Ad hanc igitur regulam certitudinem testimoniorum exigamus. Ceteroquin humanae actiones, aliae visu, aliae tantum auditu, aliae denique tam auditu quam visu cognoscuntur.

Modus primus.

Actiones omnes cum actoribus suis visu comprehendi debent.

Modus secundus.

Decoctio et fortunae varietas signis arcanorum intimorum hominis, et indiciis saepe passionum, uti et fames dignoscitur. Et recipitur testimonium testis, cum dicit: decoctor est ille; quamvis nesciat firmiter inopiam eius. Et ita proprietas terrarum, et domorum, et legatorum, et status matrimonialis, et emancipatio, et consanguinitas e latere patris, haec omnia cum divulgantur inter homines, recipitur testimonium eius, qui de illis testatur, cum dicit sic: audivi diu a multis. In venditione, et emptione vero, nisi homo viderit aliquem, qui utatur fruatur terra aliqua, dum seminat, aut habitat, aut destruit, aut aedificat, aut vendit, aut locat, et nisi a multis audierit dicentibus quod vendita (*empta*) sit, neque viderit, aut audiverit, quod alius ei contradixerit, non debet testari, quod illa terra empta (*vendita*) fuerit. Et ille, qui testatur, quod talis mortuus sit, et non sit heres alius praeter hunc, qui stat, si novit illum ipsum mortuum, et genus eius proximum, et remotum, tunc debet testimonium hoc reddere, aliâs minime. Et cum accedit aliquis qui vult heres esse bonorum mortui, debet episcopus dicere: habes testes, quod huic mortuo non sit heres alius praeter te? et si dicat: non habeo: tunc praecipiat praeconi, ut proclamet, quod hereditas talis mortuî adiudicanda sit; quicumque novit heredem eius, accedat, ac denuntiet. Et si nemo comparue-

rit, tunc tradat totam hereditatem illi absque fideiussore: at aliqui dicunt quod sponsorem accipere debeat ab eo. At id ratum non est. Et si maritus fuerit, aut mulier, ius ipsius solum det ei.

Modus tertius.

Praedicabilia omnia. Nam sermo auditu comprehenditur, eiusque prolator visu: et ideo non debet caecus testari de eo, quod audit, nam similes saepe sunt voces; et error subintrat. Et hic sunt typi septem.

Typus primus.

Si apprehendat aliquis caecum, et confiteatur aliquid accedens ad aurem eiusdem caeci, et ita ducat eum ad episcopum, et testetur ipse caecus, quod confessus est hic, et audivi ab eo hoc et illud, non recipitur testimonium eius, quia periculosa est haec porta, et non debet aperiri.

Typus secundus.

Declaratio caeci non recipitur, neque verbum illius, qui dicit: audivi a tali, cum esset intra cortinam talis. Interpretatio caeci recipitur, quia auditor visu videt illum, qui loquitur, quamvis non intelligat sermonem eius.

Typus quartus.

Desponsatio testimonio duorum non confirmatur.

Typus quintus.

Cum testem sibi adsciscit aliquis, deinde moritur, et non sit testis ille cognoscens genus mortui, debet apud eum comparere testis, et revelare faciem eius eumque videre, utrum ipse sit, an non. At si sepultus fuerit, non debet educi e sepulchro, nisi fuerit negotium magnum, et is recenter fuerit tumulatus, nec adhuc corrupta sit figura ipsius. At si sciverit testis nomen eius, et nomen patris illius, sufficit, quamvis nesciat nomen avi eius.

Typus sextus.

Testis non debet testimonium de muliere reddere, si facies eius cooperta sit; sed videat vultum eius, et deinde testetur de illa. Et ingruente tempore testimonii, rursus intueatur vultum eius, et si illam cognoverit, testetur de ea, secus minime: et si perplexus fuerit, episcopus in hoc negotio debet praecipere, ut compareat ipsa haec inter mulieres coaequales statura, et veniat testis, qui si cognoverit eam, recipiatur testimonium eius, secus vero minime.

Typus septimus.

Cum femina, quae testatur de se ipsa aliquid, ignotae familiae fuerit, non sufficit quod dicat: talis sum, et filia talis: sed insuper etiam similitudines figurae eius debent scribi in chirographo testimonii.

Directio.

Omnis testis iustus debet comparere, ac testari, quando vocatur ab episcopo, si tamen distet spatio eiusmodi quod possit reverti domum suam eodem die; at si ampliore, non debet. Et aliqui dicunt, quod si visu viderit rem, et ad testandum advocatus non fuerit, non debeat comparere: at id firmum non est. Et testi non debetur merces, nam emolumentum eius, spirituale est, nempe ipsa eius iusta testificatio. At si remota sit via, merces vecturae ei debetur. Et si cum accipit mercedem non insederit, sed ambulaverit, id potestati eius relictum est. Et cum

duos testes, dicet aliquis, habeo, quorum unus testatur, minime vero alter, non potest ille homo dicere: iuro cum hoc, qui testatur mihi, scilicet ut iuramentum meum suppleat testimonium illius, qui non testatur. Et omnis vir iustus, ubi requiritur, ut testetur, quamvis possit non accedere, et testari, non est tamen ei decens, si non testetur.

SECTIO IV.

De testibus et iuramento.

Directio.

Omne iudicium testimonio unius viri, et duarum mulierum absolvitur; item uno testimonio, et iuramento absolvitur; idest si actor, unum solum testem habuerit, et reus neget, iuret cum testimonio testis sui, ut repetat rem suam; et cum primum ipsa iustitia testis illius comprobata fuerit, deinde iurare actor iubeatur. Excipe morbos feminarum, isti enim non confirmantur uno teste, et iuramento, quum duabus feminis testimonium ferentibus non valeat iuramentum.

Directio.

Cum duo filii statuunt unum testem de credito, quod habet pater ipsorum mortuus erga aliquem, si omnes iurant, absolvuntur; et si unus ex eis iuret, et ille alius dicat: ego non iuro: partem suam solum accipit ille, qui iurat: et si moritur ille, qui dicit: ego non iuro, non potest heres eius iurare, et accipere. Et si qui non recusavit iuramentum, obiit ante iurandum, potest heres eius iurare, et accipere. Et cum iurat unus e fratribus de credito patris sui defuncti, et accipit partem suam, ac frater eius non sit praesens, et iuret, et accipiat partem suam, non accipitur de manibus debitoris pars illius, qui abest, sed cum eo manet, donec compareat adversarius eius. Et ita bona pueri, et energumeni in manibus debitorum illorum maneant, donec adolescat ille, et intellectum recipiat iste. At si creditor unum habeat testem praesentem, potest impedire debitorem ab administratione bonorum illorum tantummodo uno aut duobus diebus, ut compareat alter testis: et si compareat, dimittit eum; et pars, quam accipit ob editum iuramentum unus frater, nullatenus pertinet ad alterum fratrem.

SECTIO V.

De testimonio testimonii.

Directio.

Testimonium testimonii dicimus illud, cum testamur de aliqua re, testem alium adhibentes, quod scilicet - testatur mihi talis, et talis sic et sic -. Et hic sunt typi quinque.

Typus primus.

Testimonium testimonii in omnibus administrationibus saecularibus acceptione, datione, et reliquis admittitur: in delictis autem, quibus offendunt homines mutuo, non admittitur.

Typus secundus.

Non debet testis secundus testari de teste primo, nisi cum ei dicit testis primus: testimonium edere debeo de tali; et ego testem te mihi, volo, quod ego tester sic. Aut si videat eum apud episcopum, eum dicit: testor, quod talis habeat erga talem hoc,

et hoc; tunc testimonium edat de testimonio illius, licet ille in testem se non advocet. At si audiat testem referentem negotium aliquod, quod fiat sine animo testimonii edendi, non debet secundus testimonium edere pro illo. Et cum testatur testis secundus, debet diserte dicere: testem me accivit talis, qui testatur sic et sic: aut vidi eum testari apud episcopum sic et sic.

Typus tertius.

Siqua accidentia corripiant testes primos, vel si hi moriantur, aut longe discedant, aut aegrotent, aut caeci, aut energumeni fiant, non laeditur testimonium testium secundorum. At si dissoluti fiant, vel apostatae, aut inimicitia contingat eis cum collitigante, antequam recipiatur testimonium testium secundorum; amplius non recipietur testimonium eorum, qui verbum dissoluti, apostatae, aut inimici, meditantur confirmare.

Typus quartus.

Cuique testi e primis duo testes secundi testimonium reddere debent: et hi secundi eum de uno ex primis testantur, non debent ipsi etiam de aliis ex primis testari, nam etiam unus e testibus primis non potest testari de testimonio testis alterius primi; scilicet, ut idem sit primus et secundus, non est iustum.

Typus quintus.

Causa testimonii testis secundi alia non est, nisi timor mortis, aut absentiae, aut aegritudinis testium primorum, ut non possint comparere, et reddere testimonium suum. At si possint, non exiguntur testes secundi, neque admittuntur: et testes secundi non debent confirmare iustitiam testium primorum, aut rectitudinem testimonii eorum, eo quod nesciant: et si confirmant, quia sciant, admittitur confirmatio eorum; contra ac contingit in eo, qui iurat cum testimonio unius testis, quia debet iurare, rem ita esse, et verum esse testimonium huius testis de re, quam testatur: hic enim est dominus operis, et scit, an verum sit, nec ne. Et non ita est testificatio secundi.

SECTIO VI.

De retractatione testimonii.

Directio.

Retractationem testimonii dicimus illam, cum postquam testati fuerint testes, redeunt ac dicunt: non ita se habet res, quemadmodum testati sumus. Et huic scopo sunt tres modi.

Modus primus.

Delictorum. Itaque si antequam solvatur iudicium, retractent, cessat iudicium, et non condemnatur ille, quem deliquisse testati fuerunt, sed imputatur testibus his, si de fornicatione testati fuerint, et veniant iterum, et se ipsos mendacii arguant, tamquam infames iudicentur.

Et si cognoverit episcopus poena capitis esse reos, non amplius recipitur testimonium eorum: et si perspexerit, quod rei non sint, sed propter compassionem retractarunt suum testimonium, non destruitur iustitia eorum; et recipientur testimonia eorum, quae postea edent. Et si postquam pronunciatum est iudicium, et ante poenam capitalem delinquentis retractent proprium testimonium, aliqui dicunt,

quod poena capitalis cessat, alii vero dicunt, quod non; eo quod ille, in quem iamdiu poena mortis est decreta, instar illius sit, qui obiit. Et si post poenam capitalem revocent testimonium, si nempe dicant: scienter mentiti sumus, ut occideretur; absque dubio, occidentur, quia effuderunt sanguinem innocentem. Et si dicant, quod per errorem, et absque scientia testati sumus, non occiduntur, sed mulctae damnum subeunt illius, qui occisus est, pro dominis eius, et infames erunt. Et si dicant, cum scientia, et non per errorem mentiti sumus, sed non existimavimus, quod occideretur sub testimonio nostro; isti quamvis non occidantur, attamen duplicatur in eos mulcta, una scilicet dominis occisi, et altera ecclesiae.

Modus secundus.

Cum testantur duo testes: talem servum libertate donavit dominus eius, ipse ille servus liberatur; et si redeant ac dicant: non ita se habet res, uti testati sumus, non subditur denuo ille, qui liberatus est, servituti; sed ipsi testes illi debent appendere pretium eius domino ipsius.

Modus tertius.

Si testentur duo, Iacobum esse debitorem centum denariorum Abrahamo, et Abrahamus centum acceperit solutos sibi, deinde dicant testes: non ita se res habet, neque cum cognitione, sed per errorem testati sumus; non potest Iacobus resumere quidpiam ab Abrahamo. Et an possit solutionem accipere a testibus, dissident aliqui, quemadmodum dissident, quando dicat Iacobus: haec tunica Abrahami est, eamque tradat Abrahamo; deinde dicat: non; sed Isaaci est, non recipitur ab Abrahamo tunica: et an damnum patiatur Iacobus pro Isaaco in alia tunica simili illi, an non, dissident.

CAPUT XL.

De accusatione generatim.

In eo sunt sectiones quinque.

SECTIO I.

De firmitate accusationis.

Directio.

Accusationis quinque sunt elementa: ipsa accusatio: remotio: recusatio iuramenti: ipsum iuramentum: et demonstratio. Et de singulis elementis peculiari sectione compendiose pertractabimus.

Ac primo firmitatem accusationis confirmamus dicentes, tamquam prohoemii loco, quod quilibet homo, qui habuerit ius aliquod in alium hominem, ipsum illud ius aut extat in potestate illius, aut facit contra caput eius, aut est debitum (*creditum*) Itaque ius, siquidem existat in potestate socii, potest accipere ipsum ab eo vi, si contradicat, verum cum non moveatur lis dura inter eos. Et si poena capitalis ei debeatur a socio, non potest ipse solutionem accipere ab eo, sed iudici indicet, ut sibi ab eo solvatur. Et si debitum fuerit ius eius, et fateatur adversarius, se debitorem esse, sed tergiversetur, neque solvat, similiter indicare debet episcopo, ut illum compellat ad solvendum: et si non obediat episcopo, arrogans factus, aut se abscondens, aut fugam capiens, si reperiat ipse creditor quidpiam de genere sui cre-

diti in facultatibus eius, qui non obedit, ut solvat, potest illud accipere, id episcopo indicando: et si reperiat aliquid, quod non sit ex genere crediti sui, scilicet si drachmas debeat ei ille, et inveniat triticum ad eum pertinens, pariter episcopo significet, ut vendat, ac solvat ipsi rem suam. Hoc quidem cum fuerit creditori demonstratio, idest testes ad confirmationem sui crediti: quod si non habeat testes, non potest accipere quidpiam.

Directio.

Scito quod in omni iudicio debeant necessario esse duae personae: accusator, qui debet confirmare suam accusationem per demonstrationem, hoc est testes: et accusatus qui debet confirmare suam defensionem per iuramentum; nam ponuntur testes pro positione, et non pro negatione: et quod non sit fidelibus facile iuramentum, ipsum evangelicum praeceptum confirmat: itaque quoties possunt concordare accusatus, et accusator eius, a iuramento abstinendum est. Et hic sunt canones sex.

Canon primus.

Cum statuit Socrates testes, quod aedes, quam habet Plato, sua sit, non potest Plato illum etiam ad iurandum cogere, quod ea sua sit, nisi iudicium aliud introducat in medium, et dicat: veraces sunt testes, quod tua fuerit; sed illam emi mihi, et tunc potest adiurare Plato Socratem, quod aedem sibi non emerit, et deinde tradat ei aedem. Et si dedecoret Plato testes, ac dicat, quod non testentur iuste, debet confirmare iniustitiam eorum. Et aliqui dicunt, quod possit adiurare Socratem, quod nesciat, non esse iustos testes ipsius. At id ratum non est. Et cum definiet iudicium, quod iuret Plato; si dixerit Plato: qui me adiuravit una vice, testes statuat: alias iuret Socrates, quod illum non adiuraverit: et patet, quod falsa accusatio contra episcopum, ac testes ab adrogantibus hominibus procedens, non sit attendenda, neque debet episcopus, aut testis iurare, se vere iudicare, et testari. Et cum confirmatur debitum accusati, ac dicit: expecta me, quia habeo demonstrationem, quam tertia die proferam, dimittant eum. Et aliqui unam tantummodo diem concedunt: et ille, qui iurat de aliqua re, primum iuret, et postea accipiat.

Canon secundus.

Accusatio simplex in debito solum admittitur, videlicet cum dicet creditor: debet mihi hic talis, et non opus est ut denotet quare, aut quando, aut ubinam mutuum dederit ei. In emptione autem, et venditione debet nominatim denotare ille, qui dicit: vendidit mihi hic aedem suam, videlicet cum sanus esset, et perfectus mente, ac statura, et voluntate sua, sine coactione, aut violentia vendidit mihi, et recepit pretium. Et similiter ille, qui accusat aliquem de delicto, debet distincte exprimere quomodo, ubi, et quando delictum admiserit in ipsum. Et ita etiam testes, cum in similibus iudiciis testantur, debent particulatim rem denotare.

Canon tertius.

Cum servus fuerit in manibus alicuius, et dixerit servus ille: liber ego sum, et non servus: admittitur verbum eius, cum iurat, se servum non esse: et non recipitur verbum il-

lius, in cuius manu est, quamvis iuret, illum servum suum esse. At si dicat servus ille: servus qudem fui eius, sed liberavit me: si non habeat testes, recipitur verbum domini eius, cum iurat, se illum haudquaquam libertate donasse. Et cum parvus fuerit servus, non recipitur verbum eius, si dicat: servus non sum: sed in manibus domini maneat, donec crescat, et deinde iuret, ut recipiatur iuramentum eius.

Canon quartus.

Siquis dicit: debet mihi hic hoc et illud solvere intra mensem, non attenditur verbum eius, neque vocatur debitor eius in iudicium, nisi cum perficitur *prothesmia*.

Canon quintus.

Cum aliquis dederit supellectilem quamdam, quae valeat quinque, mediatori, ut vendat ipsam decem; et neget mediator, ac dicat: nihil mihi dedit: et nesciat dominus supellectilis, utrum illam vendiderit mediator, an perdiderit; qui eum accusat, dicat: dedi huic supellectilem; si vendidit eam, debet mihi decem; et si servata adhuc est penes ipsum, debet illam mihi restituere; et si perdidit eam, debet mihi quinque. Itaque si iurat mediator, quod numqum acceperit supellectilem, evadit duas hasce accusationes: et si fatetur, se accepisse, debet exprimere in suo iuramento, utrum illam vendiderit, an servata sit, an perdita.

SECTIO II.

De responsione accusati.

Directio.

Responsio illius, qui accusatur, aut negatio est, aut silentium, aut confessio: et in confessione sex sunt typi.

Typus primus.

Cum respondet: possum liberari ab hac accusatione, responsio eius non est confessio, quia fieri potest, quod negando dicat, possum liberari. Et ita si dicat: habet apud me talis plus quam bona tua; quia fieri potest, quod irridendo irrideat illum talem. Et ita si dicat: iusti sunt testes isti, qui testantur; non debet solvere quidpiam, de quo testantur, quamvis confessus fuerit iustitiam eorum, eo quod impossibile haud est, quod erret iustus.

Typus secundus.

Cum aliquis accusat quempiam, et dicit: debitor es mihi decem, et respondet ille: non debeo decem; debet addere, ac iurare dicendo: non debeo decem, neque partem ex decem; eo quod si debeat novem, et iuret non debeo decem, verum sit iuramentum eius.

Typus tertius.

Cum aliquis alium accusat: debes mihi hoc et hoc, et ille iam solverit ei, debet accusatus negare, ac dicere: nihil tibi debeo, et liberabitur: nam si dicat: debebam tibi rem, quam dicis, sed solvi iamdiu, confessus est, se debitorem esse. Itaque compellitur a lege ad statuendos testes, quod solverit: et si non sint ei, non ipse iurat, quod solverit, sed creditor iurat, quod solutionem non acceperit, et solutionem accipit. Et cum fuerit aedes in manibus Socratis, et Plato testes adducat, quod illa sua sit, debet Socrates aedem tradere Platoni. At si dicat Socrates: est oppignerata penes me, aut conduxi eam, debet ad-

ducere testes; et si illos non habeat, Plato iuret, quod non oppigneraverit, nec locaverit.

Typus quartus.

Cum dicit Plato Socrati: aedes, in qua habitas, mea est: et respondet Socrates: nec mea, neque tua est; necessario aut dicat: est talis absentis: aut: nescio cuius sit: aut: scio, sed nolo illum manifestare: et hic quatuor sunt modi.

Modus primus.

Si compareat ille talis, et dicat: verax est Socrates, mea est aedes; iuret, et accipiat aedem, si Platoni desint testes. At si cum comparet ille talis, dicat: mentitur Socrates: haud mea est aedes; quisnam illam accipiet? Profecto ratum est, quod Plato illam accipiet, verum si iuret, quod iamdiu Socrates cum illo alio remoti sint ab ea. Et si postea redeat ille talis, et dicat: mea est aedes, et per errorem dixi, quod mea non esset, non recipitur verbum eius. Et ita omnis, qui negat aliquid, et redit ut adfirmet.

Modus secundus

Cum dicit Socrates: talis absentis est: debet iurare Socrates, si Plato non habeat testes: at si Plato habeat testes, traditur ei aedes, verum si iuret iterum, quamvis testimonium ei reddiderint testes, eo quod fieri possit, quod sua esset, et illam vendiderit illi tali absenti, et testes id non cognoverint. Et si Socrates habeat testes, qui testentur, illam esse illius talis absentis, non recipitur verbum testium illorum, eo quod non sit praesens ille, cui testimonium reddunt. Sed si dicat Socrates: oppignerata est apud me haec aedes, aut commendata, aut concessum est mihi ab illo tali, ut habitem in ea; tunc auditur verbum testium illorum, qui illi, qui praesens non est, testimonium reddunt.

Modus tertius, et quartus.

Iuret Socrates, quod non Platonis sit aedes, et ea maneat ipsi, uti est; et siquidem non iuret Plato, quod sua sit, eam accipiat. At si dicat Socrates: neque mea est, neque tua, o Plato, sed talis pueri, aut energumeni, cessat iudicium, et ei maneat aedes, donec adolescat puer, aut mentem recuperet energumenus ille: et non potest iudicare Plato cum tutoribus illorum mente carentium, eo quod tutor non adiuretur.

Typus quintus.

Cum vendiderit Abrahamus aedem Isaaco, si statuat Iacobus testes, quod sua sit aedes, quam vendidit Abrahamus, accipiat aedem: et potest Isaac repetere pretium, quod dedit Abrahamo, si non fateatur, Abrahami fuisse aedem vere, et ab eo se emisse. Et si fatetur, non accipit quidquam ab Abrahamo, eo quod similis illi sit, qui confitetur, quod opprimendo oppressit ipsum Iacobum, et rapuit ab ipso aedem. Et curnam damnificetur Abrahamus, a quo nihil omnino direptum fuit?

Typus sextus.

Cum accusatur servus, quod opus commiserit supplicio dignum, ipse debet apologiam pro se conficere: et cum accusatur, quod commiserit delictum dignum mulcta, dominus eius respondeat; et non recipitur confessio servi, cum confitetur, se deliquisse; haud enim damnificatur dominus eius per ipsius confessionem.

SECTIO III.

De iuramento.

Directio.

Iuramenti quatuor sunt elementa : ipsum iuramentum : res, cuius causa fit iuramentum: iurans : canon iuramenti.

Elementum primum.

Iuramenta fortia in necessitate solum fieri debent, et in vitiis mulierum, eo quod mulieres, quae rudes sunt natura, confirmatione indigent: et in bonis magnis, et non in exiguis: et magna ea, quae valent viginti denarios auri, dicimus. Et in tutela orphanorum, et viduarum iustum esse censuerunt aliqui, ut fortia fiant iuramenta, quamvis super una drachma. Et cum accusat dominus servum suum, qui liberavit eum, si recuset dominus eius iuramentum, tunc admoneatur ut graviter iuret, quod non liberaverit eum. Et tribus modis communiuntur iuramenta: per locum sanctum, idest per ecclesiam; et per tempus, idest per dies notos ieiunii dominici,aut festorum celebrium; et per additionem commemorationis nominum divinorum essentialium, puta Deus, qui fuit, est, et in aeternum erit: et *Adonai*, et *Ahiah*, *Ascharahiah*: et ille, cuius nutu stant omnes creaturae caelestium, et terrestrium, et alia similia. Et illud congruum est, ut per evangelium adiurentur Fideles, et per pentateuchum Iudaei, et per librum proprium Mahometani. Et antequam praecipiat episcopus, accusatus iurare non debet; et si iam iuraverat, non computatur ei, sed secundo iuret, et debet exprimere verbo, ac negare, dum iurat, omne id de quo accusatur.

Elementum secundum.

Et rei, pro qua iurat iurans, canones sunt tres.

Canon primus.

Cum sibi rem adiudicat, affirmative simul et negative debet iurare : et cum alteri adiudicat, affirmative solum debet iurare, videlicet quod vendidit, aut pigneravit, aut legavit, aut dedit, aut perdidit, aut deliquit, aut locutus est; et non negative, videlicet non iuret, quod non vendidit talis, aut non pigneravit etc., sed " nescio, an vendidit, aut pigneravit „ aut quidpiam aliud. Propter servum suum si iuret dominus " nescio, an deliquerit,„ non liberat e iudicio. Et an possit iurare, quod non deliquerit, disputant nonnulli : et ita de asino suo, quod non corruperit. Et illud ratum, quod non possit iurare, si tempore, quod proximum non fuerit, accusatur servus eius quod deliquerit, aut asinus eius quod damnificaverit.

Canon secundus.

Cum res aliqua fuerit, cuius actio apud nos Christianos delictum sit, et apud Iudaeos delictum non sit, non recipitur iuramentum Iudaei, dum iurat, quod non deliquit, sed quod non fecit.

Canon tertius.

Cum dicet Paulus : debet mihi Petrus hoc et hoc, et nolo eum adiurare, sed det mihi sponsorem, qui non fugiat, donec adducam contra eum testes; non recipitur verbum eius: at si adducat contra eum testes, quod sit debitor, et non comprobetur debitum apud episcopum, quia dubi-

tat de iustitia eorum testium, tunc recipitur verbum Pauli, dum exigit sponsorem a Petro, qui non fugiat, donec comprobetur iustitia testium; sponsorem tamen pro sua persona, et non pro pecunia, eo quod nondum confirmata sit pecunia.

Elementum tertium.

Ille, qui iurat, perfectus mente, et statura, cum accusatur, debet esse fidelis: infidelis vir, aut femina, episcopus, aut iudex, aut testis, non debent iurare, cum accusantur absque iustificatione iudicii et testimonii. Et conditor (*executor*) testamenti non potest iurare, quod alienus sit ille mortuus a debito, eo quod etiamsi confiteatur, quod debitor sit mortuus, reprobetur confessio eius. Similiter etiam tutor non potest adiurare debitorem illius, qui constituit ipsum tutorem, quod non sciat eum tutorem esse, eo quod licet debitor sit, debitor est, quia tutor est: sed potest negare creditor, ac dicere: dimisi eum a tutela; et tutor potest adducere debitorem coram episcopo, et confirmare, quod tutor sit creditoris; et deinde exigat suum debitum.

Elementum quartum.

Canon iuramenti. Cum iurat adversarius, quod debitor non sit, statim liberatur a iudicio, non tamen plenissime evadit: nam si postquam iuraverit, possit creditor adducere testes, et confirmare creditum, cogitur debitor ad solvendum, quamvis iuret, se debitorem non esse. Et aliqui dicunt, quod post iuramentum amplius non recipiantur testes: et illud ratum, quod si dicat creditor: non habeo demonstrationem neque paratam, neque non paratam, non recipiantur testes eius postea. Et cum dicet ille, cui imperat episcopus, ut iuret: semel adiuravit me adversarius meus; si non iuret, quod me non adiuravit: et si adiuretur adversarius, et ille iterum iuret, quod me semel adiuravit, quod illum non adiuravi; et si non iuret, quod non adiuravit me, non recipitur verbum eius, quia sine fine fit verborum vitiosus circulus.

SECTIO IV.

De recusatione iuramenti.

Directio.

Accusatus cum iurare recusat, non statim debitum confirmatur adversus eum: sed cum iurat accusator, se habere contra illum hoc et hoc creditum, tunc compellitur solvere: et iuxta recusationem debitoris, hoc est accusati, conversio fit iuramenti super creditorem, hoc est accusatorem. Itaque debet episcopus significare debitori: si non iuras, quod debitor non sis, cogeris ad solvendum, si iuraverit hic adversarius tuus. Et si ita etiam in sua recusatione perseveret, tunc praecipiat episcopus accusatori " iura, et solutionem accipe ". Et aliqui dicunt, quod statim ac recusat accusatus, dicitque: non iuro: confirmatur adversus eum reatus, quamvis non iuret accusator: at id ratum non est: fieri enim potest, quod accusatus quamvis sciat, se debitorem non esse, non inducatur ad iurandum propter praeceptum dominicum " ne iuretis omnino ". Et si postquam recusat accusatus, et iubet episcopus, ut accusator iuret, et promittit iurare, redeat accusatus, et dicat: iuro: non recipitur verbum eius. Et accusator cum iura-

mentum ad ipsum devolvitur, quamvis recuset, potest ipse praestare post recusationem suam; nam instar est illius, qui rem, cuius reus non erat, recusabat. At non ita accusatus. Et patet, quod cum accusator non fuerit ex iis, qui adiurantur, videlicet puer, aut energumenus, aut tutor, aut ipse episcopus, aut pauper communiter in iudicio eleemosynae (*iuris*) non devolvitur ad eos iuramentum; sed iuret accusatus, aut solvat.

SECTIO V.

De demonstratione.

Directio.

Demonstrationem testimonium testium dicimus in legibus: et qualitatem testimonii supra declaravimus, et hic illam (*qualitatem declaramus*) cum duae demonstrationes ambobus adversariis simul fuerint. Itaque quoties fieri potest, ut concilientur, conciliandae sunt: et si ambae omnino contrariae fuerint, inclinandum est ad eam, quae magis accedit ad iustitiam: et si aequalis ponderis fuerint, cessandum est a iudicio, donec concilientur ambo adversarii inter se. Alii dicunt, quod ambo priventur iure, et quod res ecclesiae cedat. Alii dicunt, quod sortem mittant inter se, et res illius sit, cuius sors extrahitur: alii vero dicunt, quod inter ambos dividatur: nos autem decisionem primam, reiectis his tribus, sequimur. Et probabilitatis in demonstratione, tres novimus esse causas, robur testimonii, aut possessio quae testimonium consequatur (*sive illi adhaereat*) aut additio partis in testimonio.

Causa prima.

Roboris testimonii tres sunt typi.

Typus primus.

Si fuerint uni duo testes, et adversario tres. Itaque verbum eius, cuius plures sunt testes, recipitur. Et si ambobus duo testes fuerint, si duo testes unius, sint testes magis fide digni, quam reliqui, illorum recipitur verbum.

Typus secundus.

Testimonium duorum virorum magis recipitur, quam testimonium unius viri, et duarum feminarum.

Typus tertius.

Cum duo testes fuerint uni ex adversariis, et alteri unus testis fuerit, et hic dicat: iuro insuper; non recipimus verbum eius, quamquam controversia ab eo non sit orta.

Causa secunda.

Possessio. Itaque aut in manibus amborum est simul ipsa res, aut in manibus unius ex eis, aut in manibus alterius tertii. Et hi tres typi.

Typus primus.

Cum in manibus amborum extiterit res, si unus eorum non habeat testes, adiuretur uterque, et si iuraverint, aut recusaverint simul, ambobus relinquatur res, uti erat. Vel illi, quem voluerit episcopus, et iusserit primum iurare: vel mittant sortes, et quisque eorum iuret, illam rem non esse socii sui: et si iurat unus ex eis, et alius recusat, iuret secundo ille, qui iuravit quod socii sui non sit res, sed sua sit, et eam accipiat. Et si ille, qui recusat iuramentum, adducat testes, non recipiuntur testes eius, postquam transtulit iuramentum suum in socium suum, si socius eius secundo iuraverit; alias recipiuntur, et to-

ta res ipsius erit. Et frustra est iuramentum illius, qui iurat, quod sua non sit: nam si adsint testes, iuramentum, quod negat, non prodest.

Typus secundus.

Cum in manibus unius eorum fuerit res, tunc magis recipiuntur testes eius, quam testes adversarii eius. Et possessionis rei sunt sex modi ad confirmandam demonstrationem eius.

Modus primus.

Cum non fuerit adversarius, qui contendat eum ipso, sed voluerit adducere testes, et confirmare, rem suam esse per adfirmationem episcopi, et hoc per chirographum, non debet episcopus audire testimonia, neque firmare ei chirographum; nam testimonia propter collitigantes exiguntur: itaque fingat animo, et constituat ipsi callide adversarium, ut scribatur ipsi chirographum.

Modus secundus.

Cum possessor habuerit adversarium, cui non sint testes, ipse vero habeat testes, scribitur ei chirographum, et confirmat episcopus testimonia, si testes sint iusti.

Modus tertius.

Cum adversarius exterus habebit item testes; et intimus, hoc est possessor testes; non debet praesentare intimus testes suos, nisi postquam confirmata fuerit iustitia testium exteri.

Modus quartus.

Cum confirmatur iustitia testium exteri, et confirmatur etiam iustitia testium intimi, iuret intimus, suam esse rem, quae in manibus eius, et deinde adiudicabitur ei. Aliqui dicunt, quod non debeat iurare, sed possessio eius, hoc est interioritas eius, sufficiat, ut in favorem ipsius propensio sit.

Modus quintus.

Cum intimus non habuerit paratum argumentum, et accipitur ab eo res cum existentia demonstrationis ex parte exteri; si postea existat illi, qui intimus fuit, demonstratio, divisae sunt sententiae, an tunc debeat iudicari tamquam intimus, an vero tamquam exterus.

Modus sextus.

Cum exhibet exterus demonstrationem, quod sua sit res simpliciter: et exhibet item intimus, quod sua sit, eamque emerit ab illo extero, demonstratio intimi persuasibilior est. Et si statim non adsit demonstratio intimo, sed dicat solum: emi ab eo; dicitur ei: trade itaque rem huic extero, cuius propriam esse confessus es, donec confirmetur, quod ipsam ab eo emeris.

Typus tertius.

Si in manibus tertii, qui sit extra eos, fuerit res, et constituat quisque eorum testes, *qui pro eo dicant* mea est, neutri eorum adiudicatur. Et si unius eorum nominatim confiteatur ille tertius, in cuius manibus est, propriam esse, adiudicatur ei. At si unus eorum habeat testes, alter vero non, et fateatur ille tertius, eam illius esse, qui non habet testes, non recipitur eius confessio. Et si unus eorum constituat testes, quod tota res, quae in manibus illius tertii est, sua sit, et ille alter adducat testes, quod dimidium eius rei, ipsius sit; et tertius, in cuius manibus est, non habuerit testes, quisque illorum duorum di-

midium eius accipit, et tertius excluditur, quamvis sit intimus.

Causa tertia.

Additio partis in testimonio. Et huic sunt duo fines.

Finis primus.

Chronographia: cum ambo adversarii constituent demonstrationem, quod uno tempore possederunt rem, neutri eorum confirmatur. Et si unus eorum constituat demonstrationem, quod ante duos annos sua esset, et alter, quod ante unum annum, argumentum antiquioris recipitur, donec confirmet alter, qualiter illam possederit, et quomodo sua fuerit, si non sit in manu eius; et si in manu eius sit, sufficit ei argumentum simplex, quod sua sit, et ea non privatur. Et hic sunt demonstrationes tres.

Demonstratio prima.

Cum testantur testes, quod haec res huius erat heri, non prodest testimonium eorum. Et si testantur, quod hic, in cuius manibus res est, confessus sit heri, quod sua non esset, sed illius, recipitur, et prodest. Et ita cum testantur testes, quod huius fuit res heri, et nunc etiam ipsius est, et non noverint penitus, quod exierit ab eo, recipitur testimonium eorum. At si non dubitanter dicant, quod nescimus, an exierit ab eo, an non, cessat testimonium eorum.

Demonstratio secunda.

Cum animal fuerit res, si ante confirmationem testimonii pariat, quamvis una hora, ipsius, in cuius manu est, partus ipsius erit. Et si post confirmationem testimonii pariat, illius, cuius proprium esse testantur, et non illius, in cuius manibus est, proprium erit animal, et partus eius.

Demonstratio tertia.

Cum dicit aliquis: debet mihi hic mille drachmas, et habeo testes: et cum veniunt testes, dicant: duo milia debentur huic ab illo, non confirmatur ei ne unum quidem mille. Similiter et omne testimonium, quod non consentit verbo accusatoris.

Finis secundus.

Contentiones: et in eo sunt modi quinque.

Modus primus.

Cum dicit dominus aedis alicui: locavi tibi unum e cubiculis aedis decem (*denariis*), et adducit testes; dicit autem ille, qui conduxit, quod non; sed totam aedem conduxi a te decem, et pariter constituit testes; cessat iudicium eorum, veluti non habentium testes, et adiurentur. Et si iurent ambo, pariter cessat iudicium eorum, tamquam si non iurassent, et nihil erit eis, nisi ut conveniant super re. Et aliqui dicunt, quod sortes mittant, cuinam adiudicetur.

Modus secundus.

Cum fuerit aedes in manibus alicuius, et duo alii adducant testes, quisque specialiter, quod illam emptione emerit ab illo, et dederit ei pretium integrum;et hi mittant sortes; ille, cuius nomen extrahitur, accipiat eam, et ille alius vicissim accipiat ab eo, qui dederat eam. Et alii dicunt, quod quilibet eorum dimidium aedis accipere debet, et dimidium pretii; at id aequum non est, eo quod fieri possit, quod quisque eorum non nisi in tota aede consentiat. Et patet, quod consensus venditoris uni eorum non

prodest, videlicet cum dicit: hunc volo illam accipere, et non alium.

Modus tertius.

Cum profert servus testes, quod dominus suus ipsum liberaverit: et alius producit testes, quod eum emerit a domino eius; si adest inter eos chronographia, ille prior recipitur, eo quod alios removeat. Et si non est chronographia, emptio confirmatur, eo quod fieri possit, ut testes iusti ob mercedem ampliorem, quae fit ipsis a Deo, propendeant ad confirmandam liberationem servi, quamvis haec non fuerit firma.

Modus quartus.

Cum litigant vir et uxor eius super vasis domus, quae in manibus amborum sunt simul, non confirmantur uni eorum specialiter sine testibus. At instrumenta armorum viro magis adiudicantur, et instrumenta pensi mulieri. Et aliqui dicunt, quod non; eo quod fieri possit, ut mulier a patre suo hereditet arma, et vir ex proprio emerit fusum.

Modus quintus.

Cum litigant duae personae de nato, et dicat quisque eorum: meus est, idest ego genui eum; heic sunt tria elementa: prosecutor: relator: et ipsa prosecutio.

Elementum primum.

Ille, qui vult adiudicare sibi natum aliquem, liber vir, qui possit generare, debet esse: liberum diximus, eo quod cum servus dicit: ego genui eum: et alius liber dicat; ego genui eum; demonstratio liberi recipitur, eo quod ipse magis possit res suas agere. Et in hoc proposito pares sunt fidelis, ac non fidelis.

Et mulier cum dicit: ego peperi eum: si coniugata fuerit, neque consentiat ei maritus eius, non recipitur verbum eius. Et si non coniugata fuerit, testem debet adhibere, eo quod partus mulieris potest probari per testes, contra ac proles viri. Et quod possit generare, diximus; nam cum unus ex eis maritus fuerit mulieris, et alter alienus, verbum mariti recipitur, cum dicit: ego genui prolem: et non verbum alieni, quamvis possibile id sit.

Elementum secundum.

Significatoris relatio per tentamen confirmatur, videlicet: ponatur puer parvus inter mulieres, et non sit mater eius inter eas: dicitur illi: considera, quaenam ex his sit mater tua. Et cum consideret, ac dicat: non est in his mater mea: deinde praesententur mulieres aliae, in quibus sit mater eius: et si consideret, et designet unam ex eis, veluti digito, et dicat: haec est mater mea, et comprobatum id fuerit; tunc confirmatur significatio eius in omnibus illis, quae significat postea, et recipitur testimonium eius solius.

Elementum tertium.

Ipsa prosecutio (*adhaesio*) cum possibilis fuerit: tunc videlicet ostenditur puer significanti (*recognoscenti*). Nam si duo viri, qui possint eum generare, dicant quisque eorum: ego genui eum; patet, quod duorum patrum simul esse nequeat proles. At aliqui coaequant. Et hic sunt tres typi.

Typus primus.

Verbum significantis non recipitur, nisi super natum parvum, aut magnum, qui mutus sit, et non loquatur: et natum adultum, cum eum sibi

adiudicat aliquis, ae ille consentit, non recipitur verbum significantis, quod non sit natus eius. Et si recuset natus, similiter non recipitur verbum significantis qui dicat, esse natum eius.

Typus secundus.

Natus, quem sibi adiudicat vir aliquis, aut mulier aliqua, a qua fuerit alienus maritus eius, ne mulieri quidem datur, sed si alius accedat, ut eum sibi adiudicet, huic accedat.

Typus tertius.

Cum duae mulieres litigant de prole, et dicit unaquaeque earum: mea est: illi, cui adsit demonstratio, detur. Et si ambabus adsit, aut neutri earum adsit, significanti relinquatur negotium, et si diligatur ab ea, illi cui consentit maritus proprius, detur: et si ambabus consentiant mariti earum, sive non consentiant, aut non coniugatae fuerint, uti illae duae meretrices, quae venerunt ad expetendum iudicium Salomonis initio regni eius; nutrici alteri detur, quae illam prolem educet, et ambae illae impendant pro mercede eius, et pro alimentis illius, donec adolescat, et cui voluerit adhaereat. Et manifestum est, quod ipse rex novitius eum iussit: amputate gladio enm puerum, qui vivus est, in duas partes, et date dimidium eius uni, et dimidium eius alteri, ad detegendam alienam, cuius viscera non commovebantur, meditatus id fuit. At non ita debet dirimi iudicium simile.

Et hic absolvimus librum directionum, et a Domino petimus, ut tam nobis, quam omnibus fratribus nostris fidelibus, antistitibus ecclesiae sanctae, det cor intelligens ad iudicandum populum eius, et definienda iudicia eius, et intelligendas leges eius. Amen.

Explicit

Liber directionum, et Deo gloria, qui virtutem dedit, et auxilium, et super nos misericordia eius in saecula saeculorum. Amen.

ECCLESIAE ARMENIACAE

CANONES SELECTI.

CANONES SANCTI GREGORII ARMENIORUM APOSTOLI (1).

Capitula XXX.

1. Sacerdos, qui peccatis turpibus se inquinaverit, per decem annos contritione cordis, ac lacrimis paenitentiam agat, et stipem pauperibus conferat, inde ad ecclesiam ascendat, et communicet.

2. Sacerdos, qui uxorem duxerit, per septem annos extra ecclesiam, per duos intra ipsam sit paenitens, nec per duos annos communicet: postea vero ad communionem admittatur.

3. Sacerdos, qui pecuniam suam in usurario foenore collocaverit, ab ecclesia expellatur.

4. Qui gentilium domos frequentaverint, ibique indiscriminatim cibum et potum sumpserint, per tres annos extra ecclesiam paenitentiam agant, postea vero communione digni putentur.

5. Si viduus virginem duxerit sibi uxorem, per duos annos extra, et per annum in communione ecclesiae paenitentiam agat.

6. Si quis dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, secunda relicta ad primam revertatur, ac per septem annos extra ecclesiam paenitentiam agat, insuperque per annum in communione ecclesiae.

7. Nemo in alieno praedio quicquam manducet: quod si hac in re deliquerit, tantum tribuat pauperibus, quantum manducaverit, et in posterum abstineat.

8. Si quis clandestinum matrimonium contraxerit, id quidem irritum esto.

9. Si quis concubinam veluti nxorem sibi duxerit, matrimonium id invalidum esto, et mulier nnbat cui ipsa voluerit.

10. Qui bestiam turpiter cognoverit, per tres annos extra, et per annum intra ecclesiam paenitentiam agat.

11. Molles per tres annos extra, et per annum intra ecclesiam paenitentiam agant.

12. Venefici per quinque annos extra, et per annnm intra ecclesiam, abunde quidem elemosynam largientes, paenitentiam agant.

13. Qui castitatem suam Deo promissam violaverit, per septem annos paenitentiam agat.

14. Parochi, aut sacerdotes, vel parentes puerorum, qui ob suam socordiam siverint mori pueros sine lavacro baptismatis, per septem annos extra, et per annum in communione ecclesiae paenitentiam agant.

15. Qui sepulchra cupiditatis causa reseraverit, per tres annos extra ecclesiam, et per annum in communione, paenitentiam agat.

16. Qui cadavera furatus fuerit, per quindecim annos extra, et per annum intra ecclesiam paenitentiam agat.

17. Qui planctum (mercenarium) faciunt super mortuos, et crines suos lacerant, vel frontes tundunt, sub anathemate sint vivi mortuique.

18. Non licet missas celebrare in illo loco, ubi reliquiae martyrum desunt.

19. Si homo christianus aspexerit (cum delectatione morosa) concubitum animalium, maxime humanum, anathema sit.

20. Canones vetant quominus anachoretae baptizent, populo sacram euchari-

(1) Natus est S. Gregorius, cognomento *illuminator*, circa annum Christi CCLVII. Hi vero eius canones, qui ecclesiasticam disciplinam populique mores spectant, habentur ab Armeniis veluti quoddam additamentum canonum viginti niceni concilii. Verumtamen de gregorianorum canonum authentia apud criticos Armenios disputatur.

stiam ministrent, matrimoniis adsistant: haec enim praepositorum officia sunt.

21. Si quis mortui testamentum irritum fecerit, atque contempserit, anathema sit.

22. Si quis sacerdos sigillum confessionis fregerit, privetur officio, atque gradu ministrorum, et peccata non confitentium ei attribuantur.

23. Liceat viro uxorem suam adulterii causa dimittere, sed is per annum a toro separetur (1).

24. Vir qui praetextu religionis uxorem dimiserit, anathema sit.

25. Si quis sacerdos, diaconus, vel clericus ebriatus fuerit, non audeat missam celebrare, vel alio munere suo fungi, antequam lacrimis, eleemosynisque paenitentiam egerit: ebrii enim veluti adulteri habeantur.

26. Si quis presbyter, vel laicus (propter res sacras) munera acceperint, maledictio Simonis magi veniat super eos, participes fiant muneris Iudae proditoris, et lepra Gezi adhaereat animis eorum.

27. Qui faciunt praestigia, per annum extra ecclesiam, et per alium intra, lacrimis et eleemosynis paenitentiam agant.

28. Oportet christianos sanctificare diem dominicam, orare in ea, et quiescere: quod si iuxta Iudaeorum mores fecerint, anathematizentur a Christo.

29. Presbyter, qui sine causa aliquem anathematizat, anathematizetur a Christo.

30. Virgo, quae se Deo dedicavit, vel monachus, non audeant matrimonio coniungi. Sin autem hoc fecisse inventi fuerint, excommunicentur, et offerantur episcopis locorum, ut iis, qui in tam humanam fragilitatem inciderint, opportuna remedia adhibeant.

CANONES MACARII HIEROSOLYMITANI (2).

Capitula IX.

1. Q. Licetne diaconis baptizare; et quid agendum, si quis baptizaverit?

R. Notum sit christophilae fraternitati vestrae, quod ius baptizandi tantum est episcopis, et sacerdotibus; diaconis autem minime id facere licet; sunt enim ministri (tantummodo), proptereaque ipsis id prohibitum est. Si autem mos obtinuerit in aliqua provincia ut diaconi baptizent, et eorum aliquis ignorans ecclesiae dispositiones, et provinciae illius secutus consuetudinem id fecerit, impunis esto; si vero haud per ignorantiam transgressus fuerit, poenas criminis subeat.

2. Q. Ubi, quando, et quomodo baptizandum?

R. Si templum habuerimus ad gloriam Dei erectum, et ad populum convocandum aptum, ibi baptisterium, et baptismi fons ponatur necesse est, et in ipso baptizentur ii qui ad veram Dei fidem veniunt. Si autem fontem sacrum non habuerimus, neque templum proximum, citra scelus baptizetur ubique. Quare si opus baptismo fuerit in aliquo loco, ubi templum non sit, neque fons sacer, tunc ob necessitatis causam baptismus etiam sine sacro fonte administrandus erit, ne dum baptismus petenti negatur, salus ministri negantis pessumdetur. Nam Spiritus sanctus rationem fontis non habet, sed iuxta petentis

(1) Immo vero ob vinculi perpetuitatem ab aliis nuptiis perpetuo abstineat. Est autem contraria doctrina (quam catholica ecclesia improbat) multorum graecorum et orientalium; sed eam tribuere sanctissimo Armeniorum illuminatori prorsus nolim, praesertim quia is fidem suam a Romanis hausit, ut ootissima historia tradit. Videsis quae de hac re, et de concilii tridentini canone analogo scribit Card. Pallavicinus lib. XXII. cap. 4. cum adnot. Iam vero etiamsi hi canones Armeniorum nonnullis vitiis erroribusque laborant, tamen eos divulgari quis sapiens iurisque sacri studiosus nolit? Profecto si huiusmodi metus nos opprimeret, canones quoque vulgo (non vere) apostolici propter haerentes aliquot errores supprimendi erant.

(2) Macarius Hierosolymorum episcopus canones hos saeculo quarto scripsisse ab Armeniis creditur, postulante Vartano ipsorum episcopo S. Gregorii illuminatoris filio. Ergo quaestiones Vartani videntur, responsa autem Macarii.

animum dat gratiam. Cupientes igitur, semper digni fiunt gratia Spiritus sancti: et non solum in festis principalibus baptizandum, sed aliis quoque diebus, iuxta morem apostolorum, qui non dominicis festis tantum baptizabant, sed quacumque die, prout necessitas postulabat, et ex aquae regenerantis lavacro filios ecclesiae procreabant. Tribus immersionibus in aquam sacri fontis, triduanam domini sepulturam repraesentamus, quod et divus apostolus palam indicat dicens: consepulti ei in baptismo similes simus morti eius, ut per novitatem etiam resurrectionis, participes ei fiamus in vita aeterna: et hac recta professione per manuum impositionem Spiritus sanctus datur ad nostram salutem, illuminans eos, qui ad adoptionem filiorum vocati sunt. Fide quoque ungimur oleo sanctitatis (chrismatis) per unaquaeque membra secundum ecclesiae dispositiones. Nunquam igitur recedamus a priscis constitutionibus, et legibus, ita ut omnia conficiamus iuxta doctrinas caelestes, quemadmodum edocti sumus ab angelorum choro, a patribus nempe spiritualibus, a discipulis videlicet sanctorum apostolorum.

3. Q. Quomodo ordines in ecclesia sancta servandi sunt?

R. Praepositi exerceant ministerium sibi proprium iuxta ordinem rei, ad cuius optimam providentiam vocati sunt; non inde intumescant superbia, sese sapientes esse existimantes, ne ob suam stultitiam in malum aliquod incidant; quamquam enim uno eodemque modo gratiam singuli acceperint ad fideles dirigendos, non omnium tamen aequalis est honor: cuius rei immensus Deus exemplum nobis praebuit, quando se exinanivit, licet gloriam suae maiestatis divinae non amisisset. Nam ipse vivificans Christus apostolis cunctis post resurrectionem apparens alios principes constituit in ordine, ex quorum exordio nunquam interrupta successio ad nos usque firmiter pervenit: unde et Paulus vetat invicem antecellere, dicens: unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

4. Quibus suppositis, en igitur simul cum clero meo, episcopis, sacerdotibus, et diaconis ego Macarius archiepiscopus huius sanctae civitatis Hierusalem trado vobis hos canones et constitutiones, edoctus ab apostolorum historiis, quae per patrum traditionem ad nos usque firmiter pervenerunt, et dico, quod impositio manuum, quae in baptismo fit, ab episcopis et presbyteris tantum fieri debet, uti supra diximus; quod sanctum chrisma ab archiepiscopo benedicendum sit; in aliquo vero necessitatis articulo, archiepiscopo permittente, duo vel tres episcopi simul convocati, diaconis inservientibus, benedicant: oleum vero mortuorum, infirmorum, et catechumenorum presbyteri, et episcopi seorsum benedicant. Haec omnia sancti patres statuerunt, et nemo audeat ea immutare, ne vinculo anathematis eorum devinctus a Dei consortio abscindatur.

5. Q. Quomodo ad sanctum altare accedendum est, et ad sacramentum vitae?

R. Nemo haesitans, nemo incredulus, nemo indignis operibus inquinatus, ad hunc immortalitatis calicem accedere audeat, ne Dei voluntatem ad iram provocet super universam terram; et ipse audiat quod dictum est "quare tu enarras institias „ meas? tu vero odisti disciplinam meam„ sed bonis cum operibus, veraque fide accedat, et illuminabitur, et per se ipsum aliorum salutem operetur.

6. Q. Quomodo sacramentum (missae) conficiendum est, et recta confessione profitendum salutare sacramentum corporis, et sanguinis Domini?

R. Oportet id conficere cum timore, et diligentia, rectaque confessione profiteri seorsum a schismaticis sacramenti tentatoribus; ne, cum prope Arianos simus, nomen Dei et veritas blasphemetur.

7. Q. Quomodo sanctae oblationes benedicendae sunt?

R. Proponatur in altari panis recens, et calix vini meri sine ulla admixtione,

iuxta apostolicam traditionem (1): quis non redimimur rebus corruptibilibus, sed incorruptibili sanguine, et corpore magni ac immaculati agni; quas oblationes diaconi tantum ponant super altare, presbyteri autem sacramentum conficiant.

8. Q. Quaenam esse debet forma altaris sacramenti, et quinam ordo cleri, et populi?

R. Altare propitiationis, ubi Spiritus sanctus descendere dignatur, velamento operiatur. Fons vero in eiusdem templi aedificio retro altare ad dexteram honorifice situs sit: unusquisque clericorum suo munere fungatur: populus extra velamen, catechumeni autem extra portas magna cum veneratione locum teneant, ne ob confusionem ordo perturbetur, sed unusquisque in suo loco ordinatim se contineat.

9. Hoc praeceptum fidei, et hunc ordinem ecclesiae trado vobis iuxta vestram petitionem, ac dissentientes anathematizamus, ne iniuria afficiamus gratiam, quam in manuum impositione ab alterutro accepimus; neque unumquemque ius habere existimamus, quasi aequales in iurisdictione, ecclesiastici ordinis permutandi; quapropter elatos homines, qui contraria cogitant, obiurgamus: sicuti fuit Durcus episcopus Bisanae et Vagravandini, qui aliquantulum cum Arianis communicavit, sed postea eum paenituit. Et profecto magna pertinacia est contrarium cogitare: nam cum episcopus vi ecclesiasticae hierarchiae sit subordinatus archiepiscopo, numquam decet illum se aequalem huic existimare, uti de Durco audivimus, donec per vocationem ad honorem sedis deveniat. Patres enim numquam docuerunt huiusmodi discrepantias introducere in ecclesiam. Talem hominem igitur oportet benigne ad obedientiam inducere: si autem persistat, vitandus est quasi corruptor. Salutat vos cuncta ecclesia nostra. Valete in Domino firma fide.

CANONES NERSETIS CATHOLICI (2), ET NERSCIABUBI EPISCOPI MAMICONENSIS.

1. Quod oportet ad ecclesiam oblationes deferre, non autem ad presbyterorum domos.

2. Quod non oportet munera presbyteros accipere pro s. missa.

3. Non dare officia ecclesiae more usurario.

4. Non vendere eadem aut mercedis nomine dare.

5. Bigamis non licere ecclesiae fructibus uti.

6. Diebus sabbati ac dominicis missam celebrare. Vinum profanum calici consecrato non admiscere (3).

7. Mulieribus baptizare non permittere.

8. Presbyteros iuxta ordinationis antiquitatem primam cathedram habere.

9. In ecclesia non recitare horas, sacerdote absente.

10. Clericum non induere sibi vestimenta laicorum.

11. Fructus ecclesiae dividere iuxta uniuscuiusque ordinis dignitatem.

12. Supellectilem, et oblationes ad archipresbyterum pertinere.

13. Domi baptismum non administrare,

(1) Canonem vel fictum vel interpolatum iudico ab Armeniis huius erroris tenacibus. Etenim apostolica traditio contrarium docet. Videsis canonum trullanum 32, cum eiusdem graecis ac latinis interpretibus; insuperque ea quae dicuntur in secunda disputatione Theoriani graeci cum Nerseta armenio a mai edita T. VI; denique Le-Brun explicat. Miss. T. I. p. 306. Interpolatum, inquam, vel fictum hunc Macarii hierosol. canonem idcirco praesertim iudico, quia trullani patres traditam a S. Iacobo Hierosolymorum primo antistite aquam cum vino admixtionem adfirmant.

(2) Titulus *catholici*, seu *generalis*, significat patriarcham supremum apud Armenios. Porro uterque tum Nerses tum Nersciabuhus vixerunt saeculo ecclesiae sexto; hique coacta in urbe Tevino synodo, sequentes canones communi consensu ediderunt.

(3) Quod faciebant impariti aliquot sacerdotes, dum deficiente multitudini sumentium consecrato vino, profanum superaddebant.

mulieres sacerdoti baptizanti non adstare.

14. Diaconos non baptizare.

15. Non accipere munus a paenitentibus.

16. Non patefacere verba confessionis.

17. Mortuos in ecclesia non sepelire.

18. Presbyteros usuram non accipere.

19. Particulas agapae non auferre.

20. Non ire ad missam, et ad eucharistiam sumendam, qui ieiunus non est.

21. Pueros matrimonio non coniungere.

22. Pecudes offerendas non deligere pro libito.

23. Ollas carnium non conservare.

24. Pecudes oblatas, vivas non recipere.

25. Ieiunium praecedens (1) non solvere.

26. Mane pervigilii nativitatis et paschatis eucharistiam non administrare. (2).

27. Laicos mandatum non dare presbyterorum ordini.

28. Presbyteros non emere argento ancillas.

29. Non admittere in monasterium mulierem administram.

30. Clericos in monasteriis hospitari.

31. Clericos non oportere equos alere, vel negotiari.

32. Sectariis hospitium non praebere. Singulis mensibus per unam hebdomadam ieiunare.

SEQUENTES QUOQUE CANONES
EDITI SUNT SUB NERSETE CATHOLICO,
ET NERSCIABUHO MAMIGONENSI EPISCOPO.

1. Caveant presbyteri ne populum oblationum causa conturbent vel fructuum sanctae ecclesiae: nam male aliqui ausi sunt temere ac sceleste panem altaris in propriam domum deferre, et vetare populo, quominus cum ad ecclesiam, ubi benedicendus erat, deferrent.

2. Quamobrem in templo sancto tumultus ac vulnera fuere, quae nos ipsi vidimus: contra vero oportebat sacramentum missae cum timore ac tremore conficere, non autem per ingluviem atque avaritiam sanctum sacramentum depretiare. Presbyteri privarunt etiam clericos oblationibus, quae inter eos dividebantur, ut ab eis munera pro sancta missa acciperent.

3. Alii ad usuram pecuniam suam dederunt.

4. Alii autem proximos suos quasi servos vendiderunt; alii demum nefanda impietate suis viribus freti mercedes tribuerunt mulieribus suis. Hac de causa et populus sine benedictione panem missae sumpsit, noluitque hunc in domos suos deferri a presbyteris, ministris, ac missae oblatoribus; sed sibi compararunt bigamos, indoctos, et dies suos festos celebrare sibi bene visi sunt imperfecta benedictione: quapropter indignis istis operibus peccaverunt, eo quod per insanam avaritiam privantes ministros altaris Dei pane oblationis, privati et ipsi fuere Dei benedictione. Quae cum ita sint, iubemus, atque statuimus, ut sacerdotes ac laici in posterum abstineant ab huiusmodi infanda ac mortifera consuetudine.

5. Bigami autem, sive lectores ipsi sint sive ministri, inter laicos locum habeant, si forte deliquerint; et ex ecclesiae sanctae fructibus ac beneficiis nullam partem recipiant: non enim licet eos, qui paenitentiam agunt, praeesse, ac simul cum presbyteris fructus, vel oblationes sibi vindicare. Sic etiam indocti non audeant sibi sumere fructus sanctae ecclesiae; nam et ob matrimonium irregulares facti sunt; ideo inter laicos locum habeant, et patrias terras et aquas tueantur, censum dent regi, liberosque suos ad scholam mittant, ut ibi erudiantur.

6. Sacerdotes non audeant diebus sabbati ac dominicis missam omittere, uti vidimus plurimis in locis: recte tamen missam celebrent, ordine suo canentes psalmos, prophetias, epistolas, ac evangelia. Insuper et calicem sanctae eucharistiae non audeant denegare pretextu paupertatis,

(1) Nempe quod Armenii tribus ante quadragesimam hebdomadis observant.

(2) Quia nimirum Armenii utraque hac die nonnisi sub vesperam rem sacram faciunt.

uti multis in locis id fieri experti fuimus, ab illis qui nullam rationem salutis animarum habebant. Desinant posthac talia facere, et solliciti sint, ac iugiter, et necessario conficiant sanctum sacramentum cum omni vigilantia, ne tamquam rei a Deo puniantur, ac poenam luant.

7. Et ex sancto calice cum timore dent populo; et ea, quae oblata non sunt, non admisceant, ne condemnentur: neque audeant pigrescere in domibus suis diebus dominicis, ac festis, et missam non celebrare, ac ceteris muneribus suis non fungi; qui autem ita se gessisse comperti fuerint, corripiantur, et totius illius diei fructibus priventur, qui fructus inter diligentes collegas eorum distribuantur, sive sacerdotes, sive clerici ipsi sint. Et quidquid opus sit sancto altari, de pecunia sanctae ecclesiae suppeditetur eis, biblia sacra nempe continentia prophetas, apostolos, ac evangelia, et cetera supellex, quae ad altare pertinet. Et velamen ecclesiae nemo audeat in posterum mittere ad domos sponsorum vel sponsarum ob conopeum instruendum; quod si aliquem id fecisse deprehensum fuerit, si sacerdos, ordine deponatur, si clericus excommunicetur.

8. Non sine molestia ad aures nostras pervenit, quod presbyteri quibusdam in locis baptismum per se non conficiant, sed tantum benedicant, ut mulierculis parvulos tradant, iubeantque in domibus suis baptizare; ideoque invisibili supplicio puniti fuere. Nunc vero si quis huiusmodi criminis reus inveniatur, omnino privetur ordine sacerdotali una cum tota domo sua.

9. Presbyteri inter se de prima sede non disceptent; quem enim gratia Dei prius in sacerdotem sibi elegit, ille et primam habere in ecclesia cathedram debet.

10. Clerici, presbytero absente, non audeant in ecclesia officium divinum celebrare.

11. Neque vestimenta laicorum sibi induentes in ordine ministrorum sedere; sed inter laicos accumbant: nam oportet in habitu ecclesiastico sui ordinis incedere iuxta sacerdotalem morem.

12. Presbyteri caveant excitare laicos ut se in res ecclesiae interponant, vel fructus et proventus sanctae ecclesiae clericis distribuant, nam inde rixae oriuntur et multa mala: sed ipsi laici fructus, et proventus unanimiter, libenter, ac iugiter tribuant sanctae ecclesiae, quos etiam sacerdotes ab ecclesia accipiant, et distribuant unicuique iuxta ordinem, uti mos est. Primariis presbyteris duas partes cum dimidia, unam cum dimidia diaconis, unam cum quadrante clericis, et unam partem viduis, siquidem modestae sint: hi singuli sine ulla controversia propriam portionem accipiant: sin autem aliquis eorum discordiam, vel rixas commoverit, de ordine suo deponatur; et collegae eius non audeant cum ipso communicare, neque laici eumdem ut sacerdotem, si sit sacerdos, habeant.

13. Oblationes, vota, et supellex sanctae ecclesiae domi archipresbyteri custodiantur, uti antea constitutum fuit; et ipse archipresbyter non audeat ecclesiam deserere, et domesticis rebus vacare: sed assidue in ecclesia habitet, et officia divina, ac preces diurnas, et nocturnas non omittat. Ceteri vero collegae aestivo tempore vicissim adsistant sine ulla negligentia: si vero aliquis ob ignaviam, vel negotiis saecularibus vacans, officia sua deserat, hic ex fructibus ecclesiae nullam partem habeat. Presbyteri unanimiter pascant populum; et illos, qui obedientiam sibi non praestant, ab ecclesia sancta separent.

14. Sacramentum baptismi nemo audeat utcumque conferre, caerimoniis omissis, uti audivimus, sed id conficiant omni veneratione, ac diligentia, cum turibulis, luminibus, ac velamentis expansis (tabernaculis expansis), uti decet sacrum lavacrum, quod sit statutum in ecclesia, vel in baptisterio: et hoc lavacrum aut lapideum, aut alia quaecumque materia confectum, habeat sufficientem latitudinem, et altitudinem, ita ut aqua infantis baptizandi staturam contegat. Laicorum do-

mi non audeat presbyter hoc sacramentum conferre, excepto mortis periculo.

15. Mulieres non audeant sacerdoti baptizanti operam praestare, uti audivimus eas diaconorum munere fungi; ipsae igitur in sola stationibus maneant, diaconi autem sacerdoti inserviant.

16. Valde quidem caveant diaconi, ne forte audacter baptismum administrent ad perditionem.

17. Sacerdotes non audeant sacramentum paenitentiae nundinari; sed omni sollicitudine ac doctrina admoneant paenitentes tamquam proximos, ut *aeternae* vitae consulant; neve ab eis mercedem accipiant publici stipendii instar; gratis enim accepimus, et gratis damus.

18. Si quis sacerdos peccata confitentium patefecerit, excommunicatus deponatur, et omnino deleatur ex ordine sacerdotali.

19. Non audeant mortuos in ecclesia sepelire: sin autem aliquis id fecisse inventus fuerit, in ea ecclesia nemo audeat missam celebrare, donec locus expiatus sit.

20. Presbyteri numquam audeant pecunias suas ad usuram dare: nam audiverunt ex scriptura usurarios odio haberi: ebrietatem fugiant, memores eorum quae de ebriosis dicta sunt.

21. Presbyteri non auferant partes agapae, sed statim coram iis, qui agapas faciunt, pauperibus tradant, iuxta s. canonem.

22. Qui ad sacram mensam vocati sunt laici non audeant prius domi gulose cibum sumere praetextu advenae, vel procuratoris. Sin autem aliquis manducaverit, ad sacram mensam non audeat accedere; et presbyteri, et laici talem hominem curent ad mensam minime admittere; haec enim improbitas est, et malae conscientia animae: si vero aliquis vi accesserit, sacerdotes discedant, et panem benedicere numquam audeant.

23. Presbyteri non audeant infantium nuptiis benedicere, neque adultorum, nisi prius uterque inter se videant, et assensum praebeant; nam ex huiusmodi nuptiis mortifera mala orta sunt: ideo et laici huiusmodi nuptias non audeant contrahere; nam ipsis detrimento sunt.

24. Non oportet virgines cum viduis matrimonio coniungere, neque viduos cum virginibus, nam dissimiles sunt inter se.

25. Nemo audeat pecudes offerendas eligere pro suo libito.

26. Presbyteri non audeant ire ad domos ob benedicendam ollam; hoc enim turpis lucri speciem prae se fert; nam sancta missa iam benedixit armento et pecudibus.

27. Presbyteri non audeant pecudes oblatas domi vivas conservare; haec enim avaritia est; contra vero impietas est domum oblatione carentem relinquere. Laici igitur non audeant pecudes vivas ei praebere, sed per se in domibus suis iugulent, ut benedictione sanctae oblationis digni sint et propter impensas, et propter laborem.

28. Nemo audeat frangere ieiunium in sancta quadragesima vel in praecedentibus eius hebdomadis, iuxta sanctos canones: si quis autem aut sacerdos aut laicus praetextu advenarum, vel procuratorum non ieiunarit, non audeat ad ecclesiam intrare, donec paenitentiam egerit, pauperibus eleemosynam largiens.

29. Die vero magni sabbati horis antemeridianis nemo eucharistiam sumat sive operarius ipse sit, sive puer, sive etiam grandaevus: si autem aliquis ob corporis debilitatem eam sumpserit, non audeat iusculum, neque vinum degustare usque ad illam horam, qua sancta missa conficietur.

30. Laici caveant contra mandatum presbyterorum aliud praeceptum indicere: nam ipsi sunt praepositi vestri, vos autem fratres eorum sub eorundem directione positi; ergo non decet resistere illis; potestatem enim habent ligandi atque solvendi.

31. Presbyteri caveant ab ebrietate, comessationibus vacare, ancillas possidere, aut in meretricum lustris turpia committere, quae leges vetant. Monachi, qui in

suburbanis habitant, orationibus ac ieiuniis sese muniant, strenue hospitalitatem colant, et quidquid Deus ipsis suppeditaverit, eo contenti sint quasi Christi milites.

32. Caveant omnino, quod fieri audivimus, mulieres in monasterium admittere ad ministerium aliquod obeundom, nempe pistrinum exercendum, vaccas mulgendas, lac in situla agitandum: nam si mulier ibi etiam quo aditus erat praestructos, tamen virum subvertit, quid fiet si cum ipsis viris habitaverit?

33. Et qui in eremis habitant sacrati (monachi) ante solis occasum ad proprium monasterium revertantur, et post solis ortum (ad negotia obeunda) eant, ne forte in errorem aliquem incidant.

34. Monachi, et alumni monasteriorum non audeant hospitari nisi apud monasteria; ubi autem monasteria non sunt, domum archipresbyteri incolant; nam eis non licet apud alios diversari.

35. Alii quidem equos possident, mercaturam faciunt, usuram exercent, et loco status monastici cupiditati serviunt acquirendarum possessionum. Hi demum desinant a peccatis, quae commiserunt; secus poenam criminis subeant.

36. Caveant omnino sectariis hospitium praebere, nam hoc vetant canones apostolici.

37. Quidquid tandem mandati tradidimus vobis, id ut perficiatis satagite cum timore Dei, magnam relatori remunerationem. Praecipitur autem vobis singulis mensibus per unam hebdomadam precibus vacare, ut a Deo valetudinem corporis postuletis.

CANONES ISAACI ARMENIORUM CATHOLICI (1).

Capitula LIII.

1. De chorepiscopis ordinandis qui sint litterarum studiosi.

2. De sancto altari iugiter adornando.

3. De recitando semper divino officio.

4. De chorepiscopis inspectoribus.

5. De chorepiscopis quod ii post synodi solutionem ad visitationem ire debeant.

6. De presbyteris, et clericis.

7. De ebriosis, et rixantibus.

8. De non ordinandis spuriis, et bigamis.

9. De chorepiscopo; quod is cum timore praecipere debeat.

10. De scholis in monasteriis.

11. De chorepiscopis, qui turpibus lucris inserviunt.

12. De presbyteris, monachis, et plebe laicali.

13. De vitandis vituperationibus.

14. De archipresbytero; quod is assidue in ecclesia manere debeat.

15. De baptismo conficiendo cum omni veneratione.

16. De diacono, qui baptizat.

17. Quod supellectilem, oblationes etc. domi archipresbyteri conservari debeant.

18. Quod archipresbytero maiora quam ceteris emolumenta conferenda sint.

19. De oleo catechumenorum.

20. De ecclesiae supellectile, quae occasione nuptiarum commodatur.

21. De presbyteris paedagogis.

22. De indoctis, et bigamis.

23. De presbyteris, qui mortuos in ecclesiis sepeliunt.

24. De presbyteris, qui s. eucharistiam ad laicorum domos deferunt.

25. De docendo populo.

26. De non benedicendis nuptiis puerorum.

27. De presbyterorum audacia.

28. De presbyterorum concordia.

29. De laicis ad agapas vocatis.

30. De iis, qui ignoranter peccant.

31. De fructibus, et oblationibus.

32. De vitanda in epulis funebribus ebrietate.

33. De presbyteris; quod ii admonere debeant impios.

34. De monachis.

(1) Isaacus parthus, cognomento magnus, Armeniorum patriarcha, saeculo quarto cognoscebatur.

ISAACI ARCHIEPISCOPI (1) DE CHOREPISCOPIS, ET QUOMODO DEBEANT INVIOLABILITER SERVARE ORDINES IN ECCLESIA.

Capitulo LV.

1. Superius dictum est a nobis, quod sanctis, piis, ac virtute praestantibus viris tradere honorem ordinis huius ministerii oporteat; quorum mens munda sit a cupiditate pecuniae, et manus a foenoribus; qui eruditi sint, et Deum timentes; istis, inquam, qui idonei sint ad alios quoque erudiendos, tradere oportet ecclesias, ut eas assidua cura illustres reddant, moribus Deo placentibus praeditas, timentes Deum, pias, ac obedientes omnibus bonis exhortationibus.

2. Et templa orationis, in quibus erectum est sanctum et Deum continens altare, supra quod vivificans, ac omne nefas eluens sacramentum corporis, et sanguinis Servatoris nostri, ac Domini perficitur, pro facultatibus decenter ornata teneant, continua ablutione, et oblatione thuris; et circummunita sint parietibus, ibidemque et locum baptisterii deligant per singulos pagos, uti mos est; ac ibi baptismi lavacrum faciant, quod regenerans nos ex Spiritu sancto, iterum efficit filios lucis; quamobrem magno honore ac veneratione illud prosequi debemus.

3. Ordo autem officii divini sine ulla intermissione diu noctuque celebretur, iuxta exemplum metropolitanorum archiepiscoporum; nam non omnibus licet, neque ius est ordines divini officii, vel caerimonias permutandi, vel novitates introducendi, sed perpetuo in ipsis permanere debent.

4. Chorepiscopos igitur inspectores oportet hanc normam per omnes ecclesias docere, et illos, qui neglexerint, vel ordini non obtemperaverint, coram omnibus arguere, et increpare, ut ceteri timore percellantur.

5. Etiam oportet ac decet, chorepiscopos singulis annis, cum synodus solvitur, iuxta canonicas constitutiones, circumire ecclesias sibi creditas, et examinare mores, ac ministeria, et officia divina, et videre quomodo negotium fidei, morumque se habeat: oportet etiam rationem reposcere a presbyteris, et diaconis circa tempora praedicationis et orationis; a baptizantibus autem quomodo se in baptizando gerant; ab oblatoribus tremendi sacrificii, an cunctas caerimonias adhibeant, ut omnis diligenter, sponte, reverenter, ac firmiter teneant. Et si quis horum traditionum observationem neglexisse inventus fuerit, acriter puniatur, quicumque ipse sit, et ordine suo privetur, donec episcopus ipsius reconcilietur cum eo.

(1) Idem est patriarcha qui supra.

6. In his vero ministeriis non solum presbyteri ac diaconi, sed clerici quoque perseverare debent, quorum si quis piger, vel negligens inventus fuerit, eamdem poenam subeat. Indoctos vero, et laicos omnino extrudere debemus, neque eos ad participationem admittere fructuum, vel oblationum, quas populus tribuit domo Dei, usque dum vel ipsi, vel eorum filii erudiantur, et dignos se reddant.

7. Pari modo oportet ebriosos, et rixantes segregare, donec ad paenitentiam, et rectitudinem deveniant, iuxta mentem praepositi.

8. Spurii autem, et bigami usque ad tertiam generationem, iuxta canones, amoveantur ab ordine, et a fructibus ecclesiae, ut pius, sanctus, et immaculatus sit ordo ministrorum Dei, idemque sit ornatus vera fide, et bonis operibus, sitque desiderabilis, et pretiosus apud omnes, eiusmodi esse oportet ministros Dei. Nam si levitarum gens tale mandatum accepit ministerii tantummodo gratia, quanto magis nostrum novae legis ministerium erit diligentia dignum, iuxta Pauli testimonium?

9. Haec omnia tandem chorepiscopus inspector cum timore ac tremore praecipiat, et illos, qui idonei sunt, et integerrimis imbuti moribus, officio et honore dignos reddat; inutiles vero poenis afficiat, praesertim litterarum osores: qui enim renuit discere, iuxta illud, quod scriptum est, in malum incidit.

10. Quamobrem necesse est continuo scholas ornatas constituere in monasteriis, et in aliis locis decentibus, ubi clerici illuminati lumine mandatorum Dei, ceteros homines illuminent. Si enim clerus, qui caput est ecclesiae, praeluceat bonis exemplis, sitque observantissimus, ac integerrimus, ita erit et populus. Nam si quis ex populo in via virtutis aliquid neglexisse inventus fuerit, facilius erit ad rectam semitam illum inducere. De hac etiam re non minorem esse convenit sollicitudinem chorepiscopi, ideoque debet visitare, et vigilare super mores populi, et pro opportunitate ei ieiunia, ac orationes indicere, laetitia populum afficere, per doctrinam sacram scripturarum peccatores lucrari, eosque docere exercitium, et observationem immaculatae fidei, et admonere ut caveant, et devitent schismata, et opera incestuosa. Nam animus episcopi, cum hoc ministerium ipsis (chorepiscopis) tradebat, hic erat, ut, iis adiuvantibus, magnifice quidem cunctis ecclesiae rebus provideret, iuxta exemplum magni prophetae Moysis, qui constituit praefectos, ut examinarent, et iudicarent populum, quidquid autem maioris momenti fuisset, ad se referrent. Si vero ipse praecaveat, et iuxta propheticum oraculum annuntiaverit populo terrae, quod ecce gladius venit; hic autem converti ad Deum neglexerit; ipse quidem in iniquitate sua morietur, sacerdos autem animam suam liberabit.

11. Contra si turpibus lucris inserviet, et avare proventibus tantum studeat, cumulandique auri et argenti cupiditate distractus, canonicas leges negligat et obliviscatur, quas adamussim, ac inviolabiliter exercere oportebat; et omnino deserat curam ac conservationem doctrinarum, tunc superveniens gladius disperdet eiusmodi homines, qui tamquam rei audient sententiam Domini iudicantis "sanguinem autem eorum de manu eius requiram„. Quamobrem admonet apostolus ut vigilemus, et sobrii simus. "Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere populum Dei, quem acquisivit sanguine suo„. Inde remunerationem operis subiungit, dicens, "ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiaut immarcescibilem gloriae coronam„. Declinemus igitur nos omnes, et fugiamus malum, ac innocentiam colamus, vitamque nostram iuxta Dei voluntatem docamos, quo nobismetipsis, et aliis multis esse possimus saluti, atque firma animi fiducia dicere: ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus. Per gratiam, et humanitatem Domini nostri, ac Salvatoris Iesu Christi.

12. Ordo presbyterorum erga laicos, ac

eorumdem laicorum obedientia, et rectus ordo erga presbyteros.

SERMO PRIMUS.

Dilectissimis fratribus presbyteris, et monachis notum sit, quod multis in locis laici coram nobis questi sunt, dicentes: sacerdotes negligenter ecclesiae ministeria obire, ordinem divini officii, orationis, curam populi, et cetera necessaria, praesertim doctrinarum studia, negligere. Item dicunt laici, ipsos sacerdotes esse ignorantes, ac filios suos ad scholam non mittere, qui propter ignorantiam digni sacerdotio non fiunt; quod nobis iniuriae, et dolori est, atque his propter illos caremus; scientia utique et consolatione sacrarum litterarum omnino expertes sumus.

De hoc, quod ab ipsis audivimus, nos ipsi certiores facti sumus, ac maximum maerorem animo nostro contraximus: nam multis in locis neminem invenimus sacerdotio dignum, et ob eorum ignorantiam populum vidimus inscitiae tenebris involutum: nos autem ea re perturbati ipsos ad presbyteratum admittere non potuimus: repulimus igitur illos, et sortem eorum viris optimis, ac doctis tradidimus. Nam si vos, iuxta nostrum quotidianum ad vos mandatum, quod per litteras ac verba coram universo ecclesiae ordine tradidimus vobis, obtemperavissetis, ut oportebat, et si tales populi adversus vos querelae ad nos usque non pervenissent, et vos ipsos tot defectibus obnoxios non vidissemus, et nunc tot molestiis, ac paenitentia non afficeremus, atque proventus et oblationes ecclesiae, quas a populo accipiebatis, vobis concessissemus. Nam idem ipse gradus vester ad scientiam intendit, ut optime rebus ecclesiae consulatis, et populum omni spirituali timore, ut recte, ac obedienter agat, admonestis.

13. Tollite igitur aliquando a vobis huiusmodi vituperationes; filios vestros ad scholam mittite, ut ibi erudiantur. Scitote quidem, quod uti caecitas oculorum dehonestatio est corporis, ita pariter inscientia animi, maximo presbyterorum, est abominatio apud Deum. Audite prophetam. Vosmetipsos vere exemplum praebete populo, omni cum gravitate ac diligentia orationibus et ieiuniis vacate, numquam vero ab his desinite.

14. Aestivo tempore archipresbyter in ecclesia perseveret, ceteri vero sodales per hebdomadas mutuo adsistant, ut officia dici et noctis non omittantur; nam in his situm est munus animarum curae, et honor.

15. Sacramentum baptismi omni cum veneratione administrandum est. Mulieres non audeant consistere apud presbyterum baptizantem, uti aliquae ausae sunt, sed in suis sedibus maneant orationibus vacantes.

16. Diaconi vero non audeant umquam baptizare: quod si hoc fecerint, de ordine suo deponantur, et poenam criminis luant; nam diaconus non est sacerdos, sed sacerdotis minister.

17. Totius populi oblationes domum archipresbyteri deferantur; nemo autem ex presbyteris, vel eorum sodalibus, oblationes domos suas deferre audeat: si quis vero hoc fecisse inventus fuerit, sive sacerdotes ipsi sint, sive seniores, puniantur: sciant etiam nos fore remuneratores eorum, si mandatis obtemperaverint.

18. Archipresbyter propter diuturnam suam in ecclesia moram ac ministerium, si castellum amplum fuerit, duas domos ultra, quam habent collegae eius, habeat.

19. Singulis annis ex omnibus locis nostrae iurisdictionis presbyteri post sanctum pascha omnino ad nos deferant oleum catechumenorum, ut a nobis accipiant oleum benedictum. Nequaquam autem quis domi suae per se benedicat, uti aliqui ignoranter consueverunt; ius enim olei benedicendi non est presbyteris, sed est id episcoporum munus.

20. Audivimus insuper presbyteros ecclesiae supellectilem, praesertim velum, nuptiis ad thalamum sponsorum tegendum, et calicem ad vinum sumendum, laicis commodare. Ob huiusmodi execrandum,

ac nefandum facinus talem presbyterum oportet a gradu suo penitus extrudere, ut nihil huiusmodi quisquam posthac audeat facere. Si igitur aliquis hoc fecisse inventus fuerit, de sacerdotio sine ulla quacumque venia deponatur.

21. Presbyteri non audeant laicorum domi paedagogiam exercere, vel aliis administrationibus vacare; his enim rebus molestia, et iniuria affecerunt coheredes suos: si vero aliquis hoc facere ausus fuerit, de gradu suo deponatur, et ius in populum non habeat, neque ad beneficia ecclesiae: collegae autem eius non audeant cum illo communicare, et laici talem hominem presbyterum existimare.

22. Presbyteri indocti non audeant populo praeesse: bigami vero cum laicis sint omnino segregati ab ecclesiasticis hominibus, et ab ecclesiae fructibus, quia corporis amatores fuere.

23. Detestabilis mos inter sacerdotes, et eorum uxores viguit, ut sepeliri se in ecclesiis curent. In posterum nemo audeat id facere; sed in coemeterio laicorum extra ecclesiam, sint etiam sepulchra sacerdotum, ut loco sancto omnis veneratio habeatur.

24. Presbyteri extra ecclesiam non audeant eucharistiam ad laicorum domos deferre, ibique illis sacrum panem impertiri, excepto infirmitatis casu.

25. Docete populum vitare omne malum, ingluviem nempe, ebrietatem, dissidia; iniuriam pauperibus, et proximis suis non facere; non rixari, non percutere, non male velle: abominari adulteros, fures, fornicarios, latrones: omnino cum istis non communicare, neque eos hospitio excipere, ne ipsi quoque similes eorum perditionis filii evadant. Doceant liberos suos timorem, et mandata Dei, ut tali doctrina imbuti optimam spem animarum suarum operentur, impetrantes a Deo omnem corporalem quoque valetudinem.

26. Praecipite populo, pueris feminas non desponsare, neque adultis, priusquam invicem inter se videant, et consentiant. Vos autem, presbyteri, infantium nuptiis numquam benedicite, donec ad aptam aetatem pertingant: adultorum vero, qui se invicem non viderint, et consenserint, nuptiis non audeatis benedicere, priusquam eos examinetis interrogantes ipsos; ne forte vi parentum inviti in id consenserint: talibus ergo nuptiis non audeatis adsistere: nam ex huiusmodi perversitate tot mala in mundo exorta sunt, quae spiritum atque corpus pessum dederunt.

27. Si vero presbyterum contra mandatum nostrum talibus nuptiis benedixisse cognoverimus; sciant quod presbyter iste poenam maleficii sui referet; nec ipsi quidem parentes poenam effugient.

28. Presbyteri unanimiter celebrent officia divina, et missam agapae. Nemo presbyterorum audeat sine evangelii lectione missam offerre. Si quis ante missam cibum sumpsisse inventus fuerit, non audeat ad panem missae accedere, et a collegis suis segregetur.

29. Ita pariter et principes, qui ad agapas sunt vocati, oportet divino officio, et missae communicare. Ante missam non audeant in domibus suis cibum, vel potum sumere; si autem aliquis prius domi cibum, vel potum sumpsisse inventus fuerit, non audeat ire ad panem missae, ne sibi damnationem operetur, ac ignominia sanctum festum afficiat; haec enim luxuria est. Si quis ausit id facere, archipresbyteri eiiciant eum foras, nam odio habet ecclesia hanc impietatem.

30. Laici consneverunt ignoranter peccare dividentes inter se cum presbyteris pellem et adipem oblationis, quas res praetextu monasteriorum (invandorum) domos suas deferunt. Posthinc nemo audeat id facere: si autem aliquis distribuere vellet, presbyter oblationem non offerat, ne communicet peccatis eorum; nam pars illa non est apta iis, qui oblationem faciunt.

31. Laici omni cura et sollicitudine, iuxta maiorum constitutiones tribuant ecclesiis fructus, et oblationes cunctas voti, paschatis, agaparum, et aliarum sollemnitatum; non denegent huiusmodi oblationes, quae propter salutem animarum

et corporum fiunt, ne hac utilitate privent animas viventium. Si vero aliquis ob animi perversitatem a parocho suo alienatus extra ecclesiam suam apud monasteria, vel eremos fructus et oblationes suas deposuerit, ipse quidem et acceptores earum priventur benedictione collegarum una cum familia sua, quoad eos paeniteat, et mulctam ab ecclesia patiantur; namque eo crimine facti sunt praevaricatores, et Deo adversarii.

32. In funeribus vetantur convivia, et vini potio: nemo super mortuos planctum (mercenarium) faciat: nam cuncti huiusmodi actus diabolici sunt. Sin autem aliquis inventus fuerit, qui obedientiam non praestiterit, paenitentiam ad ianuam sanctae ecclesiae subeat.

33. Presbyteri unanimiter dent operam delinquentes ab ecclesia expellendo: in his vero agendis sibi invicem superbia ac pervicacia non contradicant, neque contemnant, sed pax sit inter vos semper, dilectissimi cooperatores.

34. Admoneo et vos omnes, pii monachi, quoniam mundi consortio renuntiastis, ac Domino divinisque rebus vacatis, admoneo vos, inquam, ut nomen vestrum professioni conveniat: pietatem officiosam colite, angelicos mores vigilanter sectamini, hospitalitati charitatique fraternae indulgete.

EIUSDEM ISAACI
QUOMODO CONSTITUTUS SIT ORDO CLERI.

SERMO SECUNDUS.

35. Quoniam quidem multi ignorantia abrepti aliud quidem ecclesiam, aliud autem monasterium existimarunt, et insipientibus verbis conati sunt rixas, ac schismata in unitatem fidei inducere; nos equidem, ne Christi fideles ultro decipiantur, imaginem verae ecclesiae exponendam iudicamus ex divinis scripturis; ii enim obliti sunt effatum (Pauli) dicentis "unus Dominus, una fides, unum baptisma," quae dum aliquis dividit, fidem dividere videtur. Enimvero divinum effatum dum ecclesiam nobis indicat, non intelligit illam confectam ex lapidibus, et lignis, sed coetum hominum fide aedificatum supra firmam petram. Vera ergo illa fides, est ecclesia, quae colligit nos, et aedificat in unam unitatem scientiae filii Dei. Idem ipse enim vivificans (Christus) nos docet cum ait Petro: tu es petra, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus te. Quid igitur intelligendum nobis est dum petram audivimus vocari Petrum (1)? Num quasi aliquam petram? Absit. Sed hominem rationalem, apostolici chori principem. Ipse vero, quia inconcussa fide Christum filium Dei confessus est, beatitudinem acquisivit, ac petra vocatus est. Ergo qui super eum aedificati sunt, non quidem petrae insensiles sunt, sed homines eiusdem fidei participes. Scripturae etiam crebro pro rei necessitate Dominum nostrum Servatorem hoc nomine appellant. Ecce autem beatus Paulus denotat nobis nomen ecclesiae, cum dicit: et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, et cetera quae sequuntur. Videsne nunc concordiam, ac maiestatem ecclesiae, nempe sanctae et immaculatae fidei? Cuius apostoli, prophetae, et doctores sunt naucleri, qui quidem habent ducem Deum verbum incarnatum; et hanc vere confitemur dicentes ecclesiam matrem Christifidelium. Ecclesia enim, navis instar, cunctos homines sinu suo continere, atque a stridentibus multiformiter procellis tutos protinus reddere potest, dummodo immaculatam conservent fidem illam, in qua aedificati sunt. Rationabilis ac intelligibilis ecclesia nitur fundamentis apostolorum et prophetarum. Hanc ecclesiam beatus Paulus monet Timotheum consulere, vocans eam columnam, et fir-

(1) Notemus armeniacas ecclesias sententiam, et evangelici dicti magis genuinam interpretationem; secus ac graeci nonnulli auctores opinati sunt, nempe *petram* intelligendam esse ecclesiam.

mamentum veritatis; in ea enim, inquit, manifestatur pietatis sacramentum; et revera quidem numquam possunt inanimatae et irrationabiles creaturae manifestare pietatis sacramentum, sed tantum ecclesia rationabilis. Hac de causa et regius psalmista vociferatur: "laus eius in ecclesia sanctorum„. Idem etiam propheta Samuel, qui fidelis vocatus est, docuit quando praecepit Sauli: "quum abieris a me, obvium habebis gregem prophetarum prophetantium. Insuper„: "et congregatus est populus, quasi vir unus de Dan usque Bersabee„. Et cuneus (ecclesia) prophetarum vaticinantium, et Samuel sedens inter eos. Et benedixit Salomon universae ecclesiae. Pervenit autem sermo ad aures ecclesiae. Et ecclesiae quidem confirmabantur fide. Et audisti haec praecepta de medio ignis in die ecclesiae. Et audisti verba illius de medio ignis, quando concio populi congregata est. Et fecit Moyses prophetarum dux, ut Dominus imperaverat dicens, et ἐκκλησιάσῃς congregabis omnem coetum Israel ad ostium tabernaculi Dei. Intelligisne, quod non tabernaculum, in quo erat arca testamenti, neque alterum tabernaculum, quod sancta sanctorum dicitur, ecclesiae nomine appellat, sed potius fidelem populum? Quamobrem et apostolus Paulus praestantissime ac mirifice, inauditisque verbis utitur, ubi docet ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt non in terris, sed in caelis, quorum nomina scripta sunt in libro vitae. Vides nunc verum ecclesiae fundamentum? Hoc sensu et Christus apostolos ad gaudium hortatur dicens: "gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in libro vitae eternae„. Ipse quidem Christus coepit aedificare in terria (ecclesiam) quae transitura est, ac finem aedificio utiliter in altitudine caelorum posuit: hoc autem est sacramentum ecclesiae. Hanc edocti sumus vocare catholicam, apostolicam ecclesiam, nam in universo orbe terrarum degentes Christi fideles apostolica ecclesia vocantur vi illius dominici effati ad apostolos: "euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos omnia quaecumque mandavi vobis„.

36. Quamquam igitur nonnulla, quae in divinis scripturis copiose quidem inveniuntur, exempla ad sanctam ecclesiam demonstrandam breviter hic retulerimus, satis tamen arbitramur, manifeste apparere indissolubilem unitatem, quam aliqui insania sua, ac inconsiderate scindere voluerunt, rixasque in ea excitare. Nam a vero Christi grege, quae ecclesia Dei est, ipsi tantummodo separati ac divisi sunt, qui ad schismata ruunt, et peccati ministri sunt; peccata enim separant, et alienant a Deo. Cum vero hoc diximus, summam ecclesiae unitatem palam fecimus, et ostendimus quid sit ecclesia: verumtamen numquam docere voluimus aedificium (materialis templi) esse contemnendum. Immo potius honoranda sunt loca illa, quae synagogae dicuntur; nam in eis congregantur presbyteri, clerici, et ministri Dei ad orationes, et preces fundendas, ideoque vocantur etiam oratoria, atque sanctuaria; in eis erectum quoque est dominicale altare, super quod panem et vinum offerimus, quae exhibent vivificans corpus, cum sanguine Christi, quod continuo inconsummabiliter distribuitur nobis in remissionem peccatorum: in iisdem insuper erectus est baptismi fons, quo illuminati regeneratione Spiritus sancti signamur in spem vitae eternae; et quotidie illuc convocati audimus psalmodias, et oracula praeceptorum Dei: quia autem semper ibi congregamur, nobisque est illuc refugium, et quia haec omnia supra relata in ea peragimus, mos fuit nominare ecclesiam improprie, non vero proprie dictam. Ita etiam multa templa sunt sub nomine alicuius (sancti), cuius ex nomine templum illud appellamus utique. sed non intelligimus ipsum hominem esse templum. Sub cuiuscumque nomine igitur erecta sint ipsa, idem est honor singulorum, nam idem sacramentum in eis conficitur; et altare, et missa (sacrificium) ubique dominicalia vocan-

tur, diebus tantum cuiusque festis distinguuntur inter se: nam singulis in locis mos est ordinem festorum celebrandi.

37. Sed ut unde orta est, eodem revertatur oratio nostra, operis pretium putamus etiam dicere, quomodo, vel quibus de causis monasteria erecta fuerint. Monasteria haec aedificare non tantum nostra Armeniorum gens adgressa est, verum etiam Graeci, Romani, Syri, et omnes ceterae nationes christianae, quem usum beatissimus summus Christi martyr S. Gregorius in Armeniam, largiente ei Spiritu sancto dispensationis utilitatem, introduxit. Nam monasteria magnae utilitati sunt, et columna firmitatis ac veritatis clericorum. Etenim pascunt eos, et efficiunt ut sedulo incumbant ad exercitia spiritualia, et in eis refulgeant; quapropter omnes sacerdotes, et laici sine ulla mora, honore, ac veneratione prosequantur oportet doctores (ita vocantur, qui in monasteriis degunt) et ceteros ministros monasterii, utpote qui voluntarie hospitium praebent eo intrantibus, ideoque valde opportune hospitium vocatum est, ("nam apud Armenos vox *vank* denotat domum, habitationem, diversorium, hospitium, et frequenter ac proprie monasterium") ut hilariter pateat cuicumque necesse fuerit. Et non tantum haec utilitati sunt alienigenis, verum etiam castello, in quo erecta sunt. Monachorum enim officium est blande ac leniter loquendo infirmos admonere, lugentes consolari; nam sacerdotes, qui matrimoniali vinculo devincti sunt, saepe agriculturae vacant, et solliciti sunt, quomodo placeant uxoribus suis, iuxta apostolicam veram sententiam. At ii, qui in monasteriis habitant, candida virginitate effulgent, sobrie vivunt, quotidie cum vitio, quod natura vehementer incendit, confligunt; et omni diligentia officium divinum et cetera ministeria exsequuntur, petentes a Deo diu noctuque summa vigilantia concordiam ac pacem toti mundo, prosperitatem ac valetudinem castello illi, in quo ipsi degunt: quapropter a potestate principum immunes vectigalium limites, ac praedia acquisiverunt: summum denique honorem clero sanctae ecclesiae concilíant.

38. Erubescant igitur qui insipientia ac impudentia sua ausi sunt aliam quidem esse dicere ecclesiam, aliud autem monasterium; nam clare apparet indivisibilis unio membrorum ecclesiae Christifidelium, quia alter alterius membra sumus in aedificio fidei per charitatem Dei. Idem sentiendum est etiam de synagogis, et sacellis, quae antiquitus ecclesias vocare mos fuit, quae quamvis multa sunt numero per castella, et per civitates, tamen multa non sunt in multis distributa; nam unum idemque in singulis perficitur sacramentum: respectu autem sacramenti, non dicitur aliud eorum magnum, vel aliud parvum, sed respectu ordinis potestatis, seu iurisdictionis. Has igitur sententias oportet omni cura tueri, et in eis perpetuo permanere. Nemo enim has constitutiones humani ingenii verba existimet, quas nos ex divinis scripturis acceptas huc dilucide attulimus. Itaque qui resistunt, non hominis sed Dei ordinationi resistunt: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

39. Interea oportet constitutionem modo notam facere, ac definire quomodo, vel quae dona (a fidelibus oblata) distribuenda sint monasteriis, quae item sacerdotibus uxorem habentibus.

Vota (seu oblata), quae fiunt (a fidelibus) per ieiunia in festo S. Ioannis Baptistae martyris, quod primo indixit apostolus et Christi martyr et pater regenerationis totius Armeniae S. Gregorius; et reliqua item vota, quae a fidelibus donantur in hebdomadis abstinentiae a carnibus, et in ieiuniis; haec, inquam, monasteriis tribuantur, ut qui in eis habitant voto Deo oblati homines, per beneficium voti sibi alimenta adquirant.

Oblationes, quae fiunt in festo omnium martyrum, et oblatio *madagh* (1) quae fit in feria transfigurationis Domini; nec non

(1) Mos Armeniorum fuit in paschate aliisque diebus festis, nec non in funeribus, iuxta ri-

et fructus omnium frugum populus pagatim tribuant sacerdotibus uxorem habentibus, de primitiis utique omnium frugum tribuant, de optimis nempe et bonis: sic enim redundabunt areae frumenti vestri, et torcularia vini, et olei vestri: caveant sane ne instar Cain de pessimis frugum tribuant, ne eiusdem criminis rei fiant.

Vota vel oblationes (fidelium) quae recipiuntur in festo ss. Epiphaniae et in quadragesima eiusdem, die purificationis B. V. Mariae, die solutionis ieiunii praecedentis, in diebus festis sanctorum, quorum nomina in sabbatis quadragesimae celebrantur; die Lazari; feria quinta magnae hebdomadae, qua die vivificans (Christus) tradidit discipulis suis mysteria novae legis; die paschatis; feria secunda paschatis; die ascensionis Domini ad caelos; die assumptionis sanctae Deiparae, desinente mense duodecimo (Armeniorum, qui iulio et augusto Romanorum mensibus respondet) in his omnibus festis incessanter monasteriis tribuantur, ut ministris loci et hospitibus alimenta suppeditare possint; nam sacerdotibus etiam coniugatis, coenobitis, et cunctis ecclesiae clericis numquam licet in urbe diversari, sed in monasteriis hospitari debent, excepto casu, quo monasteria non sint.

Opes alicuius patrisfamiliae defuncti, a tabula et ab scamno, usque ad ollam et cochleare, et cuncta vestimenta eius, quibus induebatur, calceamenta, et cingulum, et lectus, monasteriis tribuantur, ut hospites illis fruantur supellectilibus, et in lecto somnum carpant, et benedidicant eis.

40. Quando agapas dividuas faciunt, dimidiam partem pellis, et duas partes adipis monasteriis tribuant: sacerdotibus vero uxorem habentibus tribuant totam pecoris pellem, et caudam, artus, et adipem, et ventriculum, ut manducent ipsi et fratres eorum, qui apud eos hopitio excipiuntur. Item tribuant eis ceteras communes oblationes, ut manducent ministri pauperes, et fratres christifideles cum omni pietate; et de prandio, quod in iisdem festis datur, omnes ministri participent; parique modo et prandium paenitentium, quod diebus quadragesimae faciunt, communiter sumant.

41. Oblationes vero de primitiis, quae ad monasteria pertinent, si eremus prope castellum sit, illuc deferant; secus sacerdotibus uxorem habentibus dent: nemini enim convenit Domini proventus domi suae detinere.

42. Insuper tribuant sacerdotibus uxorem habentibus oblationes, quas recipiunt in feria sabbati magni, diebus sancti paschatis, feria secunda, et tertia, et reliquis diebus dominicis post pascha: die pentecostes, assumptionis sanctae Deiparae, et transfigurationis Domini, quibus diebus fructus omnium frugum pagatim tribuant sacerdotibus, exceptis tamen iis, quae ad *madagh* pertinent, quod fit in fine quadragesimae, et in festis apostolorum, exceptis quoque agapis dividuis, quorum dimidia pars pellis, et binae partes adipis monasteriis tribuendae sunt propter cultum et ob cereos incendendos; et quae de pecore fiunt, eius cauda una cum testiculo, et adeps, ventriculus, pellis et vestis tantummodo tribuenda est.

Oblationes, quae fiunt in exequiis matronarum, diebus carnisprivii, die palmarum etc. etiam oblationes, quas, dum quispiam festum aliquod celebrat in honorem apostolorum, et prophetarum, facit, communes sint; ut sic ordo ministrorum (ecclesiae) incolumis, et sine ulla discrepantia permaneat: animadvertere enim unusquisque debet, quodnam ministerium traditum sibi sit: nam oportet ipsos honestos esse, et doctrinae amatores: numquam vero licet eis verbo contendere, sed omnino amabiles sint, et vigilantes, ut idonei sint ad corripiendum inquietos, et infirmos

tum, quem ipsi a Iusto Hierosolymorum episcopo institutum putant, agnos vel vitulos benedictos distribuendi; quae res ab ipso vocabulo *madagh* significatur quod sonat *tener*; animalia enim tenera vel tempestive nata offerebantur.

in fide ad veram fidem perducere. Hoc enim est munus doctoris, et animarum pastoris.

43. Hae constitutiones canonum exaratae fuere iussu beati Isaaci magni patriarchae totius Armeniae, quas ipse a summo Christi martyre S. Gregorio accepit, quae nunc primum e graeco in haicanum idioma translatae fuerunt (1). Quare si quis hos canones minime admiserit, vel eos interpolare voluerit, non habeat partem et sortem hereditatis in regno Christi et Dei. Qui vero consenserint nobiscum et obtemperaverint, benedictionem a Domino accipiant, et participes fiant praemiorum, et perpetuae pacis, cum beato Gregorio, et patre nostro Isaaco, et eorum in orthodoxia sectatoribus, qui quidem in die magna et gloriosa coronandi sunt ab omnipotenti manu, inexplicabili ac perpetuo splendore in saecula saeculorum. Amen.

EIUSDEM ISAACI ARMENIORUM CATHOLICI QUOMODO EPISCOPI SANCTAE ECCLESIAE DOMESTICORUM CURAM GERERE DEBEANT.

44. Episcopus quoniam pater omnium, et speculator constitutus est, debet sine ullo humano respectu gregi a Deo sibi commisso providere, ac aequabiliter curam habere cleri s. ecclesiae, et constituere per provincias, et per castella inspectores, et rectores sine ulla personarum acceptione, qui quidem vocantur chorepiscopi: nam viris piis, et zelum Domini habentibus, ac doctrina praeditis convenit hos honores conferre, qui idonei sint corrigere malos, ac bonos exhortari per oracula clarissima praeceptorum Dei.

45. Sacerdotes vero cum omni diligentia discant honore prosequi altare quo Deus continetur, super quod nimirum peragitur vivificans mysterium Salvatoris ac Domini nostri: atque salutare lavacrum baptismi honorent, cuius regeneratione renovamur in spem vocationis Dei. Nullus ergo (episcopus) tantum munus laicis, vel indoctis conferat, neque cognatis suis, rationem consanguinitatis habens ob suam erga hos charitatem; qua super re iam Salvator noster Dominus cautos nos reddiderat, dicens: quae est mater mea, et qui sunt fratres mei, nisi qui diligunt mandata Dei? Quod enim verbis dixerat, id perfecit exemplo suo nobis praecipiens. Nam Iacobus, Iudas, et Iohannes fratres eius vocabantur; Petrus autem, et tot alii discipuli, diuturno iam tempore, omni sollicitudine ei inserviebant in tribulatione, et in periculis; nihilominus neminem eorum vocavit vas electionis. De Paulo autem, qui seipsum blasphemum, persecutorem, et contumeliosum fuisse profitetur, dicit: vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.

Videtisne, quod non est acceptio personarum apud Deum? Quamobrem si accipietis personam, peccabitis. Verumtamen episcopus, qui hac socia virtute non operatur, non potest esse discipulus Domini, sed valde alienus ab eo est. Et ne forte aliquis, ex iis qui mandatis Domini resistunt, nihilominus Dei se amantem et bonorum operum auctorem esse arbitretur, decrevit iam dicens: qui amat patrem, aut matrem, filium, aut filiam plusquam me, non est me dignus. Vos autem contra, tot mandatis resistentes, in praeceps ruitis; ac cognatorum amore devincti, omnem curam impenditis, ut eos, et familias eorum molles ac delicatas per divitiarum copiam reddatis; et obliti estis peremptorii effati Domini in ipso evangelio dicentis: omnis plantatio, quam non plantavit pater meus caelestis, eradicabitur. Ecce quod tanto temporis spatio ac maximo labore fundare conamini, idipsum vobis fit laqueus interitus in dimidio dierum vestrorum, iuxta illud effatum: qui festinat divitias cum iniquitate, in dimidio dierum suorum relinquet eas. Hoc dico, non quasi aliquem vestrum confundere velim, aut vulneribus aliquem in visceribus fodere; verumtamen

(1) Notabilis locus de origine horum canonum; quod nempe a graecis sumpti fuerint.

ut omnino satagatis talem nefandum usum ab ecclesia propellere: nam haec est radix omnium malorum, sacrilegae pudendae immanisque nequitiae; quapropter ira Dei venit.

46. Superius diximus, episcopum patrem esse; ideoque is debet curam gerere domesticorum ecclesiae suae, ac eos promovere ad ecclesiasticos honores, qui probi ac pii sunt, iisque tradere ministeria ecclesiae iuxta canones; quo facto, nefandae impietates ac schismata destruuntur, mores Deo acceptabiles, et pietas innumeris fructibus adornantur. Et ii qui blaterantes istis constitutionibus resistunt, scilicet molles, qui amore suorum ardent, usurpant verba prophetae ubi dicitur: domesticos seminis tui ne despexeris: illud enim noluerunt intelligere, scilicet vocabulo domesticorum, unitatem fidei denotari. Quamobrem ecclesiae praeco magna voce bene hoc explicans clamat. Quid autem dicit? Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes, maxime autem ad domesticos fidei. En cura domesticorum. Si vero aliquis causam pietatis simulans, terreno flagranti sollicitoque amores propinquis suis favere volet, audiat insuper aliud quoque effatum, quod blande tamen admonet dicens: nesciat sinistra tua quid facit dextera tua. Ergo nemo diutius audeat imprudenter malam hanc pietatis causam simulare: nam gravius malum est impudens pertinacia, quam peccare: etenim et fratricida Cain, et Gezi, qui insana avaritia tactus erat, non tam ob peccata puniti fuere, quam ob impudentem pertinaciam.

47. Omni igitur cautela conservetur inter nos haec canonica constitutio: nemo recedat a divinis hisce praeceptis, quibus ecclesiae refulgent, presbyteri exultant, principes et populares laetitia afficiuntur, nos quoque ab alienigenis gratulatione, ac laudibus exornamur. Etenim oportet nos, uti scriptum est, testimonium habere ab iis, qui foris sunt, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur, sicuti iam propheta Iudaeos condemnans conquerebatur, scilicet quod nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Si vero opera bona agamus, glorificabunt Patrem nostrum, qui in caelis est, dicentes: isti sunt semen benedictum a Deo, et laetitia laetabuntur super Dominum. Episcopus enim, et doctores cuncti angelicorum morum atque aeternae vitae imaginem in se repraesentare debent, in quibus nec acceptatio personarum sit, nec munus iniustitiae, neque bonorum aestimatio, sed tantum probitas, ac observantia praeceptorum, quae efficiunt nos cives sanctorum, et domesticos Dei. Vos autem contra, cupiditate divitiarum abducti, ad munera convolatis, atque ita infestos homines, obtrectatores, praevaricatores, laicos, ac indoctos, idoneos ad opus ministerii ecclesiae putatis, et turbam magnam e cognatis vestris, qui vos sequuntur constituitis; et eiusmodi operibus carnes electorum comeditis, et ossa eorum confringitis, dicentes, manducemus, et bibamus, cras enim moriemur. Hinc ergo si quis ex episcopis, vel rectoribus ecclesiae talis execrandae praevaricationis reus inventus fuerit, de honore suo deponatur, et pars eius cum hypocritis fiat: nam homo cum in honore esset, non intellexit; ut et ceteri timorem habeant; et munus huius ministerii ad gloriam, non autem ad damnationem, exerceatur.

48. Si vero aliquis ex principibus, vel coëpiscopis nostris rationem huiusmodi hominum habeat, iudicetur coram Deo cum iis, qui personam acceperunt, morem habentibus Annae et Caiphae pontificum Deo repugnantium, et apostatarum, qui rei fuerunt, et quidem rei dominici sanguinis, ideoque poenam sempiternam persolverunt. Nobis tamen haec praecepta sint norma ad vitam peregrinationis nostrae inculpabiliter ducendam, ut per omnia Deo placentes, digni efficiamur promissis bonis, per gratiam et benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre simul et cum Spiritu sancto gloria etc.

EIUSDEM ISAACI, QUOMODO EPISCOPI THESAUROS ECCLESIAE CUSTODIRE DEBEANT, VEL QUOMODO EOS ADMINISTRARE.

49. Templum orationis portus est omnibus, et locus supplicationis nostrae, quod apte ecclesiam vocare mos est; quae quidem sibi ducem habet inspectorem episcopum, ut ipse officioso ac efficaci animo rebus cunctis provideat, ac munera ministerii sui inconcussa teneat; quamobrem et omnes Christifideles sanctam ecclesiam sibi perfugium habent: nam iustis, ac peccatoribus est portus, et locus spei salutis nostrae: ideoque unusque vota, oblationes, ac dona sua collecta illuc libenter deferre curat.

50. Principes donant pagos, et praedia, atque copiam auri ut argenti; ceteri homines agros, et armenta, et vestes pretiosas tribuunt. Et hoc faciunt alii pro animarum suarum salute, alii autem pro dilectorum suorum, vel parentum defunctorum satisfactione; quibus actibus ornamentum, ac splendorem animabus atque corporibus praeparant: nam et recta exhortatione sermo Domini cautos reddere famulos suos, ac praeceptorum suorum observatores curat, dicens: thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non furantur. Et alibi: nunquam apparebis in conspectu meo vacuus. Non sunt in hoc mundo, inquit, tributa vestra, sed in culmine summo caelorum, in securo ac impavido thesauro posita.

51. Videsne quomodo Dei fiunt bona? Nam ipse sua esse existimat tributa nostra, non autem alicuius hominis. Inspector vero episcopus custos tantum est earum rerum; ideoque magna cautela ac timore se gerere debet in administrandis hisce rebus. Si enim qui hominum depositum habent, vel aliquam rem sibi creditam, cura ac diligentia laborant, ut tutam eis restituant; et si contigerit eis aliquam minimam rem consumere, chirographum faciunt, producunt testes, ac iusiurandum, ne in negotiis suis gerendis dolo aliquo, vel furto se obstringere videantur; quid causae adducat episcopus apud Deum, qui scrutator est cogitationum nostrarum, cui occultum nihil, sed omnia nuda et manifesta sunt coram oculis eius, nisi summa diligentia custodiat depositum, vel si in eos impendat, in quos non licet impendere? vel quando sese ornet vestimentis inanibus ac superfluis, vel ea bona largiatur cognatis suis, vel etiam iuxta principum more mimos alat, vel amicitiam cum feminis iungat, vel rationem habeat opulentorum ac divitum, eisque tribuat (bona ecclesiae)? Hoc enim est perverse dissipare patrimonium regis, et ideo poenam mereri.

52. Quoniam autem apostolico honore dignus fuisti, oportet te etiam moribus eorum similem exhibere, uti liber actorum apostolorum testatur: dividebant singulis prout cuique opus erat. Nam thesaurus Dei, cuius tu speculator, ac dispensator constitutus es, datus est ad subsidium pupillorum, et viduarum in tribulationibus earum, et ad alias quascumque huius mundi adversitates, quibus aliquando premuntur (fideles); ideoque nunquam licet in alias res impendere illum; nam pro animarum salute datae sunt hae opes. Unde si quis in res vanas eas impendat, cum sacrilegis damnetur in die iudicii, et honor eius auferatur ab eo. Nam si temporalium regum ministri, qui bona regalia inaniter profundunt, poena puniuntur, quanto magis qui inhoneste divina dissipant bona, poenam in hac et in futura vita luent? Item, si quis personarum acceptor sinat alios id facere, consentiens habebitur malis operibus eorum.

53. Tu autem, o docte fidelis, qui propter peccatorum tuorum remissionem vota tua, ac tributa offers, ut onera peccatorum tuorum depellas (idem sentias etiam de ceteris multis) cur festinas relictum molestum onus denuo resumere? de quo propheta iam dixerat: sicut onus grave gravatae sunt super me. Sed utinam tuum tantum onus, et non aliorum etiam resumeres! nam quanto magis ac-

cipere festinas, quam dare, tanto vehementius peccatorum tuorum onera auges: cum ab aliis quoque commissa tuis addis peccata. Leges non sinunt proximi tui iumentum sub oneribus in via iacens despici; dixit enim Dominus: sublevans sublevabis illud. Tu autem irreparabili ruina teipsum praecipitas, tu, qui si videres aliquem cecidisse, vel iacturam sibi intulisse, misertus fortasse quidem esses; et te ipsum despicis? Surripis, negas pupillo, viduae, pauperi mercedes eorum; qui execraris idola, aedem sacram diripis. Tu ipse indica. Nonne, dum tributa tua ad domum Dei defers, onera peccatorum simul cum eis a te procul eiicere credis? Nonne aeternam vitam adipisci hoc merito speras? Ergo contra, dum ea tributa iniuste tibi vindicas, eorundem peccatorum onera rursus tibi assumis, quae sempiternae poenae tibi causa fiunt. Quid prodest tibi huiusmodi lucrum, quod animam tuam perdit, duroque detrimento afficit? neque enim postea permutationem pro anima tua invenire poteris. Audi divinas scripturas, et disce in simplicitate cordis, quibusnam liceat frui his bonis (ecclesiae). Qui, inquit, altari serviunt, de altari participant: deinde vero alimenta eorum manifestat, dicens: peccata populi mei comedunt; ideoque admonet (singulos) se comparare, dicens: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Videsne horum alimentorum virtutem? Nam et alibi etiam clarioribus quidem verbis cautum te reddit, cum timorem tibi conciliat dicens: subiacete eis, ipsi enim vigilant pro animabus vestris, quippe qui vestri rationem reddituri sunt.

Cur igitur hoc grave onus suscipis, ac media in nocte duro detrimento te ipsum subicis? Anne, ut vino madeas? de ceteris autem sileam sordidis crapulis quibus ventrem distendens, impuris vaporibus obrutus toto corpore decumbens, vomitum ructans, ululatumque in auras spargens, vocem quoque officii tui audire fastidis. Cur enim tecum de vigiliis ac sobrietate loquar? Quae cum ita sint, tu qui laboris particeps non fuisti, neque mercedem usurpare deberes, sed tuis rebus contentus vivere. Attamen tu haec omnia praedicta spernens, pupillorum, viduarum, ac pauperum bona tibi vindicas, ipsosque tibi adversarios apud Deum facis: nam uti superius scriptum est, hi thesauri divini ad eorumdem pauperum substentationem, ac subsidium dati fuere; de ipsis enim dictum est: pupillos, et viduas suscipit Dominus: et oculi eius in pauperes respiciunt: et clamabunt ad me, et ego exaudiam eos.

54. Cur ergo hos adversus temet accusatores constituis? Cur te non pudet? Atqui, si in conspectu tuo frustulum panis haberes, id quidem tibi vindicare subvereris, ne tibimet dedecus conciliares; interim patrimonia diripis, conscientiae rationem nullam habens. Neque enim tibi persuasisti haec omnia mendicationis similia esse. Ipsi autem (pupilli, viduae, pauperes) lamentabilem effundunt vocem, cum suas tribulationes, durasque erumnas atque molestias enarrant, donec linguae eorum in oribus exsiccentur suis; et ob periculi gravitatem coguntur vulnera sua, ac corporis infirmitates cunctas patefacere; vexati quidem, et omnino afflicti, valde etiam frigore laborant. Quae quum ita se habeant, frustra ipsi segmentum aliquod, quo pudenda sua tegere possint, invenire sperant. Tu enim lepidis inanibusque sermonibus eorumdem diripis substantias, et calamitatibus eorum connives. Porro his (maleficiis) uxorem tuam viduam facere et filios tuos orbos commereris, ita ut ipsi flentes errantesque per ianuas iniquorum mendicaturi sint. Eia tandem aliquando mementote verbi Domini Iesu, qui dixit: beatius est magis dare, quam accipere.

55. Ideo precor, et testificor coram Deo, et Iesu Cristo, qui iudicaturus est vivos et mortuos in revelatione, et in regno suo. Nemo deficiat in hac parte, quam praecipientes demonstravimus. Quae enim utilitas maior hac, vel quae potior laetitia inveniri possit? Quando enim episcopus iuxta Dei voluntatem ecclesiae providet, chorus mi-

nistrorum laudabili exhortatione commotus psalmodias suaviter canit, et ceteri etiam omnes simul convocati gratias agunt dominationi, quae omnia vincit; quando viduae, et pupilli diliguntur, pauperes iuvantur, egentes subsidia inveniunt; tune huiusmodi rerum ordo sufficit ad misericordiae ianuas pandendas; tunc caeli super terram foecundo rore ad augendum frumentum, oleum, vinum, et armenta per pascua virentia agri, fluunt: immo etiam atque etiam tuentur vitam principum, et regnum in sempiterna pace, per gratiam et benignitatem Domini nostri et Salvatoris Ieso Christi, cui cum Patre simul et cum Spiritu sancto, gloria, dominatio, et honor nunc, et in sempiterna saecula Amen.

EIUSDEM ISAACI

LIBELLUS TRADITIONIS

DE MINISTRIS SANCTAE ECCLESIAE,

ET DE FRUCTIBUS A POPULO DOMO DEI OBLATIS.

ARTICULUS UNICUS.

Cum sanctus Armeniorum illuminator Gregorius magnus regeneravit per lavacrum baptismi universam Armeniae gentem, et obtulit ad adoptionem filiorum Patris caelestis illuminatos per baptismum, quod in Patre, in Filio, et in Spiritu sancto confertur, tunc gaudio magno, et laetitia maxima laetabatur gens Armeniae Thorgomo (1) genita. Porro rex etiam Tiridates veram religionem amplexus, ac fide clarus, non pauca dona famulis suis propinquis conferebat, et permulta quidem impertiebatur munera filiis sacerdotum idololatriae, dicens: hoc tempore centuplum accipietis, et bona, et praedia, et oblationes, et proventus ab ecclesia sancta, et in saeculo venturo vitam aeternam possidebitis, a diabolico idololatriae cultu liberati.

Illi autem respondentes dixerunt regi, et magno Gregorio: Deus bonus, et amator hominum non despexit creaturas sanctarum manuum suarum, sed misericordia potius commotus in eas, ostendit nobis, per gratiam vestram, bonitatem suae infinitae potentiae, incomparabilem suam providentiam, atque misericordiam, quia non permisit nos in iniquitate nostra cum parentibus nostris perire; cuius nomen sanctificetur, et glorificetur in omnibus. Sed res necessariae, quae corpori conveniunt, quamdiu in hac vita perseverare nobis licebit, cogunt nos iuxta cuiusque necessitatem, moderate curare nobismet cibum, vestimenta, et alia huiusmodi negotia: nos vero artem quamlibet, atque industriam ignoramus, ex quibus nobis, filiisque nostris alimenta capere possimus: cum enim daemonibus serviebamus, ex victimis, et ex frugibus, quae eis offerebantur, vivebamus; nunc vero nos latet quinam futuri sint proventus oblationum, unde vitam alere queamus simul cum domesticis nostris, atque glorificare sempiternum vivum immortalemque Deum.

Tunc beatus Gregorius respondit eis dicens: vos, filioli mei, quos iterum genui per charitatem Christi, omni diligentia servite Domino vivo et vero, atque spem vestram in eo ponite toto corde vestro: quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextra Dei sedens: illam mansionem, et illud habitaculum, et illam vitam a Domino poscite; et haec omnia adiicientur vobis, uti et scriptum est in sancto evangelio Domini Dei nostri. Deinceps vobis erunt fructus sanctarum oblationum, quae templo Dei a populo offeruntur, loco profanarum victimarum, per quas communicabatis cum daemonibus; nunc vero per sacrificia sancta, per primitias, et ceteras oblatas fruges cum angelis sanctis gratia Christi communicabitis. Sint igitur vobis assignatae primitiae, et oblationes, quemadmodum olim magnus propheta Moyses, divino manda-

(1) Thorgomus Haici pater, a quo Haicani, id est Armenii, sunt progeniti. Samuel Aniensis in chronico a me edito part. I. cap. VII.

to recepto, imperaverat populo oblationes, et fruges, quas necessario leviticis sacerdotibus dono offerret, ne videlicet sacerdotes deficerent in ministeriis tabernaculi testamenti. Pari modo statuitur, atque definitur de oblationibus a populo ad sancta sanctorum deferendis, quod est altare purificationis; ut universae fruges areae et torcularis eius benedicantur, et arva eius abunde producant fructiferas arbores, iuxta prophetae effatum: honora Dominum de iustis tuis laboribus, ut impleantur cellaria tua saturitate frumenti, et vino torcularia tua semper redundent. Et uti levitae, qui quamvis decimas accipiebant ab omni Israel, tamen et ipsi ex omnibus decimas sacerdotibus solvebant; nam redemptionem primogenitorum tribuere iubet lex omnibus in sanctificationem Domini: pari modo et vos accipietis ab omni populo alimentum vestrum: nam ex victimis, quas offert populus habebitis pellem, et armum dextrum, testiculum, adipem, caudam, pectusculum, et pinnam iecoris, renes, aliquam ex costis partem, simul cum adipe et cruribus, linguam, aurem dextram, et labia cum naribus, et oculum dextrum et omnes arcanas partes. Ex areis autem, et torcularibus, et ex reliquis frugibus, unusquisque de populo tribuat vobis decimas, ut fruges eorum purae sint, et redundent. Vos quoque ad commemorationem salutis vestrae dona ferte ad altare Dei, ex quo primum digni fuistis accipere immaculatum atque incorruptibile corpus filii Dei Salvatoris nostri; quemadmodum levitico sacerdotio olim per Moysem a Domino mandatum erat. Drachmam unam ergo tribuatis altari Dei per singulas domos vestras: oblationes autem vestrae, et primitiae hostiae redemptionis deferantur ad domum principis sacerdotum episcopi: quomodo enim accipitis a populo spirituales proventus, ita etiam et vos oportet spiritualia tributa dare episcopis, qui vocantur inspectores, qui quidem nunquam ausint fraudare de eis, sed tribuent cuicumque tribuendum est.

Haec statuta sunt a sancto Gregorio, quae nos confirmamus; atque ut inviolatae eiusdem sancti traditiones serventur, Christifidelibus cunctis mandamus.

Populus igitur omnes fructus, et primitias cum hilaritate animi presbyteris impertiatur, ut oblationes eius coram Deo acceptabiles eveniant. Pari modo et sacerdotes cuncta praedicta tributa sine ulla mora ad episcopos afferant, neve pigrescant in eis tradendis, neque nitantur usurpare depositum eorum, qui ad sortem (Domini) vocati sunt, ne causa turpis lucri una cum praevaricatoribus condemnentur. Indocti, uti mos invalnit, non admittantur ad horum proventuum fructus fruendos; sed qui ad doctrinam incumbunt, ac munere sacerdotali digni efficiuntur, ipsi fructus accipiant. Clerici etiam lectores, qui cum omni sanctitate, ac probitate vitam ducunt, parte sua non priventur: tamen bigami, qui omnino corporis voluptatibus inservierunt, non habeant partem de fructibus sanctuarii.

Uxores vero presbyterorum, quae viduae sunt, quaeque honeste, et sancte vixerunt, dignae habeantur parte, quae eis convenit pro quantitate proventus altaris, et oblationis. Et omnes ii, qui participant de fructibus, ac proventibus sanctae ecclesiae, non habeant potestatem aliquid fraudandi, ac sibi vindicandi ex Domini redditibus, qui ipsis tribuuntur, verum charitate commoti dent eos primariis sacerdotibus, et benedictionem ab eis accipiant, ut sic ordo ecclesiae firmus ac inviolabilis maneat, et Deus glorificetur in omnibus nunc, et semper, et in saecula saeculorum.

CANONES SYNODI ARMENIORUM.

Capitula XX.

1. De episcopo, qui in actibus turpibus deprehenditur.

2. De presbytero in iisdem actibus deprehenso.

3. De adulteris.

4. De muliere a viro suo recedente.

5. De concubinariis.

6. De iis, qui uxorem suam dimittunt.

7. De maleficiis.

8. De iis, qui uxorem sterilem dimittunt.

9. De iis, qui ariolos consulunt.

10. De iis, qui divinant, sed non malefaciunt.

11. De iis, qui desperate super mortuos deflent.

12. De iis, qui cum noverca coëunt.

13. De iis, qui consanguineam sibi ducunt uxorem.

14. De introductis mulieribus.

15. De iis, qui religiosi fiunt.

16. De iis, qui pecunia ordinantur episcopi.

17. De reliquiis martyrum.

18. De magistro, qui discipulum excommunicat.

19. De presbytero, qui in incestu, vel in sodomia deprehenditur.

20. De episcopo, qui rem scit neque punit.

POST SEPTEM ANNOS AB OBITU ISAACI MAGNI, PRIMATES ARMENIORUM UNANIMITER CONVOCATI HOS CANONES EDIDERUNT.

Constitutiones, et canones ordinis sanctae ecclesiae Dei, quos condiderunt doctores Armeniae ad confirmationem, et perfectionem canonum apostolorum, nec non nicaeni concilii.

Oportet sane maximeque decet nauclerum navigationis artem discere, atque pelagi cursum scrutari, ac resonantes undas secundis sulcare ventis. Item etiam oportet ducem semper exercitum comparatum habere, viros electos, intrepidosque equos, hos fulgentibus armis cinctos, illos martialia tela ferentes in acie constituere, victorem evadere, gloriam sectari, honorem prosequi, et coronam ab rege mereri. Magis igitur magisque oportet, et decet doctores, atque pastores sanctae ecclesiae, et duces sanctarum legum, ac veracium praeceptorum Dei vivi, semper in lege Domini meditari die ac nocte; atque clericos sanctae ecclesiae quotidie novis ornamentis in Domino venustare.

Etenim cum e terris migrassent sancti et iusti patres, doctores, atque veri legislatores, et praepositi nostri, maxime autem cum migrassent venerabilis pontifex Isaacus Armeniae catholicus, et venerabilis Mesropus, qui praeclaris suis, ac spiritu plenis doctrinis Armeniae regnum illustraverant; cum igitur isti e terris ad caelestia se contulissent habitacula, tunc depravationes, ac devastationes in ordines et canones sanctae ecclesiae introductae fuere, uti in revelationibus suis olim praevidebat venerandus pontifex Isaacus, seu uti iam ante eum praedixerat sanctus Gregorius. Multiplicabantur, qui turpibus actibus indulgebant contra rectum morem, et frigescente charitate, iniquitas abundabat, nemoque inveniebatur, qui aizania colligeret, et convolvulum infestum purgaret; ac proinde profundas radices iecerat gramen, quod in dies propagabatur singulos. Multiplicabantur in regno Armeniae gentis thorgomicae, turba incestuosorum, et aliorum improborum, qui uxores suas dimittebant, fornicabantur, furabantur, ac in scelestis suis actibus pertinaciter manebant.

Hoc rerum perversarum aspectu cruciabantur moerore ac tristitia qui tunc temporis vivebant zelantes doctores, episcopi, et presbyteri, qui ecclesiae regimen tenebant, nec non reliqui ministri Christi, et clerici sanctae ecclesiae: propterea quod etiam in coetu presbyterorum inventi fuerunt, qui in recta semita sanctitatis non ambulabant: quia illis temporibus potestas, et gubernatio regni non erat sub imperio familiae Mamiconensium; nam oppressi, et humiliati erant, premebanturque sub potestate superbi imperii Persarum. Vartanus autem Mamiconensis simul cum fratribus suis consanguineis, quamquam angebantur, fremebant, ac instar catuli leonis rugiebant; tamen quasi in cavea detenti supremum auxilium expectabant. Nam per-

versa Persarum gens suspicans, et timens eos, non tradebat eis imperium: unde dies diei eructabat verbum, et nox nocti rem indicabat; et res libere ad omnium aures ferebatur: vir a viro de re certior fiebat, et fama ad omnes divulgabatur. Anno igitur decimo sexto Isdegerdae Persarum regis sub praefectura Vasaghi Siuniensis, et sub tribunatu Vahani Amaduniensis, et sub proconsulatu Vurvi Korkuriniensis in unum convenerunt, et unanimiter convocati sunt in monte Scilabivano, festo die primitiarum, quadraginta episcopi, presbyteri et diaconi permulti, et reliqui ministri, et omnis clerus ecclesiae sanctae, qui zelum Domini zelabant; itemque primates Armeniae, et omnes praefecti provinciarum, magistratus, principes fortes, consules, duces, principes regionum, et omnes optimates Armeniae qui zelantes erant legum, et sanctitatis. Hi omnes simul convocati sic allocuti sunt (synodum episcoporum, et eorum qui cum illis congregati erant).

Ordinem, ac ecclesiae disciplinam a ss. Gregorio, Nersete, Isaaco, et Mascitozio constitutam denuo confirmate, ac novas quoque, uti vobis bene videbitur, iuxta vestram scientiam statuite; nos enim omnino sponte, ac libenter obtemperabimus. Etenim disciplina ecclesiae corrupta fuit, et homines ad improbitatem conversi sunt: quare legem illam, quam Deo gratam scitis, ad ecclesiae aedificationem convenientem, sancite; nosque eam firmiter tenebimus, eique obedientiam omnino praestabimus: si vero aliquis sive episcopus, sive presbyter, sive nobilis, sive ignobilis, non obtemperaverit, puniatur, ac mulctetur.

Quo audito sermone, patres synodi primo responderunt. Singulos firmiter tenere debere canones apostolicos, nec non nicaeni concilii, quos et nos veneramur; sed tamen aliqua eis adiungenda existimamus; praesertim gentis thorgomiae gratia et in orientali plaga degentium. Statuerunt autem sic.

1. Si episcopus aliquis deprehendatur in fornicatione, vel in alio huiusmodi turpi actu cum scandalo discipulorum suorum, privetur ordine suo, re testibus confirmata, et sacerdotio amplius non fungatur, ac in ecclesiae usum mille ducentis denariis mulctetur qui distribuantur in egentes.

2. Si presbyter deprehendatur in huiusmodi facinore, re testibus confirmata, ordine suo privetur, ac ducentis denariis mulctetur in pauperes distribuendis; et ipse in ordine clericorum sedeat, ubi si iterum in simili facinore deprehensus fuerit, depellatur etiam ab eo ordine, usque dum per paenitentiam ad rectam semitam revertatur; et post haec episcopi iudicio in ordinem clericorum admittatur. Item si in tali crimine monachus sacerdos deprehensus fuerit, a gradu suo deiiciatur, et ab ordine depellatur. Idem dicas de diaconis, qui quidem inter laicos stent, et tributa regi solvant, et mulctentur tercentis denariis in egenos distribuendis. Si uxor presbyteri, vel diaconi, in adulterio deprehendatur, ipsi mariti iudicium de ea faciant: videlicet, vel ecclesiam, et sacerdotium sibi eligant, vel mulierem. Si sacerdotium elegerint, uxorem domo eiciant, et gravem paenitentiam eidem imponant. Si filia presbyteri in fornicatione deprehensa fuerit, ex ecclesia partem non percipiat, et domo sacerdotali expellatur, ac duram paenitentiam subeat: idem sentiendum etiam de filiis presbyterorum. Si presbyter moriatur, uxor eius alii viro nubere non audeat, neque presbyter aliam sibi ducere uxorem. Presbyter non habeat domi suae ancillam, quae prostituta sit; nam sanctum Domini est.

3. Si vir aut mulier in adulterio deprehendantur, quo sacramentum matrimonii contempsisse videntur, poena puniantur: si nobilis est, quem verberare non liceat, paenitentiam agat per duos annos, et ducentis denariis in egenos distribuendis mulctetur; exinde aditum in ecclesiam habeat, et inter sodales suos sedeat: si vero ignobilis est, vapulabit multis, et centum denariis in egentes distribuen-

dis mulctetur, et per annum ad ecclesiam non intret, post haec accedat, et inter sodales suos sedeat. Si quis ante matrimonium in fornicatione deprehensus fuerit sive cum desponsata sua, sive cum alia, iuxta illatam iniuriam mulctetur, et dependat parentibus puellae, quicquid ipsi voluerint, uti et Moyses in deuteronomio iusserat. Sin vult eamdem puellam habere uxorem, prius per annum paenitentia se abluat; cum autem ad matrimonium incundum venerit, ipsius nuptiae non benedicantur iuxta ritum benedictionis matrimonii virginum, sed tantum iuxta bigamorum. Si vero puellam consentientem violaverit, parentes eius non habeant ius ad mulctam, sed puella condemnabitur solvere ecclesiae centum quinquaginta denarios egenis distribuendos. Si vero unus sponsorum violatus est, altera autem pars virginitatem non amisit, haec cum virginis benedictione matrimonium ineat; et pars violata, bigamorum ritu, ramum benedictum propter triumphum de inimico actum ferens, cauta deinde erit.

4. Si quis dimittit uxorem suam, filiorum matrem, sine causa adulterii, vel morbi maligni, sed tantum ob animi sui perversitatem, vel quia oculum in aliam mulierem coniecit, huiusmodi viri hoc sit indicium. Omnia bona, filii, domus, rura, aqua, et ceterae res in commune dividantur, dimidiaque pars mulieri tribuatur, quae etiam si vult virum domum suam ducere, libere quidem ducat (1). Vir autem, qui eam reliquit, per septem annos paenitentiam agat, et si nobilis est trecentis denariis mulctetur; si ignobilis, vapulabit magnopere, et centum denarios ecclesiae solvet. Si vero dum in contentione, ac mulctis solvendis versantur, et adhuc annus non est elapsus, mulier aliqua viro, qui dimisit uxorem, nubere audeat, sicque fiat palam, novam nuptam in causa fuisse uxoris dimittendae; comprehendant mulierem illam, et in hospitium leprosorum contrudant; ut ibi per annum leprosis inserviat; si vero nobilis fuerit, cui hoc non licet, centum denariis in leprosorum usum mulctetur.

5. Si quis duxerit sibi uxorem, et mulier sterilis contigerit; viro scilicet ob hanc causam eam dimittere volente, quicquid mulier secum ad domum viri detulerat sive supellectilem, sive ancillas, sive armenta, sive vestimenta, sive argentum, potestatem habeat resumendi omnia, et ad propriam domum eundi; si autem praeter sterilitatem aliud vitium non inveniatur in ea, vir, qui eam dimittit, mulctetur pro contumelia ei illata, et det mulieri mille ducentos denarios, si nobilis est; si vero ignobilis, vapulabit multis, et centum denarios tribuet. Si autem dum in contentione versantur, et in mulctis solvendis, et adhuc annus non praeteriit, aliqua mulier illi viro nubere ausa fuerit, tunc enimvero palam fiet, ipsam fuisse causam uxoris dimittendae; quapropter comprehendant eam, et in hospito leprosorum ponant, ut ibi per annum leprosis omnino inserviat, et centum denariis in ecclesiae usum mulctetur: si vero nobilis fuerit, cui servitium non licet, centum denarios det leprosis. Si autem vir promissionem aliquam antea mulieri fecerit, uxorem propriam dimittendi, et eam sibi uxorem ducendi, vel cum ea fornicatus fuerit, centum denariis mulctetur, et paenitentiam agat tribus annis inter auditores, et per annum in *ecclesiae* privatione.

6. Si qua mulier sine ulla causa a marito suo recesserit, comprehendant eam, et viro suo tradant, qui iudicet de ea; si vero maritus improbus est, verberibus castigetur.

7. Qui concubinam sibi duxerit veluti uxorem, comprehendant mulierem, et tradant parentibus eius, vir autem propter illatam iniuriam mulctetur mille ducentis denariis, si nobilis est; secus ut supra. Si vero eam cognoverit, et fornicatus fuerit, centum denariis mulctetur, quos det ecclesiae, et tribus annis paenitentiam

(1) Recole adnotata ad canones S. Gregorii illuminatoris nomine insignitos p. 270. n. 1.

agat. Presbyter autem, qui inscientibus parentibus puellae clam matrimonio benedixit, non audeat amplius munere suo sacerdotali fungi, et centum denariis in egenos distribuendis mulctetur; et matrimonium, cui benedixit, irritum sit.

8. Si quis vir sive mulier in maleficiis, vel in apostasia deprehendantur, et non eos paeniteat, lapidabuntur iuxta sacras scripturas: si vero resipiscant, totius vitae suae diebus paenitentiam agant, et per duodecim annos ad ianuam ecclesiae cum auditoribus stent; post haec accedant ad ecclesiam, ubi per tres annos cum paenitentibus stent, et iugiter in pauperes effundant substantias suas, elemosynis salutem animarum suarum operantes; tandem devotis cum lacrymis in extremis suis diebus viaticum sumant.

9. Qui ariolos consulunt, sive vir sive mulier, vel divinatores adeunt, si nobilis est persona, ducentis denariis; si ignobilis, centum denariis in egenos distribuendis mulctetur, et triginta plagis vapulabit, per tres annos paenitentiam aget, postea communionem percipiet. Si vero episcopus, seu presbyter talia egerint, duobus vel tribus testibus re confirmata, a gradu suo omnino amoveantur: et episcopus quidem mulctetur mille denariis, presbyter autem quingentis in ecclesias et egenos distribuendis. Si vero aliquis ex ordine ministrorum ecclesiae, vel ex monachis, vel ex filiis presbyteri, huiusmodi criminis reus fuerit, poena laicorum puniatur, et ab ordine ministrorum recedat.

10. Qui tantum divinat, sed non malefacit, sive vir, sive mulier, triginta plagis vapulabit, et denigrent faciem eius, et in hospitio leprosorum collocent, ut ibi per duos annos leprosis deserviat; si vero nobilis fuerit, atque servire nolit, quingentos denarios leprosis det, et per duos annos in propria ecclesia paenitentiam agat, et post haec communionem percipiat, ac in posterum a peccato abstineat.

11. Qui desperate super mortuos deflent, vel talem luctum indicunt, qualem ethnici, per annum ecclesia priventur: et si nobiles sunt, centum; si ignobiles, quinquaginta denariis in egenos distribuendis mulctentur; nomine autem eorum non offeratur missa pro defuncto, nam excommunicati sunt ipsi domestici; presbyteri tamen sua spontanea voluntate offerant, uti res indiget, donec domestici illius defuncti ad rectum ordinem redeant; tunc nomine quoque eorum offerant missam, ut animae defunctorum requiescant in pace. Si vero defunctus adhuc vivens iussit super cadaver suum talem fletum fieri, duplici mulcta, supra quam canon statuit, mulctetur; ac pro anima eius missam non offerant, neque nominis eius in missa fiat mentio, propter desperatam eius salutem.

12. Filius, qui uxorem patris sui in matrimonio habet, in sanctam ecclesiam non intret, et omnium synodorum anathemate percutietur, usquedum resipiscat, ac paenitentiam agat: per septem annos cum auditoribus stet, et per duos in privatione, et quinquaginta denarios pauperibus, et quinquaginta item ecclesiae tribuat, deinde vero non sine morum examine communionem percipiat. Si quis pater uxorem filii, vel frater uxorem fratris sui habeat, iisdem poenis, et anathemate puniatur. Nullus ergo audeat habere uxorem affinis vel consanguinei sui, vel cum ea adulterari; quod si hoc, cum mulieris consensu contigerit, ipsa quoque praedictis poenis, et anathemate puniatur, et paenitentiam agat, et ponant eam in hospitio leprosorum, ubi per decem annos deserviat: si autem nobilis est, et nolit deservire leprosis, det cis trecentos denarios.

13. Siqui consanguineam sibi duxerint uxorem, sobrinam nempe, filiam sororis vel fratris, vel sororem patris, vel aliam quamdam ex consanguineis suis usque ad quartum gradum; nemo accipiat oblationes, vel paenitentiam eorum usque dum a perversis suis actibus recedant, et segregentur, ac propter animarum suarum expiationem dimidiam partem bonorum suorum dent pauperibus, et egentibus, et paenitentiam agant in ecclesia omnibus

diebus vitae suae, ac in extremis communione digni fiant. Item praepositi ecclesiae, qui rei conscii erant, episcopus quidem quingentis denariis, parochus ducentis, presbyter autem qui matrimonio benedixit, ducentis denariis, mulctentur; deinde vero munere suo fungantur: si autem isti noluent segregari, ac in facinore nefando permanserint, ab ordine suo amoveantur, et penitus a sede ac sacerdotio extrudantur.

14. Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel quisquis ex ordine ministrorum ecclesiae, vel cleri habeat in domo sua mulierem introductam, quasi domi matronam, uti mos est concubinariis; ab ordine suo eiiciatur, atque ut improbus et publicanus habeatur: nam ecclesia sancta, et sacra mysteria Domini sanctos homines et immaculatos requirunt; ut qui maculis affecti sunt, per immaculatos ministros salutem inveniant.

15. Si quis fidelis vult monachus fieri, castitatem servare, et vitam aeternam adipisci, communiter habitet, id est ad monachorum congregationem, seu collegium accedat, et ibi sub regulis monasticis vitam ducat sanctam, immaculatam, piam, Deo acceptabilem, ab omnibus saecularibus curis segregatam, in humilitate, obedientia, in patientia, et charitate fraternitatis, in silentio, et rerum privatione, in oratione, et ieiuniis, in mortificatione, et pace, in mundi negatione, et in reliquis omnibus caelestibus virtutibus; ita ut recedat ab omnibus huius mundi concupiscentiis. Haec faciant, qui monachi esse volunt.

16. Sine facultate et consensu archiepiscopi dioeceseos nemo audeat episcopus ordinari, vel fieri praepositus, vel pastor et praelatus monasterii, vel eremi. Si vero aliquis simoniace ordinatus fuerit, homo pecuniam, vel aliam quamcumque rem accipiens aut tradens, anathema sit, et excommunicatus. Episcopus ergo non laboret acceptione personarum, neque habeat rationem alicuius ob eiusdem nobilitatem sanguinis, neque indignos ad ordines promoveat; nec e contrario ignobilem contemnat, qui propter morum probitatem et scientiam dignus sit: nam stultos et ignobiles mundi ac contemptibiles elegit Deus, ut confundat elatos homines et potentes. Qui igitur in tale crimen incidunt, excommunicentur, et honore ac sacerdotio priventur.

17. Si quis fert reliquias martyrum, habeat epistolam ab episcopo illius loci, docentem unde tulerit eas, quam ostendat episcopo suo, et iussu eius ac dispositione ponat ipsas in templo sancto ad venerationem fidelium: et si altare erigere vellent, non audeant id facere sine licentia episcopi, qua obtenta, festum sollemne instituent in die adventus reliquiarum sancti martyris: et curent honore ac veneratione eas prosequi, ne loco intercessionis, ad iram ac indignationem permoveant illos, qui pro Christo martyrii cruciatum sustinuerunt.

18. Si quis populus, seu presbyter, seu discipulus a proprio episcopo, vel magistro fuerit excommunicatus, vel suspensus, alius episcopus non audeat eum absolvere; sed admonens delinquentem, pro eo intercedat apud proprium episcopum, atque in gratiam eius reducat ipsum.

19. Si quis sive presbyter, sive diaconus, sive monachus in incestu, vel sodomia deprehendatur, a sacerdotio extrudatur, et signo vulpis inusto signent eum in fronte, et tradant eum ad paenitentiam apud anachoretas; ubi si iterum in idem incidat peccatum, ambos amputent nervos, et hospitio leprosorum tradant eum. Eadem poena puniantur etiam viri, et mulieres, ceterique domestici eorum, qui in huiusmodi nefando facinore deprehenduntur: filii autem eorum, qui malum non non agnoverunt, tradantur sanctis ministris Dei, ut eos alant in sancta fide ac timore Dei.

20. Si quis e populo in huiusmodi incestu, vel sodomia invenietur, et parochus eius non revelet eum episcopo, eamdem poenam, quam canones contra incestuosos statuerunt, ipse subeat, et in posterum non audeat sacerdotali munere fun-

gi omnibus diebus vitae suae, ut eius exemplo ceteri discant bene pascere et regere populum Dei. Si vero parochus rem ad episcopum referat, hic autem negligat, personam reverens, et gratia turpis lucri mandata Dei contemnat, de sede sua omnino deponatur. Episcopo vero delinquentem punire volente, si quis illius provinciae vel urbis princeps pecunia corruptus reum defendat, vel episcopum a puniendo impediat, anathema sit, et ab ecclesia sancta arceatur, donec delinquentem sub episcopi potestatem redigat. Item si quis princeps, seu magistratus, in huiusmodi execrando facinore deprehendatur, vel etiam domestici eius, sive uxor, sive filia, sive filius, tradant eos episcopo; alias si vi resistant, excommunicentur omnino cum universa familia sua: nemo inde audeat talem hominem alloqui, donec ab huiusmodi turpitudine se avertat, secus comprehendant eum, et omnes domesticos eius in forum adducant coram principibus, et praepositis supremis, qui unanimiter vindicent legem Dei, ut ceteri discant in sanctitate et timore, omnium rerum creatorem honore ac veneratione prosequi, ac integer conservetur ordo pietatis, et cultus Dei; nos autem esse queamus veri famuli Dei verbo et opere, unde ab eius bonitate speremus, atque hereditemus infinitam munificentiam in saecula saeculorum. Amen.

IOHANNIS MANTACUNENSIS ARMENIORUM CATHOLICI (1).

1. In quadragesima diebus sabbati, et dominicis non ieiunare, ac vespere ad paenitentes concionari.

2. Diebus dominicis, et paschate usque ad pentecostem non genuflectere.

3. Diebus sabbati, ac dominicis ieiuniorum (ante pascha) perinde frangitur ieiunium sive esu casei, sive ovi, sive olei, sive piscis, sive vini potu.

4. Die sabbati non abstinere ab operibus servilibus.

5. Non facere animalium mactationes diebus feriae quartae et sextae.

6. Epiphaniam, et nativitatem Domini simul celebrare.

7. De ieiuniis transfigurationis, et de festo primi omnium sacellorum mundi (2).

8. Daemones sine Dei permissione in hominem intrare nequeunt.

9. Energumenis communionem non praebere usque dum purgati siut.

Deo optimo maximo, hominum amatori, gratias semper agere debemus, quia fecit nos intelligentia, ratione, et anima praeditos, manifestavitque nobis nomen sanctum suum, ac dixit: ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.

1. In ieiuniis sancti paschatis canones vetant ieiunare die sabbati: et patet, nam vespere sabbati fit concio ad paenitentes, et quia hic dies est praecursor regis, qui obviam procedit diei dominico luminibus, ac cereis accensis. Ast die dominico ieiunare neque canones, neque doctores iubent, imo anathematizant, atque excommunicationes minantur, uti etiam CXVIII. episcopi nicaeni concilii anathema huic rei dixerunt.

2. Neque dominicis a paschate ad pentecostem genuflectere, sed stantes orare.

3. Si quis dicat, quod vinum sit fructus vitis, oleum autem arboris cuiusdam, ac piscis aquae, (respondemus:) O infor-

(1) Hic saeculo Christi quinto ecclesiam armeniacam rexit.

(2) Altero post pascha dominicali die celebratur apud Armenios festum primi templi, ut quidam putant, urbis Sion sive apostolorum; hi enim creduntur, ex constanti traditione, templum fecisse ex caenaculo ubi Iesus Christus eucharistiae mysterium instituerat. Alii vero existimant, eo festo Armeniorum celebrari dedicationem primi in Armenia templi a S. Gregorio illuminatore fundati in provincia Taronia. Huius certe templi quotannis dedicatio sollemniter agebatur, idque invisebat patriarcha, cum universo magistratu ac populo, prout historici armenii narrant.

mis sententia! Haec est Nestorii maledicta secta; Basilius enim caesariensis piscem feram vocat; apostolus autem testatur aliam esse carnem pecorum, aliam volucrum, aliam autem piscium; ergo quam apostolus carnem vocat, haereticus hic homo aquam esse dicit? Qua ratione tamen aqua dici possit piscis, qui animal est articulis, ossibus, nervis, sanguine, et oculis, compactus? Age sedulo scrutare, et vide discrimen, quod est inter pisces undivagos, ac feras terrestres. Leo enim, tigris, ursus, draco qui coluber est immanis, scylla, et hydra palustres, uti fabulae referunt, Cerberus est canis triceps, hydra autem atrocior ipso; hi tamen natos suos numquam devorant; ast piscis filios suos, ac sanguinem comedit non solum, verum etiam carnem hominis: quo pacto igitur aqua dicetur? Sunt quidem etiam aves, et alii quidam animantes amnicolae. Quis enim unquam sine aqua vivere possit? Scripturae etiam piscem animal esse testantur, atque de piscibus oblationes fiunt.

Nunc de oleo dicemus. Scripturae butyrum, et oleum idem esse dicunt (1). Nam Isaias ait lignum *iuhg* butyri; David autem: senectus mea in oleo pingui. Item etiam evangelii liber, cum de quinque fatuis virginibus sermonem facit, ait: oleum secum non sumpserunt. Date nobis ex *iuhg* butyro vestro. Ergo late patet, quod oleum ac butyrum idem sint. Adam vero non quidem caseum comedit, sed fructum arboris, tamen a paradiso expulsus est. De vino autem scripturae dicunt, ebriosos deteriores daemoniacis esse; unde apostolus etiam dixit: nolite inebriari; non dixit nolite bibere vinum, quod propter animi solatium bibendum est, uti Noë fecit, non autem ebrietatis studio. Cum enim moderate sumimus, honesto sensu agimus, dum vero inebriamur, in contrario sensu versamur, ac negligimus quae Dei sunt; de quibus Isaias ait: vae, qui surgunt mane, et siceram sequuntur, qui morantur in ea usque ad crepusculum; vinum enim comburet eos. Et alibi: sacerdos et propheta exciderunt mente propter siceram. Inde Nazaraei, Samuel, Samson, et filii Ionadab, comedebant quidem carnem, sed siceram, ac vinum numquam bibebant: nam vinum, et palmae sicera idem sunt, uti et scripturae testantur. Item etiam caseum, butyrum, ovum, piscis, et oleum, idem sunt: si vero aliquis dicat, ovum spatio viginti dierum in animal converti, verum si hi dies non perficiuntur, mori; (respondemus) nemini licere negligere constitutiones, quas apostolorum ac prophetarum testimoniis ex sacra scriptura novi ac veteris testamenti desumptis statuerunt doctores, Athanasius nempe, Cyrillus, Iohannes, Isaacus, Cyrillus hierosolymitanus, Agapius, Gregorius theologus, Gregorius nyssenus, Gregorius neocaesariensis, Basilius caesariensis, Irenaeus, Origenes, Eusebius, Clemens, Timotheus, Iohannes constantinopolitanus, Zenobius, ac tandem Severianus. A paschate ad pentecostem, et omnibus diebus dominicis (canon) iubet non genuflectere, sed stantes atque adorantes preces fundere.

4. A pentecoste ad diem transfigurationis per duas (*imno* quinque) hebdomadas carnibus vescendum, una autem ieiunandum est. Transfiguratio est festum apostolorum: feria autem omnium sacellorum repraesentat feriam taberna-

(1) Monitum interpretis. Vox *iugh* apud Armenios frequentius oleum denotat, uti videre est apud auctores, et in sacris scripturis, quod proprio nomine *seth* appellant; aliquando vero butyrum significat, quod proprio nomine *garak* dicunt: indiscriminatim ergo *iugh* oleum, et butyrum denotat, quod perfacile est colligere ex sensu sermonis. Heic igitur auctor horum canonum, seu scriptor, vocem *iugh* pro butyro tantum usurpat, ac vocem *seth* pro oleo; ac ideo etiam illis in locis in quibus apud sacram scripturam vox *iugh* pro oleo accipitur, ipsa pro butyro sumit, ut pinguedinem denotet tam in oleo quam in butyro existentem. Ideoque et nos in hac nostra interpretatione vocem *iugh* semper butyrum explicavimus, ne per vocis olei iteratam repetitionem sensus vocabuli confunderetur, quod scriptor cogitatione sua intelligit.

culi veteris, hodie vero pervigilium sancti altaris, quod Hierosolymis est, nec non commemorationem omnium martyrum.

5. In primis ieiuniis pentecostes, die parasceve, ieiunandum est, quia non licet in ea comedere, sed ieiunare oportet usque ad vesperam. Nonnulli vero hanc parascevem diei dominicae honore prosequuntur, et a servilibus operibus abstinent, quod reapse peccato non caret: et vocant eam grandaevam: ecquisnam vidit ingravescentem eam? nonne quinque praecedentes dies maiores sunt ea?

6. Qui in feria quarta et sexta commemorationes martyrum celebrant, ac festum faciunt per animalium mactationem, peccant. Nam si hic ordo rectus esset, etiam in magna parasceve opus erat *madagh* peragere, quia Christus Deus noster creator caeli, et terrae illa die crucifixus est, eademque die permulta evangelia, lectiones propheticae et apostolicae, ac psalmi recitantur; illa die omnes homines Christus a peccatis liberavit, paradisi ianuas per latronem reseravit, ac homines a diaboli captivitate illa die recuperavit: sed tamen ordo ecclesiae die illa ieiunare iubet, ac eius loco libere vesci sex illis diebus usque ad pentecostem (nempe sex dies parasceves sex hebdomadarum, quae inter pascha, et pentecostem intercedunt).

7. Non licet nativitatem Domini ante epiphaniam celebrare (1): nativitas enim ac epiphania idem sunt. Hoc autem patet ex lectionibus, quae dicunt: Iesu Christi autem generatio sic erat.

8. Daemones sine permissione Dei numquam audent intrare in hominem. Hoc autem patet ex historia Saulis: spiritus a Domino malignus suffocat te. In sabbato vero Deus dedit potestatem Satanae. Sic enim dixit Deus ad Satanam: ecce trado tibi eum. Item etiam in gregem porcorum ingredi ausi non fuerunt daemones; quomodo igitur in hominem intrare ausint sine Dei permissione? Sed tamen scripturae dicunt daemones in homines intrare: in nonnullos quidem, qui innocentes sunt, ut magis magisque virtutibus effulgeant; in quosdam autem, ut puniant eos; in alios vero, ut iidem corrigantur.

9. Sed non licet his eucharistiam sumere donec purgati fuerint. Si vero in illo statu mortuus quispiam fuerit, ac ipse in conformatione cum Dei voluntate remanserit, inter martyres apud Deum gloria cumulabitur; de quo apostolus ait: tradite huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.

EIUSDEM IOANNIS MANTACUNENSIS ARMENIORUM CATHOLICI, ET INTERPRETIS EX NUMERO DISCIPULORUM ISAACI MAGNI PATRIARCHAE.

SERMO CANONICUS.

Ego quidem, quantum in me est scientiae, hoc unum dico, quod si quis puerum, vel indoctum, ac mente rudem, qui ne ad aures quidem populi evangelium in sanctuario legere possit, neque doctrinas, quae sacerdotali muneri conveniunt, edoctus fuerit, ordinaverit, poenam, qua ille mulctandus erat, ipse subeat, qui eum ordinaverit, quia ignorantiae ac peccatorum, quae ille adversus canones committet, ipsi causa imputanda est Oportet igitur, maximeque necesse est viros doctos, ac aetate firmos dignos arbitrari, qui quidem possint populum regere. Hac enim de caussa et Paulus commotus clamat, ac manifeste Timotheum increpitat, dicens: manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Et alibi: non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli; oportet enim presbyterum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, et qui curam gerat fide-

(1) Refutatur haec doctrina a Theoriano graeco in disputatione edita T. VI. huius collectionis.

liter circa doctrinam sermonis. Quemadmodum vero Paulus Christum vocat mediatorem Dei et hominum, sponsorem, et redemptorem totius mundi; nonne pari sane modo oportet presbyterum esse immaculatum pastorem, ac redemptorem propitium peccatorum populi Dei? Scriptura autem de magno Moyse ait: erat Moyses vir mitissimus, humilis, ac mansuetus prae cunctis hominibus, qui in terra versabantur, et edoctus fuerat doctrinam universam Aegyptiorum. Si igitur qui humilis erat, et mansuetus, et doctus, et immaculatus, et fidelis nuncius Dei, et verus inspector populi, non potuit a peccato populum eximere, neque a plagis Dei illum liberare, ac promissae terrae heredem facere; quid de presbyteris dicendum, qui ignorantes sunt, et vitiis scatent? Quomodo poterunt liberare populum a peccatis, qui ne se ipsos quidem a peccatis eximere queunt? ne dicam regere populum Dei, advocatos pro eo apud Deum existere, tandemque ducere ipsum ad regnum Dei? Scriptum enim atque praeceptum est: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Ideo praecipio vobis praesulibus ecclesiae: attendite ne quempiam ex indoctis ad ordines promoveatis, neque pecunia corrupti aliquem ad episcopatum, presbyteratum, vel ad quemcumque ordinem promoveatis; sed omnia iuxta evangelii Salvatoris nostri ad discipulos suos praeceptum peragite, quod ait: gratis accepistis, gratis date.

ABRAHAMI MAMICONENSIS EPISCOPI (1) AD VASCIAKANUM ALBANORUM ARCHIEPISCOPUM.

1. Quod animae defunctorum non habeant scientiam rerum huius mundi.

2. Quod Deus sit remunerator, atque receptor orationum, quae fiunt apud reliquias martyrum.

3. Quod animarum hominum defunctorum non sit aequalis scientia.

1. Attende, o dilectissime, quod si quis scientiam vel inscientiam rerum tribuet defunctis, quanam fide dignus futurus sit? Quis enim est tam insanus, qui nesciat, quod non defuncti, verum ipse Deus suscipit missam, quae pro eis offertur; qui vota retribuit, ac orationibus aures praebens animas defunctorum in spem extollit? Hoc idem docent nos sacrae quoque scripturae. Eliseus enim non quidem pueri mortui preces, sed matris eius supplicationes audiens, puerum resuscitavit, ac matri reddidit. Similiter Dominus Deus noster viduae Naim preces suscepit, ac filium matris suae unicum resuscitavit: item et apostoli lacrymas viduarum videntes, Tabitham resuscitaverunt, atque eam illis reddiderunt. Si igitur potentia Dei per hominum viventium orationes a mortuis ad vitam revocare potest; multo magis ab eo remissionem peccatorum consequi credamus pro defunctis spem foventibus, pro quibus viventes eum deprecantur.

2. Si autem aliquis de Dei martyribus dubium aliquod habeat, sedulo mentem ad rem advertat (2). Per varia, ac remota loca reliquiae unius martyris dispersae sunt: uti divi Petri apostoli Roma per Armeniam, Albaniam, fortasse etiam Aethiopiam, ac Persidem. Quid ergo dicendum? Numquid spiritus Petri divisus ac dispersus in singulis partibus reliquiarum suarum fuerit, an idem spiritus integer remanens ubique existit? Certe utraque res impossibilis est. Nam anima indivisibilis est, corpus autem materiale est, ac ideo divisibile: sed ubicumque existere, soli divinitati convenit. Cur ergo preces effundimus ad reliquias martyrum? Ut intercedant pro nobis apud Deum vi divinae illius gratiae, quae in ossibus eorum ab hora martyrii ipsorum residet,

(1) Cognoscebatur hic saeculo Christi sexto, atque inter alia opuscula hos quoque canones posteritati reliquit. Albanos inter Euxinum et hyrcanum mare habitasse compertum est, in Armeniae maioris confinio.

(2) Notemus praeclaram de cultu martyrum doctrinam saeculo ecclesiae sexto litteris consignatam.

quaeque dividitur atque dispergitur cum reliquiis eorum, semper indivisibilis remanens secundum suam naturam; divina enim est virtus. Hoc docet nos etiam lux solis; ipsa enim dum per obiecta dividitur, indivisibilis remanet secundum naturam suam: verumtamen non semper hanc virtutem habet, quia creatura est, ac corruptioni obnoxia. (Dicet aliquis.) Atqui si quocumque in loco sint reliquiae sanctorum, ibi et divina gratia est, quae quidem suscipit deprecationes nostras, ac iuxta uniuscuiusque necessitatem bona retribuit, creatoris enim habet potentiam; cur sanctorum martyrum omnino intercessionem quaerimus, ac minime ipsum Deum obsecramus? (Respondeo.) Quia pudore suffusi sumus propter peccata nostra, nequimus libere accedere ad Deum, ac proinde mediatricem habemus fiduciam erga sanctos, qui templum sunt Spiritus sancti, ut per eos Deum gratissime alloquamur, ne confundat nos in petitionibus nostris, sed pro sua indulgentia amplissima annuat petenti iuxta propriam petitionem: nam universa creata natura habet quidem potestatem intercedendi, numquam vero remissionem concedendi. Satis de hoc dictum arbitramur.

3. Scientiam autem defuncti circa res praeteritas, valde inaequalem possident. Quoad vero futurarum rerum scientiam, duo sunt distinguenda. 1. Defuncti vel usu rerum, ac corporis forma (aliquo obiecto) cognitionem acquirunt, ut memoriam indelebilem habeant eius, quem aliquando visu agnoscebant: qui vero ad senectutem perveniunt scientiam rerum, quam in infantia mente nutriebant, amittunt. 2. Vel prophetico spiritu aliquem agnoscunt, uti Petrus agnovit Moysem et Eliam in monte. Ergo omnino universalem esse scientiam in defunctis omnibus, absurda mihi adfirmatio videtur. Quomodo enim dormierunt, ita etiam resurgent; quidam senes, quidam viri, quaedam vero mulieres. Dominus in evangelio angelis comparat filios resurrectionis. Tamen non omnes prophetico spiritu res agnoscunt, verum illi tantum, qui pii sunt, qui quidem laetantes in dextra parte, iuxta quod dictum est in evangelio, vocati ad regnum Dei acquirunt (scientiam.)

ISAACI HOC NOMINE ULTIMI (1)
ARMENIORUM CATHOLICI

CANONES.

1. Episcopum non oportet induere sibi ferrum (cilicii more.)

2. Episcopum non oportet gradum suum deserere, et solitudinem petere.

3. Sacerdoti, qui solitudinem petit, licet dicere " benedictio, et gloria etc. (2).

4. Sacerdoti, qui lepra laborat, licet private dicere: benedictio, et gloria etc.

5. Porrigine, aut lepra laborantem non oportet ad solitudinem ire, vel habitum monachalem induere, sed in hospitio infirmorum habitare decet.

6. Porrigine vel lepra laboranti licet communionem a nobis praeberi, nisi in peccato versetur.

7. Monachus, qui porrigine vel lepra laborat, in suo monasterio habitet.

8. Neminem viventem exequias suas peragere.

9. Sanctam eucharistiam a die dominica ad dominicam tantum conservare.

10. De iis qui extra missam communionem sumunt.

11. De Stilitis communionem sumentibus.

12. De sancto altari, quod destruitur.

13. De vasis olei.

14. De oleo, quod superest.

15. De exequiis, quae fiunt quadragesimo ab obitu die.

(1) Hic est Isaacus tertius, qui usque ad annum Christi DCCIII. patriarcha fuit. Samuel Aniensis in chronico.

(2) Adnotatio interpretis. " Est haec quaedam oratio, quam dicit sacerdos in divinis officiis recitandis; idemque valet ac penes latinos, *Dominus vobiscum*; quod sacerdotes excommunicati prohibentur dicere, atque eius loco dicunt: *Domine exaudi orationem meam* ".

COLLECTIO CANONUM IOANNIS STILITAE (1) QUIBUS ADPONUNTUR RESPONSIONES ISAACI ARMENIORUM CATHOLICI AC EIUS COEPISCOPORUM PLURIMORUM.

CAPITULA XV.

1. Quaestio. Utrum liceat episcopo dum in ecclesia sua residet, ac munere suo episcopali fungitur, ferrum sibi induere, et sic regimen suum exercere?

Responsio. Minime licet; nam hypocrisεos, ac studii hominibus placendi suspicionem praeberet populo suo.

2. Q. Utrum liceat episcopo relicto opere ministerii sui, monasticam vitam amplecti?

R. Minime licet, sed in qua vocatione vocatus est, in ea perpetuo permanere debet.

3. Q. Viro, qui fornicatus est, ac multis aliis criminibus inquinatus, et invitus ad presbyteratum adsumptus, deinde vero propria conscientia commotus, ordinem relinquens, maximam paenitentiam adgreditur, ac dura conditione vitam gerit, utrum liceat in privata sua vita dicere: benedictio, et gloria etc.?

R. Licet, praesertim si private vivat.

4. Q. Utrum liceat presbytero porrigine vel lepra affecto in privatis suis orationibus dicere: benedictio et gloria etc.; et utrum evangelizare, an potius laicam vitam degere.

R. In privatis suis orationibus licet ei dicere: benedictio, et gloria etc. Verumtamen praeter hoc, alio ministerio non audeat fungi.

5. Q. Utrum porrigine vel lepra affecto habitum monasticum sibi induere liceat, et in solitudine habitare religionis causa?

R. Non licet, sed potius persistere debet in hospitio infirmorum.

6. Q. Utrum liceat porriginoso vel leproso sacram eucharistiam sumere; an ob morbum abstinere ab ea debeat, quamvis mundus sit peccato?

R. Si mundus est peccato, libere quidem accedat: nam eucharistia non abominatur corpus morbo affectum, verum animam et corpus peccatis inquinatum.

7. Q. Utrum liceat monacho, qui in eremo est, dum porrigine vel lepra afficitur, eremum relinquere, ac se ad hospitium infirmorum conferre?

R. Non licet, sed in eodem religioso statu perseverare, et in eremo habitare debet, nisi res gravius urgeat.

8. Q. Utrum liceat cuipiam adhuc viventi missas celebrare, vel exequias peragere ac suffragia, et prandium pauperibus dare pro anima sua, an haec omnia post eius obitum agenda sint?

R. Non licet ante mortem missas ac exequias exitus animae propriae peragere: nam sancti apostoli, et deinde sancti patres praeceperunt peragere haec post vitae finem, propter animae requiem, ac peccatorum remissionem.

9. Q. Utrum liceat panem oblatum, consecratum, ac in corpus Dei conversum anno integro in tabernaculo conservare, uti aliqui solent, vel etiam ultra annum; nec ne?

R. Minime licet, nisi a die dominica ad dominicam, vel a sacrificio ad sacrificium, non autem diutius.

10. Q. Utrum oporteat presbyterum extra ecclesiam, urgente necessitate, in carcere detentis, vel infirmis sacramentum eucharistiae administrantem, recitare orationes, quae fiunt ante consummationem, vel eas, quae post in gratiarum actione; nec ne?

R. Oportet illum recitare orationes, quae sunt ante consummationem.

11. Q. Stilita, vel anachoreta, qui sacramentum eucharistiae percipere vult, debetne in suo eremo, vel super columna sua preces consummationis, et gratiarum actionis per se recitare, an hae preces pertinent ad eum qui missam celebrat?

R. Oportet illum recitare preces con-

(1) Hi canones in nonnullis codicibus nomen Moysis chorenensis, qui saeculo quinto floruit, inscriptum habent.

summationis, quibus satisfactum arbitramur orationi gratiarum actionis.

12. Q. Sunt quaedam sacella, in quibus altare erectum est, super quod quotidie sacrificium non peragitur, neque sacerdos, neque minister adest, sed semel tantum in anno missa super eo celebratur: nunc quaeritur utrum oporteat hoc altare veneratione prosequi, an destruere?

R. Oportet destruere, nam quia quotidie super eo mysterium non peragitur, non est iam altare, sed derelictum, et contemptum fit.

13. Utrum liceat, sine offensione conscientiae, uti oleo, quod Assyrii ferunt in utribus confectis ex corio animalium immundorum, nec ne?

R. Licet: nam multae res immundae saepe pluris aestimantur apud homines, quam mundae, uti ebur, sericum, pellis pardi, et alia.

14. Q. Utrum liceat hoc oleum admiscere oleo baptismatis, et eo homines confirmare: vel utrum liceat omnino uti oleo antiquo quod superest?

R. Minime licet uti oleo antiquo, nam amittit virtutem (benedictionis), sed oportet singulis annis accipere a Catholico, iuxta canonica praecepta sancti patris nostri Isaaci.

15. Q. Utrum exequiae, quae pro defunctis fiunt die quadragesimo post obitum eorum, sint laudabiles, et acceptabiles, et a quonam fuerint istae imperatae?

R. Iure ac merito laudabiles et ratae habendae sunt, atque homines hortari decet ad has peragendas; indictae enim et traditae ab ipsis apostolis fuere.

Hoc est stadium sanctorum patrum in Spiritu sancto pugnantium, quod nobis etiam cupientibus exhibetur ad sananda corporis vulnera, et ad allevandum onus animae, per peccata impositum, iuxta animi nostri desideria.

CANONES IOHANNIS PHILOSOPHI ARMENIORUM CATHOLICI (1).

CAPITULA XXXII.

1. De episcopo, aut presbytero aut diacono, qui inebriatur.

2. De laico similia faciente.

3. De sabbato, et vigilia paschatis.

4. De iis, qui crastina die matrimonium inituri sunt.

5. De quadragesima paschatis.

6. De sabbatis, et dominicis quadragesimae.

7. De *ieiunio* iisdem diebus frangendo, vel observando.

8. De pane et calice, qui sancto altari imponuntur.

9. De sancto chrismate.

10. De oleo catechumenorum.

11. De oleo infirmorum.

12. De sancto altari.

13. De sacro baptismatis fonte.

14. De impositione manuum super catechumenos.

15. De sacerdote, qui matrimonio benedicit.

16. De bigamorum matrimonio.

17. De vesperis sabbati.

18. De officiis nocturnis peragendis ante dominicam.

19. De trisagio dicendo.

20. De dicendo, qui crucifixus es.

21. De praecedentibus psalmis, et denunciationibus (obsecrationum).

22. De officiis matutinis.

23. De officiis vespertinis.

24. De matutinis dominicorum dierum.

25. De denunciationibus quatuor laudum.

26. De aquae benedictione in die epiphaniae.

27. De cruce benedicenda.

28. De crucis adoratione, et cultu.

(1) Iohannes, hoc nomine quartus, patriarcha Armeniorum, Ozniensis dictus et philosophus, saeculo octavo cognoscebatur.

29. De non communicando cum schismaticis.

30. De evangeliis baptismi legendis in die epiphaniae.

31. De sanctificanda die dominica usque ad vesperas.

32. De impiis sectariis, qui Pauliciani nuncupantur.

CANONES IOHANNIS ARMENIORUM CATHOLICI.

1. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quivis de numero atque ordine clericorum inebriatus fuerit, minime audeat munere suo fungi, usque dum per aliquot dies paenitentia ieiuniis atque orationibus se purgaverit; et post haec accedat ad ordinem suum, et communicet: si vero in ea perseveret ebrietate, deponatur.

2. Laicus similia faciens non audeat communicare, nisi praevia paenitentia: si vero in eadem luxuria morabitur, segregetur.

3. Die sabbati, quod est pervigilium paschatis, non licet matrimoniis benedicere; nam sanctae dies resurrectionis nobis imminent, in quibus oportet orare, vigilare, atque spiritali ordine animabus consolationem adhibere, non vero corporali luxuria mysteria sanctorum dierum profanare, atque iniuria afficere. Si autem quis hoc fecisse inventus fuerit, matrimonium irritum sit, et ipsi poena maneat usque dum paeniteat. Episcopus autem re perpensa humanitatem prout voluerit in eundem expromat.

4. Non licet, dum crastino die matrimonium inituri sunt, a vesperis diei antecedentis convivia peragere, crapulae operam dare, atque inebriari, verum oportet pietate atque orationibus se dignos efficere benedictione sacramenti matrimonii et divina communione. Si vero aliquis secus fecisse inventus fuerit, sacerdos illa die non administret, sed uti diximus, praecipiat eis, ut altera die revertantur: omni cautela et dignis dispositionibus se comparent, atque communionem percipiant.

5. Non licet in sancta quadragesima, neque postea usque ad sanctam pentecostem nuptias facere, ne earum celebratione mysteria illarum dierum iniuria afficiantur: cuncti namque dies "(idest a paschate usque ad ascensionem et ad pentecostem,,) dominici sunt, in et eis divinum sacramentum celebratur.

6. In quadragesima oportet sabbatis et dominicis diebus missam celebrare cum timore ac reverentia, iuxta sanctorum patrum, quas in conciliis ediderunt, constitutiones. Si vero aliquis verbo aut opere mandato nostro restiterit, si sit clericus deponatur, si laicus segregetur.

7. Ieiunandi autem, vel ieiunia frangendi, in quadragesima, diebus sabbatis et dominicis, unicuique sit facultas: attamen hoc unum animadvertendum, nempe unumquemque gratias agere debere Deo, ceteroquin facere quodcumque sibi placuerit, cum omni honestate, ac sine offensione conscientiae, sine contentione ulla, et quin proximos suos spernat; nam utrumque acceptabile est Deo, et ita ecclesiae Christi traditio se habet.

8. Oportet panem azymum, et vinum merum super sanctum altare ponere, uti tradidit nobis sanctus Gregorius, neque aliarum gentium christianarum traditionibus mentem advertere; nam sanctus illuminator noster "ex legalibus (1) id sumens,, more apostolico hoc detulit ad nos, et praecepit populo suo sic facere. Similiter etiam sal benedictum in mactatione agaparum adhibere; ac more leviticae gentis propriam ecclesiae gratiam conservare. Ergo oportet nos in hoc persevera-

(1) Nempe ex vetere testamento, sive ab exemplo Melchisedechi qui panem et vinum obtulit, quae oblatio divinam eucharistiam praefiguravit. Ceteroquin ipse venetus el. Edtior observat Armenios orthodoxos iamdiu se universalis ecclesiae consuetudini conformavisse, aqua cum vino admiscenda. Recole etiam dicta a nobis p. 272. n. 1.

re, neque id negligere, vel novitates introducere.

9. Oportet ac decet sanctum chrisma, oleum videlicet suaviter olens, Catholicum in benedicere, et singulos episcopos semel in feria quinta paschatis: sacerdotes vero, uti praeceptum est, debent ab ipsis accipere oleum hoc, et eo augere altaria, templa, et cruces: quoad vero baptizatos eo utantur ad unctionem dumtaxat filiorum adoptionis, quae fit post baptismum confectum (haec est unctio sacramenti confirmationis); ad aliud autem non adhibeant oleum hoc, neque per se benedicere audeant.

10. Oportet ac decet sacerdotem oleum catechumenorum benedicere pro singulis baptizandis, quantum satis fuerit ad usum praesentem: eoque baptizatis adhibito, illico consumere. Neque audeat semel benedictum, iterum benedicere, et ex eo ad baptismum venientes ungere, neque in aliis mysteriis conficiendis eodem uti.

11. Oportet sacerdotem benedicere oleum infirmorum, orationibus propriis adhibitis, quantum sufficit illius horae usui (1).

12. Non licet altare, super quod offertur corpus et sanguis Christi conficere ex ligno, neque mobile; sed lapideum sit atque firmum. Siquis autem restiterit, ac iuxta praecepta nostra, et ecclesiae catholicae traditionem non egerit; episcopus quidem honore suo privetur, altare autem contemptum atque interdictum maneat.

13. Non licet sacrum fontem baptismatis conficere indiscriminatim e quacumque materia, vel ubique eum collocare; sed oportet, ut sit de lapide confectus, atque in ecclesia vel in baptisterio prope ecclesiam situs.

14. Oportet ac decet manuum impositionem super catechumenos, unctionem, atque abrenunciationem peragere ad ianuam baptisterii, deinde intrare ad fontem, et ibi baptizare.

15. Qui sunt matrimonio coniungendi, oportet, ac decet a presbytero deduci ad ecclesiam, et ibi in loco sacro perfici super eos ritum matrimonii iuxta morem christianorum. Qui vero negligens haec, pertinaci animo, non ita, sed aliter fecerit, ac iniuria leges et matrimonii sacramentum affecerit, sacerdos quidem honore suo privetur, sponsi autem denuo matrimonio iungantur iuxta leges christianorum, uti et apostolus praecepit: omnia vestra honeste, et secundum ordinem fiant.

16. Ad secundas nuptias accedentes item oportet, iuxta priorem modum, per mediatores desponsatoresque adhortari ut mutuum consensum dent; et per ecclesiae ac sacerdotum benedictionem accipiant legitimi coniugii signaculum. Si qui vero ita non fecerint, sed concupiscentia prius mutua exarserint, fuerintque polluti, hi dividantur ac subiiciantur canonibus statutisque contra moechantes disciplinis. Sin autem separari noluerint, post decem paenitentiae annos, per eleemosinas et lacrymas fiant digni, qui in ecclesiam Dei recipiantur.

17. Oportet vespere sabbati martyrum officium celebrare, genua non flectere, et luminum hymnum canere, id est lux hilaris etc.

18. Officium dominicale nocturnum celebrandum est, vigilando, et orando corpore erecto, ut praeteritae hebdomadae culpas deleamus, nosque dignos efficiamus percipiendi vivificans ac omne scelus eluens sacramentum: sic enim expectandus est cum omnimoda alacritate paratoque animo bucinae sonitus in adventu Domini sonaturae, atque regnum ineffabile sempiternum.

19. In matutinis officiis vespertinisque, expleto universo officio, decantetur *sanctus Deus*: deinde in vesperis subiungatur requiei psalmus; mane autem, solis orientis. Cum autem missa celebratur, sub officii initio cantetur *sanctus Deus*.

(1) En priscus Armeniorum patriarcha extremae unctionis sacramentum ministrari praecipit, quod apud eius gentis schismaticos, pessima incuria sacerdotum, iam desuavit.

20. Oportet in trisagio canendo, ter addere "qui crocifixus es (1)", neque licet imminuere hunc numerum; ne videlicet nosmet ipsos gratia crucis Christi privemus.

21. Aequum est in nocte, cum congregantur (*ecclesiae ministri*) ad officium, primum praefationis loco dicere quatuor psalmos unanimiter humili voce decurrente: primo loco, psalmum II.; secundo, psalmum LXXXVII.; tertio, psalmum CII.; quarto, psalmum CXLII. atque subtexere eorum praeconia, et orationes, quas eâdem mente fecit honorabilis Iohannes Mantacunensis Armeniorum catholicus. Praeconium est: *expergefacti*; oratio: *tibi gratias agimus*; eius autem requies (2): *respice, Domine, misericordiâ tuâ*.

22. Matutinum officium omnes debent similiter uno eodemque ordine peragere; sic enim decet Christi amatores, qui eiusdem linguae ac gentis sunt, unanimiter glorificare Deum, rectosque componere mores; siquidem scriptum est de sanctis apostolis: *omnes erant perseverantes unanimiter in oratione*. Ergo post *patrum* hymnum, et *miserere*, et *laudate Dominum de caelis*, oportet decantare *gloria in excelsis*. Deinde iuxta unumquemque diem antiphonas ex psalmis desomptas: feriâ II: *illumina, Domine, oculos meos*: feriâ III: *apud te, Domine, est fons vitae*: feriâ IV: *ego dixi, Domine, miserere mei*: feriâ V: *ego ad te, Domine, clamavi*: feriâ VI: *intret oratio mea in conspectum tuum, Domine*: sabbato: *emitte, Domine, lucem tuam*. Post praeconium autem, et orationem (*oportet*) trisagii glorificationem decantare una cum antiphona ad sanctam Dei genitricem: postea *orientis solis* psalmos chorali voce elata recitare.

23. Item et vespertinum (*officium*) similiter vicissim hoc eodem ordine ac modo peragere (*oportet*). Primum recitare psalmum *inclina*, alternando iuxta choros; quem honorabilis Nerses Armeniorum catholicus addidit; ut principium omnium cantandorum psalmorum sumatur ab oratione: iste namque psalmus oratio est David, sicut ex titulo eruitur post psalmum; *conserva*, sigillatim tres psalmi continuo secundum choros alternentur. Postquam autem *melodia* et *dirigatur* dicta fuerint, praeconium, et oratio fiat; deinde trisagium cantetur eodem modo; cum finis autem totius officii, requiei psalmus dicatur, alternis respondendo.

24. Porro matutinum diei dominicae suum habet ordinem hac ratione dispositum. Post patrum canticum dicatur *magnificat*; oportet namque eum, qui resurrectionem Christi celebrat, sepulcrum quoque una cum illa, ac sanctam virginem commemorare. Nisi enim natus fuisset, fieri non poterat, ut sepeliretur; nisi autem fuisset sepultus, neque resurrexisset. Idcirco quemadmodum sepulcri in evangelii lectione fit mentio, ita et sanctissimam Virginem *magnificat* recitando commemoramus. Nam sicut Salvatorem exceperunt vicissim, resurrectio a sepulcro, sepulcrum autem ab utero; sic vicissim sibi esse debent testimonio quod resurrexerit: haecque est vera incarnationis, et mortis Christi confessio. Verumtamen a nativitate ad resurrectionem consequenter uniuntur (*officii verba*); a resurrectione vero ad nativitatem retro ire impossibile est. Etenim fieri nequit, ut eorum, quae nondum Christus peregit, historia recolatur. Quamobrem annuntiatio quoque, et nativitas, et baptismus Christi coniunctim celebrantur (3); haec omnia porro, sicut et cetera Christi acta, in resurrectione coniuncta comprehenduntur. Haec sane de dicendo *magnificat* in dominicae diei matutino. Post illud autem, antequam evangelium legamus, tamquam si Christum adhuc in sepulcro esse arbitraremur, foris clamamus ad eum erga sepulcrum, dicentes: *exur-*

(1) Notissima et vieta controversia est de hac additione ad trisagium; qua ipsi Armenii orthodoxi, saltem post florentinum concilium, iam non utuntur.

(2) Nempe conclusio. (3) Recole p. 298. n. 1.

ge, Domine, adiuva nos, et libera nos; et: *Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei*; et: *regnabit Dominus in aeternum.* Verum post evangelii lectionem, tamquam si ipsummet resurrectum illico in nobis cum evangelico verbo exciperemus, nobis invicem imperamus inquientes: *in noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum*: quippe quia, exaudita oratione nostra, resurrexit, et auxiliatus est nobis, eripiens nos de morte, regnansque super universum orbem in sempiternum. Noctem tamen, haud (*noctis*) tempus dumtaxat, sed potius iudaicam incredulitatem nuncupamus, quae obscurissimarum similitudinem tenebrarum procul dubio praesefert, iuxta celebre Isaiae effatum: *anima mea desideravit in nocte vigilare de mane ad te, Deus*; hoc est, in medio impiorum audeo te Deum venerari. Haec itaque hoc modo; et sic ordinem prosequendo decet post hymnum *gloria in excelsis*, resurrectionem repetere. Porro *sanctus Deus* cum sanctae Deiparae commemoratione ad finem transferatur, quemadmodum et aliis diebus, iuxta exhibitam rationem. Post omnia vero *orientis solis* psalmus cantetur, *sit nomen Domini*, quem dicere coeperunt temporibus Esdrae catholici (1).

25. Oportet in nocturno officio post canones subiungere quatuor haec praeconia: *pro superna pace*; *ut die ac nocte*; *ut dirigantur gressus nostri*; *ut inveniamus gratiam*; quae eadem de causa composuit Isaacus Armeniorum catholicus; sicut et ad quodlibet officium sequentes orationes cum requiebus suis (2). *Domine Deus sempiterne*, requies: *largitor bonorum. Nocte et die*, requies: *pastor bone. Procidimus coram te*, requies: *tuae omnipotenti dominationi.* Postrema autem: "benedictus es, domine Deus noster, qui nos quoque peccatores dignos fecisti, qui te glorificemus. Suscipe, benigne et clemens Domine, omnium nostrum supplicationes, petitiones, confessiones, gratiarum actiones, et largire cunctis nobis copiosam tuam misericordiam, et miserationem. Ne derelinquas, Domine, populum tuum, neque despicias nos usque in finem propter nomen tuum. Non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis: sed fac nobiscum misericordiam tuam in mille et decem mille. Eripe nos ab omni laqueo diaboli, et transfer nos in regnum unigeniti tui Domini nostri Iesu Christi „. *Requies.* " Tibi commendamus animas nostras, Deus omnipotens, pater domini nostri Iesu Christi, qui habitas in excelsis, et humilia respicis in caelo, et in terra. Respice, Domine, in orationem deprecationemque nostram. Ne frangas pactum tuum, neque eiicias nos ab hereditate tua, sed secundum copiosam beneficentiam tuam dignos fac nos servos tuos ineffabili luce caelestis regni tui, per Iesum Christum Dominum nostrum, quocum te Patrem, et sanctum Spiritum decet gloria, principatus et honor, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. „

26. Die festo epiphaniae peragenda est aquae benedictio, in quam oleum chrismatis infunditur, cum idoneis precibus; idque ob commemorationem baptismatis a Servatore, nostri gratia, suscepti. Aeque in adventus die festo (sic Armenii appellant dominicam palmarum) oportet ramos attollere, flabella movere, exemplum sectantes puerorum hebraicorum, qui ramos gestaverunt; uti a regni nostri incolis et ab universis Christifidelibus traditione receptum est.

27. Siquis crucem ex ligno vel quavis materia fabricaverit, nisi eam presbytero benedicendam, et chrismate inungendam obtulerit, non licet eam honore prosequi aut venerari (3); caret enim divina virtute,

(1) Hic saeculo quinto vixit. (2) Seu conclusionibus.

(3) Ita censet auctor canonis, ex gentis suae consuetudine. Et quidem romana quoque ecclesia instrumentis sacro usui addicendis benedictionem impertiri solet.

et est praeter traditionem ecclesiae apostolicae.

28. Cruces autem, quae benedictae, et consecratae fuerint, quae quidem io divinis mysteriis peragendis adhibentur, oportet honore prosequi, colere, adorationem et oscula eis adhibere: in iis enim habitat Spiritus sanctus, perque eas largitur hominibus opitulationes, gratias curationum morborum spiritus et corporis; quamobrem, etiamsi mors ab ethnicorum manu immineret, crucis cultus non est deserendus; ibi enim summa spes versatur, et gloria martyrii.

29. Prorsus non licet cum schismaticis (1) indifferenter se gerere atque communicare; immo potius vitandi sunt, neque cum iis mensae sive spirituali sive corporali accumbendum: nempe ut ipsi erubescant, et desiderio afficiantur communicandi cum illis qui orthodoxiae sont custodes.

30. Die epiphaniae legendum est baptismi evangelium ex Matthaei capitulo; per totam autem octavam alternari evangelia nativitatis atque baptismatis, aequum iudico: sicuti enim festum utrique mysterio commone est, ita lectiones quoque et officia communia esse decet.

31. Quidam consueverunt diem dominicam sanctificare tantummodo usque ad prandii horam; deinde vero diei religionem non observare. Ideo praecepimos usque ad vesperas eodem honore eam diem prosequi, atque abstinere ab operibus servilibus, et a suscipiendo itinere; in vesperis genua minime flectere, et memoriam resurrectionis peragere.

32. In sectariorum impiorum, qui Pauliciani vocitantur, locis hospitari non licet, neque cum illis communicare, nec eosdem alloqui, vel omnino ad ipsos accedere: quin adeo fugiendi sunt, et odio execrationique habendi. Sont enim Satanae filii, et fomites aeterni ignis, atque ab obsequio erga voluntatem Dei creatoris, alieni. Siquis vero ad eos accesserit, eum iisque amore ac necessitudine copulatus foerit; hic enimvero corripiendus et gravi poena mulctandus, quoad resipiscat et ad sanam fidem redeat. Sin vero aliquem in hanc culpam rursus incidisse compertum fuerit, districte mandamus talem hominem excommunicari, et pestis instar procul ab ecclesiae christianae membris amandari; ne forte *radix amara sursum germinans impediat*, et *per illam inquinentur multi.*

CANONES SIONIS (2)
ARMENIORUM CATHOLICI.

Capitula XXIII.

1. Episcopus sive presbyter honorum humanorum studio ac voluptatibus deditus, ideoque curam populi negligens, ceu morbo spirituali laborans, deponatur.

2. Episcopus non audeat ex alieni episcopi paroecia presbyterum ordinare; secus deponatur et ipse, et ille cui manus imposuit.

3. Episcopus non audeat a peccantibus quicquam accipere in ecclesiae utilitatem; sed imperet potius ut ipsi peccantes largitionibus manu propria faciendis peccata sua expient.

4. Episcopi nolint permittere chorepiscopis, aut presbyteris, ut altare, et templum consecrent.

5. Episcopi non audeant chrisma benedicere, vel benedicto aliud oleum non benedictum addere, et presbyteris dispensare; verum singulis annis a catholico illud accipiant, iuxta canonica praecepta ss. Patrum.

6. Episcopi constituant doctores in ecclesiis, ne gratia scientiae Dei minuatur, ac haereticorum serpens secta obrepat.

7. Monasteria in pagis condita fuerunt,

(1) Hoc observent, siqui recenti quoque tempore communicandi in divinis cum schismaticis patronos indulgentiores se gesserunt.

(2) Sion patriarcha, hoc nomine primus, saeculo octavo claruit.

ut ibi habitarent presbyteri ecclesiarum, viatores, ac pauperes; et ut pagorum incolae ex monachorum piis doctisque sermonibus atque exemplis utilitatem perciperent. Pagorum igitur incolae suis alimoniam monasteriis suppeditent. Qui autem secus fecerint laici, prisca patrum statuta aspernentes, eos verbo Dei excommunicamus. Sed enim ne hospites quidem quicquam audeant e monasteriis ad domos suas comportare; alioquin anathema sint.

8. Vidimus sacerdotes indoctos, ac omnino mente rudes quibusdam in locis iniuria sacrum baptismi fontem afficere, et aquam baptismi foras proiicere. In posterum nemo audeat hoc facere, sed venerentur sacrum fontem, velo cum tegant, et aquam baptismi intra sacrarium iniiciant. Qui autem haec praecepta nostra transgressus fuerit, deponatur.

9. Sacerdos qui in annuo ordine vice sua sacra fungitur, cum omnimoda sanctitate ministeria ecclesiae exequatur, summaque sedulitate diei noctisque officia celebret.

10. Sacerdos non permittat bigamos sacerdotio fungi, verum hi cum paenitentibus stent: ipse autem moderate vinum sumat. Quod si in ebrietatem lapsus fuerit, deponatur.

11. Sacerdotes praecipiant viris, ac feminis, nec non filiabus eorum, ne cum infidelibus matrimonia contrahant: quia hoc non est matrimonium, sed nefanda et sacrilega mixtio: quae enim pars fideli cum infideli? Utique id peius adulterio est: quod autem plusquam adulterium vitandum est, profecto immane crimen esse dinoscitur.

12. Non audeant presbyteri, panem sacrificio destinatum, per laicos conficere, verum ipsimet coquant. In calicem autem vinum sufficiens infundant, neque aliud deinceps vinum commisceant.

13. Qui tertias nuptias contrahunt, nefandum committunt adulterium et inexpiabile crimen(1). Isti si postulent paenitentiam ob peccata sua delenda, prius segregentur, deinde vero paenitentia digni habeantur. Sacerdos autem, qui nuptiis eorum interfuerit, deponatur, et esto excommunicatus.

14. Qui sine necessitate extrema, in quam aliquando homines ob tributorum gravitatem incidunt, ita ut semet ipsi cogantur vendere; sed levi aliqua indigentia commotus sanctuarii supellectilem, vel ecclesiam vel huius praedia vendiderit, anathematizetur a Deo et a nobis; atque huiusmodi hominem nemo audeat christiani appellatione donare.

15. Monachum, qui in ordine aliquo a se electo professus fuerit, ac deinde ad alium ordinem transilire velit, nemo excipere audeat; sed quo in loco semet Deo obtulit, ibi permaneat, cursumque pietatis ac vitae consummet. Aliter vero dicendum, si is ab ecclesiae pastoribus ad episcopatum vel ad docendum vocaretur.

16. Sancti ex antiquitate patres temporibus suis interdicto vetuerunt omnibus sive nobilibus, sive ignobilibus nuptias cum consanguineis contrahere: hodie tamen contemptos cernimus canones sanctorum patrum, praesertim a nobilibus: nam indiscriminatim miscentur cum suis consanguineis, vituperanda matrimonia copulantes. Posthac tamen non audeant matrimonio coniungi usque ad quartum gradum; secus anathema sint a nobis; ipsi autem defendant se apud Deum in die magna iudicii eius.

17. Quandoquidem homines morbo (maligno) affecti domo sua eiici et civitatibus pelli solebant; sancti patres, opem ferentibus piis principibus, hospitia ad eos receptandos constituerunt; provinciisque edixerunt, ut stipem ad eorumdem solatium conferrent. Hodie tamen quibusdam in regionibus haec hospitia deleta fuerunt; ideoque morbosi homines per loca mendicantium vagantur, atque horum proventus absumunt; sicque invicem spoliant, et aeque egent. Quare in posterum

(1) Nota est antiquorum aliquot canonum nimia in hac re severitas.

episcopi destructa hospitia aedificanda atque instauranda curent, illucque infirmos derelictos recipiant, populoque eleemosynas imperent, ita tamen ut nihil iis qui ad alienam paroeciam pertinent, tribuant. Nemo denique haec nostra mandata violare audeat.

18. In defunctorum exequiis, quas domestici ipsorum celebrant, quicquid iuxta ordines legesque christianas peragendum est, quodque sancti Spiritus instinctu ad animarum solatium facimus, nempe vel quadragesimas, vel agapas ob ipsorum suffragium, vel denique quicquid defunctus supremis tabulis pro anima sua fieri mandavit; haec, inquam, nemo ad alienarum ecclesiarum vel religiosorum monasteriorum utilitatem transferre praesumat; sed illius loci ecclesiae, vel monasterio, ac parocho emolumenti nomine tribuat, ubi gratiae sacri fontis renatus fuit, matrimonio iunctus, ac pane vitae refectus, a quo loco tandem ad Deum discessit. Porro his omnibus in proprii pagi ecclesia vel monasterio peractis, liceat defuncti domesticis quae superfuerint attribuere alienis ecclesiis, religiosis monasteriis, vel egenis.

19. Qui propter varia delicta excommunicatus fuerit a proprio episcopo, et in eodem statu excommunicationis mortuus, sepultura (ecclesiastica) careat. Sacerdos non baptizet catechumenum; si autem accidat catechumenum ad mortem vergere, sacerdos baptizet eum, et sepeliat; cetera vero anathematis vincula insoluta maneant.

20. Si contigerit catechomenum in adversam incidere valetudinem, et sacerdos absit, domestici autem eius ad sacerdotem vocandum pergant; in loco illo, quo ei obvii fuerint domestici catechumeni, incipiat sacerdos ordinem ritus baptismi conficiendi. Quod si interim contigerit catechumenum mori, priusquam sacerdos ad eum venerit, hic ubi in conspectu fuerit signet signo sanctae crucis caput defuncti, et tumulet eum inter baptizatos Christi(1). Hic canon ad involuntarium casum spectat.

21. Chorepiscopi non audeant ecclesiam claudere, vel horas divini officii impedire, ut diem lucrando aliquid insumant, vel ob hominis cuiusvis crimen; sed reos potius excommunicationi subiciant. Pagorum autem proceres, qui ut vectigalia regi pendant, per aliquem tyrannum ecclesiam claudendam curant, et divinum officium impediunt, vivi mortuique excommunicationi subsint.

22. Qui captivus apud infideles, et invitus ac fame coactus, ex immunda et sacrilega comederit carne, quando postea concesserit ei Deus ut in propriam patriam revertatur, per annum devotis lacrimis, ieiuniis, ac orationibus extra ecclesiam paenitentiam agat; et si hoc tantum commiserit erratum, communionem percipiet, ita tamen ut feria quarta sextaque prorsus ieiunet. Hic canon pertinet etiam ad mulieres quae invitae ab infidelibus violatae fuerint.

23. Puellae, quae viro copulanda est, si menstruata fuerit, non audeat sacerdos matrimonium benedicere, neque eam cum viro matrimonio coniungere, donec a menstruo sanata fuerit. Omnes ecclesiasticos, et laicos oportet honore prosequi sacras scripturas veteris et novi testamenti; videlicet libros Moysis, qui sunt genesis, exodus, leviticus, numeri, et deuteronomium. Tum Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor libros regum, duos Paralipomenon, duos Esdrae, Iob, librum psalmorum, Salomonis tres libros, duodecim prophetarum libros, Isaiae, Hieremiae, Ezechielis, Danielis, aliorum; ex apocryphis (2) Sapientiam Siraci ad filios vestros multiplici doctrina imbuendos.

Monitum. "Hos canones Sion Arme-

(1) Baptismi desiderium, aequivalere ipsi baptismo ad salutem aeternam in huiusmodi casibus consequendam, theologica doctrina est, ut omnes sciunt.

(2) Ita appellat Sion patriarcha quos nunc libros deuterocanonicos dicimus.

qq

„ niorum catholicus condidit una cum „ tribus episcopis, et Armeniae principibus, qui convocati fuerunt in magna „ urbe Albaniae Berdava, praesentibus „ Davide Albanorum catholico, et nonnullis Albaniae principibus.

CONCILII TEVINENSIS
CANONES.

Hi anno quarto Constantini piissimi Graecorum imperatoris conditi fuerunt iussu Nersetis Scinogh Armeniorum catholici, et aliorum aliquot episcoporum ob confirmandos ceteros sanctae ecclesiae canones, et ob rectum ordinem antistitum et cleri constabiliendum.

Capitula XII.

1. De antistitibus.

2. Non oportere episcopos in aliena paroecia altaria erigere etc.

3. De episcopo, qui alienam paroeciam usurpat.

4. Episcopus ecclesiae suae curam gerere debet.

5. De proventibus et hereditate (ecclesiastica).

6. De heredibus (nempe clericis) qui deserunt curam ecclesiae.

7. De iis qui ab infidelibus in captivitatem abducuntur.

8. De uxoribus heredum ecclesiae, quae steriles sunt.

9. De nobilibus, qui domos et homines partiuntur.

10. De nobilibus, qui monasteria vexant praesulesque eorum.

11. De nobilibus, qui tributa exigunt a xenodochiis.

12. De nobilibus, et ignobilibus equitantibus, et apud monasteria hospitantibus.

1. Oportet antistites sanctae ecclesiae, episcopos nempe, iuxta canones sanctorum patrum cum omni sanctitate ac pietate in via iustitiae ambulare; ut omnes Christifideles per ipsos saliantur, atque condiantur; quod si evanuerint, proiicientur foras, et conculcabuntur ab hominibus. Ideo oportet per omnimodam honestatem bonum exemplar gregis fieri, ut cum apparuerit maximus princeps pastorum percipiant immarcessibilem gloriae coronam.

2. Non audeat episcopus, contra canones sanctorum patrum, in aliena paroecia altare erigere, atque ordinationes facere, excepto casu, quo illa paroecia proprio episcopo careat; tunc autem cum supremi episcopi venia, haec perficiant episcopi vicini. Sed tamen proventus illius paroeciae eidem ecclesiae maneant, iuxta quod definitum est.

3. Episcopus non audeat alieni episcopi paroeciam, atque mensam quotidianam usurpare.

4. Episcopos oportet suae dioecesis monasteriorum, eremorum, scholarum, atque xenodochiorum curam gerere, neque gerere, neque ex eis quicquam violenter sibi vindicare. Item oportet presbyteros, atque monachos suis praesulibus obedire. Si quis autem episcopus, aut presbyter contempserit canones sanctorum patrum, poena, quam canon edicit, puniatur.

5. De proventibus autem, et hereditatibus constituimus, ut sicuti ab initio a sancto Gregorio praeceptum fuit, sic etiam nostro tempore fiat. Qui magnam habet hereditatem ipsam teneat, eaque fruatur; qui vero tenuem, eadem contentus sit. Nemo autem audeat propter hereditatis copiam dividere proventus; nam hereditas ecclesiae fruitur immunitate quam sanctus Gregorius et rex Tiridates largiti sunt (1): ideoque unusquisque sui affinis hereditatem obtineat, et sanctae ecclesiae hilariter cum omni doctrina praesit. Siquis autem socordia prigrescens officium ecclesiae neglexerit celebrare, et clericos (filios) ad scholam mittere, episcopum facultatem habere decernimus arguendi ipsum, et ad rectum ordinem reducendi.

6. Nonnulli e clero ordinem, et mi-

(1) Notemus immunitatis ecclesiasticae ius antiquissimum etiam apud Armenios.

nisterium ecclesiae deserentes militiae se addixerunt. Hi si conversi fuerint ab iniquitate viarum suarum, benedictione Domini digni habeantur, et a nobis comiter excipiantur; secus vero episcopus potestatem habeat spoliandi eos beneficiis ecclesiae, quae tradat sacerdotibus, et ministris dignis, qui sanctae ecclesiae ordinem cum omni cautione servant. Delinquentibus autem spatium triennale definiant, intra quod conversionem suam peragant; quo elapso, si conversi non fuerint ab iniqua via sua, episcopus facultatem habeat per scripturam, atque sigillum spoliandi eos ecclesiae proventibus, quos eorum proximis conferat.

7. Quando propter peccata nostra regni nostri viri et mulieres ab hostibus in captivitatem adducti propria patria carebant, mariti illarum sine venia episcopi uxores alias sibi adiunxerunt, et feminae vicissim viros. Nos ergo constituimus, ut qui nondum septennio exacto post coniugum suorum captivitatem, ad alias nuptias transierint, hae quidem fornicariae habeantur; ideoque ipsi verberibus, poenis, mulctaque afficiantur, bonaque eorum in egenos distribuantur; tandemque segregati per septennium paenitentiam agant. Quod si septem exactis annis coniuges captivitate liberati in patriam redierint, iubemus singulos ad proprium reverti coniugem; secus, quem novum assumpserunt retineant. Captivi quoque si paria fecerint, paenitentiam agant. Qui autem per septennium se continuerint, ac deinde nuptiis copulati, hi sint immunes; ceteroquin duplici paenitentia graventur.

8. Heredes (scilicet presbyteri) ecclesiae, qui liberorum sunt expertes, nequaquam praesumant bona immobilia ab ecclesia ipsis adsignata, in propinquos suos transferre. Quod si forte velint filium aliquem sibi adoptare (quo tamen adoptandi iure uti debent ergā dignum aliquem e propinquis suis, non autem erga alienum; neque enim licet hereditatem sanctae ecclesiae, suis propinquis fraudatis, ad alienos transferre) hic videlicet adoptivus, post illius obitum praedictis bonis fruatur, siquidem presbyter ordinatus fuerit. Secus vero, bona illa reddantur ecclesiae; ita tamen ut quae sunt mobilia, ea tradantur defuncti propinquis.

9. Quando nobiles viri domos suas hominesque partiuntur, tum ecclesiasticos quoque summa cum avaritia vexare solent. Atqui homines ecclesiastici a tributis pendendis immunes sunt: etenim S. Gregorius et rex Tiridates, hoc heredibus ecclesiae privilegium concesserunt, ut a saeculari potestate omnino liberi essent, quam rem regi quoque Persarum persuaserunt. Siquis ergo princeps ab ecclesiasticis vectigalia exigat, is benedictione careat ecclesiae, et sanctorum omnium, nominatimque S. Gregorii illuminatoris, atque huius nostrae synodi: neque ullus umquam sacerdos pro eo missam offerre praesumat, donec resipiscat.

10. Principes saeculares non praesumant coenobiarchas constituere, vel constitutos propria voluntate deponere, neque cum domesticis suis in monasteriis habitare, uti nonnulli ausi sunt.

11. Principes non audeant tributa exigere a xenodochiis, uti nonnulli audacissime, atque iniuste fecerunt.

12. Nobiles, atque ignobiles equitantes non audeant, omisso pago, in monasteriis una cum suis comitibus hospitari, ibique indecenter caenare, et loca sacra profanare. Qui huic mandato non obtemperaverint, sed statuta contempserint, contemnantur a sanctis Dei, et divina benedictione careant. Etenim monasteria sunt requies sanctorum, habitationes episcoporum, presbyterorum, diaconorum, monachorum, et pauperum; aliquoties vero etiam nobilium, et piarum mulierum, quae dona ferentes ad domum Dei, brevi partempore in eis demorantur.

Subscriptiones episcoporum in calce canonum Tevinensium.

Ego Nerses divina gratia humilis Armeniorum catholicus cum nostris cathedrae aequalibus Armeniae episcopis, supradictis canonibus manibus meis subscripsi, iuxta constitutionem Spiritus sancti, atque electorum eius.

1. Iohannes Ostani, et Marthedagani episcopus.
2. D. Nersetes Harchiae episcopus.
3. D. Christodochus Baseniae episcopus.
4. D. Israel Taiae episcopus.
5. D. Iohannes Martoagi episcopus.
6. D. Iohannes Beznuniae episcopus.
7. D. Gregorius Arsaciae episcopus.
8. D. Sepheus Bagratuniensis episcopus.
9. D. Gregorius Chorchoridia episcopus.
10. D. Simeon Restunii episcopus.
11. D. Israel Vanandiae episcopus.
12. D. Theophilus Arzerunii episcopus.
13. D. Samuel Amadunensis episcopus.
14. D. Gregorius Anzevensis episcopus.
15. D. Theodosius Genunii episcopus.
16. D. Iacobus Balhavensis episcopus.
17. D. Samuel Mehnunidis episcopus.

Haec sunt nomina Patrum, qui in concilio Tevinensi congregati fuere ad gloriam SSmae. Trinitatis.

ELISEI 1) CAPITULUM DE ENERGUMENIS.

Utrum liceat sanctam eis praebere communionem; vel si sint catechumeni baptizare eos, daemone in eis habitante?

Cuncta remedia adhibenda sunt, ut daemon eiiciatur corporibus eorum. Quod si daemon non exierit, et energumenus probus fuerit, licet communionem ei praebere, si baptizatus sit: si vero catechumenus fuerit, licet eum baptizare; namque hominem probum non potest daemon a Deo removere, sed ipse profligatur, confunditur, atque pudore ab eo afficitur.

EIUSDEM FRAGMENTUM DE APOSTATIS.

Si quis autem a fide, quam susceperat, deficit, ipse quidem vita privatur, vita tamen ipsa cum eo non moritur. Ego vero communem sententiam sequor, videlicet huiusmodi hominum non licere commemorationem facere, neque eorumdem oblationes, ac dona distribuere ob remissionem peccatorum eorum. Si vero in extremis suis eos paenituerit, tunc licet memoriam eorum facere, atque oblationes nomine defuncti paenitentis distribuere, ut misericordiam consequatur.

EIUSDEM DE CATECHUMENIS.

Quod attinet ad innocentes catechumenos, qui ex hoc mundo migrarunt sine baptismi gratia, aio quod nomine eorum minime liceat missas celebrare, quia viventes non fuerunt digni vivifica gratia. Licet tamen pro ipsis oblationes sanctis lucis offerre, omniumque iudicem validis precibus deprecari, ut defunctum ex inextinguibili gehennae igne liberet, in quem Satanas iturus est.

CANONES ET CONSTITUTIONES ORDINIS ECCLESIAE NERSETIS ARMENIORUM CATHOLICI (2).

Capitula XLII.

1. Ii qui communione indigni indicati sunt, si in summum vitae discrimen veniant, extremo viatico ne priventur. Verumtamen si forte convaluerint, paenitentiam iuxta canonum mandata perficiant.

2. Meretrices quae libidinantur, et prolem necant, quindecim annis paenitentiam agant.

3. Effeminati, qui praeter naturam fornicantur, quatuor annis in paenitentia versentur.

(1) Hic saeculo ecclesiae quinto claruit; fuit enim e numero discipulorum Isaaci parthi et Mesrobi celeberrimi Armeniorum doctoris.

(2) Nerses, cognomento magnus, quarto saeculo cognoscebatur. Alii extant eius nomine inscripti canones; verumtamen qui heic scribuntur, affirmare propemodum licet non esse Nersetis.

4. Qui desponsa sua omissa, sororem eiusdem sibi coniugem copulat, si praesertim desponsa illa ob animi maerorem in mortem incidit, decem annis extra (ecclesiam) et quindecim sub lege paenitentiam agat.

5. Viduus, qui virginem ducit uxorem, et viceversa, triennio paenitentiam agat.

6. Qui tertias celebrarunt nuptias, si uxorem dimittant, quindecim annis extra (acclesiam) quinque autem sub lege paenitentes sint.

7. Qui fornicantem feminam dimittunt, non oportet eos paenitere; sed uxorem legitimam ducant; fornicatrix autem nemini audeat nubere.

8. Qui uxorem suam dimittunt, et aliam ducunt, deinde vero ad propriam uxorem revertuntur, quinque annis paenitentiam agant.

9. Qui cum duabus sororibus fornicantur, et postea unam ex eis uxorem ducunt, duobus annis paenitentiam agant.

10. Sacerdotes, qui fornicati fuerint, deponantur, et per decem annos paenitentiam agant; diaconi autem in ordine ministrorum sedeant.

11. Qui ob adulterium commissum necandi erant, sed beneficio Dei liberati fuerunt, octo annis in paenitentia degant.

12. Qui cum infideli fornicatur, novem annis paenitentiam agat.

13. Qui cum infidelibus intemperanter comissati fuerint, pro criminis modulo, paenitentiam subeant.

14. Christianus infidelem uxorem ducens, vel infideli viro mulier christiana nubens, peccant; praesertim si pars altera in sua infidelitate permaneat. Itaque pars christiana quindecim annis paenitentiam agat, et prolem ad fidem nostram perducat.

15. Qui vineae alicuius damnum intulerit, tribus annis sit paenitens.

16. Qui bovem, vel aliud animal percussum occiderit, tribus annis paenitentiam agat.

17. Qui domum cum supellectile incenderit, decem annis paenitentiam agat.

18. Qui feminarum consuetudini dediti negotia non curaverint et socorditer vixerint, quadriennio in paenitentia sint.

19. Is ob cuius negligentiam puer sine baptismo moritur, triennali paenitentia mulctetur.

20. Fures, grassatores, homicidae, incendiarii, et qui sanguinem iustum fuderint, itemque blasphemi, quindecim annis extra, et quinque sub lege paenitentes sint.

21. Qui centum denarios furatus fuerit, quintam suarum partem pauperibus largiatur.

22. Nemo consanguineam in tertio gradu ducere uxorem ausit; si in quarto duxerit, paenitentiam agat; similiter et bigamus.

23. Qui cum uxore patris sui concubuerit, decem annis paenitentiam agat.

24. Siquis uxorem fratris sibi coniugem copulaverit, abominabilis fit uterque in ecclesia Dei, nisi segregentur, et quasi mortis rei paenitentiam sinceram agant.

25. Mulier, quae coacta se vitiari permiserit, triennio in paenitentia perseveret.

26. Si quis impietati deditus, haruspicibus magicisque artibus fidem adhibuerit, quinquennio paenitens sit.

27. Puella quae fornicata fuerit, et abortum fecerit, aut pepererit, novem annorum paenitentia puniatur.

28. Qui cum infidelibus versatur, et cum iisdem peccat, quinquennio sit paenitens.

29. Siquis mortem sibi debitam, in alium detorserit; quamquam ipse ob id crimen morte puniendus esset, attamen decennali paenitentia mulctetur.

30. Mulier gravida si cum aliquo viro insipienter coierit, et abortum fecerit, triennio sit paenitens.

31. Qui a mure pollutum vinum biberit, quadraginta diebus in paenitentia degat.

32. A serpente percussi, uno anno lacte, et tribus carne vescantur.

33. Qui involuntarium homicidium fecerit, septem annis sit paenitens.

34. Sodomitae, et beluini concubitus

rei, totidem annis paenitentes sint, quot nati erant cum peccaverunt. Quod si diu in iis maleficiis perseveraverint, paenitentia augeatur.

35. Coniugio subdita mulier quae adulterium commiserit, si a turpitudine sua resipiscat, septennio ad ianuam, et triennio sub lege paenitentiam agat.

36. Qui ante nuptias feminam carnaliter cognoverit, quam postea uxorem duxerit, triennio extra (ianuam), et uno anno sub lege sit paenitens.

37. Si virgo bigamo nubat, separentur: quod si noluerint, et alteruter moriatur, qui superest quindecim annis paenitentiam agat.

38. Qui panis acervum combusserit, septennii paenitentia mulctetur.

39. Qui socrum suam violaverit, decem annis sit paenitens.

40. Populi rectores, si in rebus gerendis peccaverint, triennio paenitentiam agant.

41. Qui ex ambone denunciata ieiunia, excepta corporali infirmitate, violant, anathema sint; quia levioris momenti existimarunt delictum, quod contra praeceptum committebant.

42. Peccat graviter qui letale delictum confessioni non subiicit.

CANONES IOHANNIS MANTACUNENSIS ARMENIORUM CATHOLICI.

Capitula VII.

1. Sacerdos sexagenarius a missa celebranda desistat; si vero robustus est; missam peculiari titulo non addicat, neque ob eam stipendium percipiat.

2. Si sacerdos uno die duas missas celebraverit, cum crucifigentibus sit sors eius.

3. Siquis sacerdos, ignorans fratrem alium iam sacrificium obtulisse, in eodem altari missam celebrare coeperit, perficiat utique. Verumtamen si crassa ignorantia circa id laboraverit, vitulum mulctae nomine offerat Deo, et sic expietur.

4. Si quis sacerdos publicis administrationibus semet implicet, negotiationes exerceat, saecularem praefecturam gerat, non audeat sacerdotio fungi; est enim abominabilis coram Deo. Si vero eum paenitnerit, decennio eum auditoribus stet; deinde ecclesiam ingrediatur, ita tamen ut usque ad vitae finem cum populo sedeat.

5. Sacerdos non audeat manu sua cruentam mactationem facere; etenim mactata ab eo victima, morticinum quid aestimatur. Quod si resipiscat, biennio sit paenitens, et holocaustis per triennium semet expiet.

ܢܐܟܠܘܢ ܡܬܛܫܝܢܐ ܒܫܪܐ ܒܫܘܡܠܝܐ ܗܢܝܠ
ܐܦ ܠܐܪܒܥܡܐܐ ܗܘ ܕܒܗ ܒܒܝܬܗ
ܢܗܘܘܢܐ ܡܟܠܐ ܥܠ ܡܛܠܬܗ ܕܦܪܘܩܢ.
ܘܛܝܒܘ ܕܡܐ ܢܦܠ ܒܗ ܢܗܘܘܢ ܡܦܪܫܘܬܐ
ܫܡܫܐ. ܡܛܠܬܗ ܕܒܟܠܐ ܒܗ ܒܫܡܘܝܐ
ܒܗܘܢ. ܒܡܪܘܐ ܓܒܪ ܕܢܘܩܐ ܗܘ
ܕܢܝܐ ܢܘܡ ܒܪܘܒܐ ܠܫܡܗ ܓܒܐ.
ܗܘ ܓܒܪ ܒܒܠܗ ܢܛܘܗ ܕܐܝܟ ܡܪܝܐ
ܡܘܬܐ ܥܠ ܦܝܠ ܐܒܠܘ ܘܡܢ ܦܪܘܫܐ
ܠܐܪܥܐ ܕܡܬܝܬܝܐ ܐܬܚܙܝ. ܘܒܗ
ܛܘܒܐ ܕܒܡܘܬܒ ܢܘܚ ܠܒܠܗ ܐܢܫܝ
ܐܘܒ. ܘܒܗ ܐܡܪ ܒܒܠܟܝ ܒܡ
ܪܫܡ ܓܒܪܝܢ ܒܡܘܠܡ ܐܘܒܝܢ ܘܒܪܒܐ
ܘܚܛܐ ܀

ܡܐܡܪܐ ܕܫܒܥܐ

ܥܠ ܙܘܥܐ ܕܐܪܥܬܐ ܘܪ̈ܘܩܐ.

ܠܟܠ ܐܢܫ ܒܡܬܝܪܘܬܐ ܕܐܪܥܐ
ܕܒܫܟܗ ܠܐܘܬ ܙܢܐ ܐܡܪܝܢ ܕܒܫܡܫܐ
ܡܫܡܫܝܢ ܘܠܟܠ ܡܕܪܐ ܕܒܟܠܗ ܕܒܗܝܢ
ܒܗܘܢ ܡܬܬܒܨܪ. ܙܘܥܐ ܐܪܥܢܝܐ
ܘܪܥܬܐ ܘܡܬܬܫܘܫܝܢ ܡܢܐ ܕܐܝܟ ܢܗܘܐ
ܘܐܬܝܠܕܘ ܗܘܝܘ ܘܠܗ ܡܛܠ ܟܠܟܠ.
ܐܝܟ ܕܐܦ ܐܢܫ ܡܢ ܢܒܝ̈ܐ ܐܡܪ ܡܛܠ
ܕܡܢ ܡܠܟܘܬ ܩܕܡܐ ܙܘܥܐ. ܘܡܢ
ܡܛܠ ܪ̈ܘܚܐ ܙܘܥܬܐ. ܡܪܬܝܬܐ ܕܝܢ
ܕܡܫܐ ܗܘ ܕܐܬܬܠܕ. ܘܪܘܚܐ ܡܢ
ܐܪܥܐ ܡܬܦܠܓܝܢ. ܒܟܪܝܐ ܕܡܢ
ܡܫܘܠܬܐ ܘܙܘܥܐ ܕܡܢ ܫܡܥܬܐ. ܘܟܠܟܠ
ܡܛܠ ܕܟܢܝ ܦܘܐ ܠܟܠܗܝܢ ܡܬܪܫܡܢ
ܒܝ ܬܟܡܢ ܡܫܪܘܬܐ ܫܦܝܐ ܘܙܘܥܐ.
ܘܡܬܬܙܝܥܝܢ ܒܗܘ ܙܥܐ ܕܠܐ ܡܫܡܫܢܬܐ
ܬܒܐ. ܒܗ ܗܟܢ ܕܝܢ ܡܫܬܒܫܐ ܗܘ
ܕܪ̈ܘܚܐ ܘܡܬܬܒܠܐ ܕܪܘܟܐ ܘܙܘܥܐ ܗܘ
ܕܡܥܠܠܐ ܀ ܙܘܥܬܐ ܕܝܢ ܒܗ ܗܘ ܕܡܟܝܠ
ܗܘ ܕܫܩܝܠܗ ܕܠܥܝܠ ܐܠܐ ܐܦ ܒܝܫܐ ܗܘ
ܕܦܪܘܫ. ܐܝܟܐ ܕܐܦ ܡܢ ܐܚܪ̈ܢܝܬܐ ܐܡܪ.
ܒܪܝ ܡܢ ܕܡܪܕܘܬܐ ܦܐܡ ܐܢܗ ܒܗ ܠܐܠܗܐ
ܡܫܬܟܚ ܐܢܗ. ܘܡܢ ܕܒܟܠܟܠ ܦܪܐ
ܐܢܗ ܗܘ ܠܐܠܗܐ ܡܫܬܟܚ ܒܒܝܬܗ ܀
ܡܪܬܝܬܐ ܠܗܘܢ ܐܦܝ ܐܝܟ ܕܐܡܪ̈ܢ
ܡܬܝܕܥܢܘܬܐ ܗܝ ܕܐܠܗܐ ܕܒܗ ܕܪܘܚܐ
ܒܗ ܐܠܐ ܐܦ ܦܘܪܫܐ ܗܝ ܕܡܫܡܫܐ ܕܒܗ
ܢܦܫܗ ܕܠܒܠܗ ܬܫܡܫܬܐ ܘܡܫܡܠܝܬܐ
ܕܠܒܟ ܒܝ ܫܒ̈ܝܐ ܠܫܡܫܐ ܢܗܪܐ
ܘܒܪܘܚܝܢ ܗܘܝܐ ܠܝ ܠܡܫܝܚܐ
ܘܡܫܡܫܢܘܬܗ ܘܠܐ ܡܬܟܠܡ ܢܗܪ. ܠܐ
ܐܫܟܚܢ ܠܒܢ ܠܗ ܫܩ̈ܠܐ ܒܐܪܥܐ
ܐܬܪ ܕܫܡܐ ܘܐܟܠܐ ܡܫܬܠܚܝܢ ܘܐܝܟܢܐ
ܕܬܪ̈ܥܐ ܦܬܚܝܢ ܘܒܬܚܝܢ. ܐܠܐ ܫܡܥܘ
ܠܒܢ ܫܡܥܬܐ ܒܫܡܝܐ. ܐܝܟܐ ܓܒܪ
ܘܐܬܚܙܝ ܫܡܫܐ ܡܫܬܠܚܐ ܐܝܟ ܗܘ ܐܦ
ܠܒܢܝ ܀ ܡܢܗ ܠܗܘܐ ܥܠܝܐ ܫܡܫܐ
ܦܫܛ ܟܘܪܐ. ܡܢ ܡܬܬܠܘܐ ܕܒܢܬܐ ܘܠܐ
ܡܬܦܫܛ ܠܫܡܝܐ ܕܒܢܝ̈ܢܐ ܦܢܐ.
ܘܡܢ ܠܫܡܫܐ ܥܠ ܡܫܡܫܐ ܢܦܐ ܕܫܡܫܐ
ܐܠܐܦܝܢ ܫܢ̈ܝܐ ܠܫܡܫܐ ܡܢܘܬ ܐܝܟܘܬ
ܕܡܢ ܘܒܢ̈ܝܐ ܦܪܘܫܗ ܕܡܢ ܬܐܘܡܐ

[illegible]

ܗܘܝܐ ܦܪܘܫܘܬܐ ܘܠܐ ܐܦ ܠܐ ܡܣܬܒܪ.
ܒܗܘܢ ܗܘ ܕܒܪܐ ܡܥܡܕܘ. ܘܠܐ ܕܢܣܒ
ܢܕܟܪܘܢ. ܘܡܛܠ ܡܢ ܚܫܐ ܡܫܠܡ ܗܘܐ
ܥܠ ܗܘܠܐ ܕܣܥܪܐ. ܘܡܬܠܝܢ ܥܠ ܙܩܝܦܐ
ܐܣܛܘܡܟܐ. ܘܡܢܗܝܢ ܡܬܡܝܢ ܢܥܒܘ
ܕܪܝܫܗ ܘܠܒܘܬ ܪܓܠܐ ܕܝܘܡܐ ܒܥܡܥܡܐ
ܒܫ ܣܛܠܐ ܘܡܬܚܫܢܐ ܩܕܡ ܘܡܬܚܫܒܐ
ܘܣܬܪܐ ܕܦܘܫܐ ܘܡܠܩܐ. ܘܡܚܝܢ
ܡܬܡܠܐ ܡܥܡܣܐ ܡܟܬܒ ܡܟܬܒܐ ܐܝܟ
ܪܓܠܐ ܕܪܝܫ ܡܢ ܡܪܝܫܐ ܘܡܬܡܣܝܐ
ܪܓܠܐ ܠܡܪܓܠܐ. ܘܡܪܓܘܢ ܒܡܠܝܢܘ
ܡܚܝܢܐ ܠܥܠ ܗܘܩܝܢ ܢܥܡܐ
ܘܡܬܡܐܣܝܢ ܘܐܬܠܝ ܥܠܝܗܝܢ. ܘܦܪܐ
ܥܠܘܗܝ ܡܣܝܐ ܗܘܐ ܒܥܡ ܡܥܡܠܐ
ܘܡܬܝܐ. ܘܗܘܐ ܗܘ ܦܪܝܐ ܐܣܦܝܓܐ.
ܘܡܢܗܘܢ ܕܪܢܐ ܠܐ ܡܣܝܒܐ ܢܥܒܐ ܐܦ
ܕܢܣܝܡܐ. ܘܢܚܦܪ ܒܝܬܐ ܘܢܥܡܠܐ
ܒܡܠܝܗܘܢ. ܘܡܬܦܠܚܝܢ ܐܝܟ ܦܘܩ
ܒܝܐ ܡܬܣܠܡܝܢ ܠܚܘܕܪܐ ܘܡܠܩܐ.
ܘܡܬܩܒܠܐ ܘܡܬܡܝܢ ܘܠܐ ܡܬܠܐ. ܘܠܒܝܬܐ
ܒܚܝܢ ܠܡܬܚܘܬܐ ܕܥܡܐ ܘܡܠܝܢ ܒܗܢ
ܦܪܘܫ ܠܒܘܫܐ ܕܟܠܐ. ܘܡܬܒܗܬܝܢ
ܐܦ ܒܗܘܢ ܒܡܬܩܢܘܬܐ ܘܠܒܘܫܐ
ܘܒܬܘܒ ܠܡܝܢ ܒܝܬܐ ܡܬܡܣܝܒܢܘܬܐ
ܡܬܡܛܠܐ. ܘܗܘܝܢ ܒܥܡܐ ܥܡܪܝܢ
ܕܩܕܝܫܐ ܦܥܡܝܢ ܥܠ. ܐܝܟ ܢܡܘܣܐ ܠܐ
ܡܬܗܘܝܢ ܡܢ ܡܬܡܢܥܝܢ ܒܥܘܕܪܐ
ܘܐܬܐ ܘܥܠ ܐܝܟ ܗܠܝܢ ܕܫܪܪ. ܘܡܠܝܢ
ܠܗܘܢ. ܠܚܘܫܒܐ ܕܒܝܬ ܡܫܬܘܬܐ
ܡܫܪܝܐ ܘܡܛܠ ܗܢܝ ܘܠܚܡܐ ܕܡܫܪܝܐ
ܒܫܠܐ ܐܦܪܝܣܢܐ. ܘܗܘܐ ܗܘ ܒܝܬܐ
ܠܡܦܫܩܐ ܕܢܘܪܐ ܠܐ ܕܢܚܬ ܘܠܡܬܚܙܘ ܠܐ
ܦܪܢܣܘ ܘܗܘܐ ܗܘ ܟܠܢܫ ܘܡܬܒܥܐ

ܘܐܬܚܙܝ ܒܥܡܐ ܕܫܠܡ ܡܬܦܪܢܣ
ܐܝܟ ܕܐܠܐ ܘܡܫܟܚܐ ܘܗܘܐ ܠܗ ܒܡܬܩܢܐ
ܡܬܪܥܝ ܥܡܗ ܕܗܘܐ ܡܬܦܫܡܝܢ
ܒܥܡܥܡܐ ܟܕ ܠܐ ܡܥܡܝܢ ܒܢܝܐ ܐܦܠܐ ܒܢܝܐ
ܗܘܘ ܠܟܠܝܐ. ܐܠܐ ܐܝܟ ܩܛܠܐ
ܘܠܬܘܐ ܒܥܡܐ ܐܬܚܙܝ. ܘܡܛܠ ܗܢܐ
ܘܡܥܡܐ ܢܦܫ ܠܒܝܬܐ ܒܗܘܢ ܘܡܬܚܫܒ
ܣܠܩ ܗܘ ܕܡܬܚܫܚ ܘܠܐ ܢܐܬܐ ܒܗ
ܡܢܗܘܢ. ܗܘܐ ܠܗ ܕܝܢ ܕܣܠܩ ܗܘ ܘܦܬܐ
ܐܝܬܝܐ ܕܡܬܠ ܘܠܐ ܢܐܬܐ ܐܘܪܚܐ. ܒܪܟܬܐ
ܕܥܒܕ ܡܣܝܒܐ ܗܘ ܕܚܝܪ ܠܗ
ܡܬܚܙܝܢܐ ܕܒܥܘܬܐ ܡܥܡܐ. ܘܐܡܪܬܐ
ܘܐܬܪܢܘܗܝ ܠܠܟܬܐ ܒܠܚܘܕ ܦܘܩܕܢܐ ܐܡܪ
ܐܢܐ ܘܡܬܐ ܐܦ ܠܐܬܪܘܢ ܠܥܠܡܐ
ܐܬܚܙܝ ܠܟܠܗܝܢ. ܘܡܢܗܘܢ ܒܝܬ
ܗܘܬ ܠܡܬܩܢܐ ܒܥܘܡܩܐ ܐܝܟ ܕܡܢ
ܢܝܫܐ ܘܠܡܦܪܚܘ. ܘܡܢ ܡܚܡܪ ܡܢ ܗܕܐ
ܘܡܬܚܙܝܐ ܡܬܡܣܝܢ ܒܗܘܢ ܐܝܟ
ܠܡܘܬܐ ܘܩܪܐ. ܐܝܟ ܗܘܐ ܘܐܬܐ ܘܡܬܠܐ
ܘܡܥܡܐ ܕܡܪܝܐ ܕܚܝܐ ܒܥܡܐ ܘܦܘܢܐ
ܗܘܐ. ܗܘ ܕܝܢ ܡܬܚܫܒ ܘܗܐ ܠܚܥܐ
ܐܦܠܐ ܐܝܟ ܡܥܡܐ ܒܡܠܬܐ ܡܬܕܪܝܢܐ
ܡܥܡܥܡ ܠܝ ܡܢ ܗܘܐ ܦܬܓܡ. ܗܘܐ
ܘܒܥܠ ܕܗܝܠܐ ܡܥܠܝܢ ܒܒܠܝܢ ܠܐ
ܐܝܟ ܗܘܐ ܡܬܩܢܐ ܕܢܦܫ. ܐܠܐ ܡܠܐ
ܘܗܐ ܕܡܬܚܢܝܢ ܒܟܠܗܘܢ ܐܢܫ ܡܬܩܢ
ܦܪܘܫܝܢ ܠܡܢ ܠܡܬܚܫܒܐ ܡܬܡܠܐ.
ܐܦܢܐ ܕܡܬܩܢܐ ܡܢ ܕܠܐ ܘܡܬܩܢܐ
ܐܝܟ ܠܒܝܫܐ. ܠܝ ܕܝܢ ܐܝܟ ܡܢ ܥܕܬܝ
ܐܦܢ ܕܦܪܚܐ ܕܒܗ ܘܐܬܠܗܘ ܡܕܒܪܐ
ܐܬܠܐ ܠܟܘ ܡܢ ܡܬܠܐ ܠܐ ܒܥܘ ܒܪܘܪܐ
ܘܡܥܠܗ ܒܩܠܐ ܐܡܝܢܐ ܡܬܡܝܢ. ܐܦܪܝܢ
ܠܟܠܗ. ܘܗܟܢܐ ܡܬܚܙܝܢ ܡܢ ܡܥܡܐ

ܕܫܡܫܐ ܡܫܡܫܝܢ ܦܪ̈ܐܬܐ ܘܡܫܡܫܢܝܢ
ܒܟܦܪܐ ܘܚܝܠܐ ܗܘ ܡܐܬܐ ܒܚܝܠܐ ܡܫܝܚܐ
ܕܒܗ ܦܪܫܐ ܒܫܪܘܐ ܕܦܪܐܬܐ ܡܢ ܟܦܪܐ
ܘܚܝܠܐ ܘܥܘܫܢ. ܡܢܐ ܡܟܝܠ ܡܚܝܠܗ
ܕܒܪܘܐ ܡܥܫܢ ܘܡܚܣܢ ܘܡܟܠܠ
ܠܥܦܪܐ ܐܢ̈ܫܐ ܒܡܫܝܚܐ ܒܚܫ̈ܚܬܗ.
ܠܘ ܕܝܢ ܠܝ ܐܝܟ ܐܘܡܢܐ ܚܟܝܡܐ ܗܘܐ
ܕܟܬܒܐ ܡܕܡ ܡܢ ܡ̈ܠܬܐ ܥ̈ܠܝܬܐ ܘܒܬܠ
ܚܕܐ ܡܢܗܝܢ ܒܚܕܐ ܕܗܝ ܒܟܠܗ ܢܩܦ
ܘܥܘܫܢ ܡܢܗ ܠܐ ܚܣܪ ܕܐܝܟܢܐ ܗܘ ܐܘ
ܕܐܚܪܐ ܕܗܘܐ ܐܠܐ ܕܐܠܐܦ ܗܘܘ
ܡܐ ܕܡܫܬܐܠܢ ܘܗܘܐ ܕܟܬܒܐ ܒܟܠܝܠ
ܘܠܐ ܒܗܘܢ ܒܟܠ ܚܕܐ ܡܢ ܐܚܪܬܐ
ܕܥܡܠܐ ܒܗ ܡܫܚܐ ܘܒܪܘܫܡܗ ܘܠܐ
ܢܗܘܝܢ ܡܪܝܡ. ܡܢܐ ܗܘܝܘ ܗܘ
ܕܒܠܥܘܕܘܗܝ ܚܟܝܡܐ ܘܡܕܪܐ ܚܝܠܐ ܟܠ
ܩܢܐ ܠܗ ܗܘܐ. ܦ̈ܠܓܝܢ ܓܒܪ ܒܟܠ
ܐܢܝ̈ܢ ܕܚܝܠܐ ܠܐܘܪ̈ܚܬܐ ܐܪܒܥܐ
ܕܚܝܘܢ ܠܐܪܒܥ ܦܢܝܢ ܕܐܪܥܐ.
ܘܐܢܘܢ ܥܫܐ ܕܗܘܝܢ ܡ̈ܠܬܐ ܕܡܫܝܚ
ܕܐܘܗܝ ܠܥܠܡ ܡܕܒܪܢ. ܘܥܠܐ ܕܒܪܐ
ܡܛܠ ܟܠ ܡܢܐ ܒܗܦܟܗ ܕܐܝܬܘܗܝ
ܘܒܡܫܡܠܝܘܬܗ ܒܗ ܕܐܝܬܘܬܐ ܕܪܘܚܐ
ܕܟܬܒܗ ܠܗܢܐ. ܘܗܢܝܢ ܟܠܚܕ ܡܢ
ܦ̈ܠܓܐ ܐܢ̈ܫܐ ܐܝܟ ܕܐܬܐܘܗ ܗܘܐ ܩܐܡ
ܒܡܫܘܚܬܐ ܕܡܘܡܬܐ ܕܡܫܡܫܢܘܬܗ
ܕܡܫܝܚܐ. ܒܗܠܝܢ ܕܝܢ ܘܐܫܬ̈ܡܠܝ
ܟܘܠܗ ܕܡܘܢ ܡܫܒ̈ܚܬܐ ܕܐܬܐܡܪ
ܡܫܦܪܝܢ. ܘܐܬܟܠܘ ܒܗܘܢ ܗܠܝܢ
ܠܡܫܝܚܐ ܕܟܬܒܗ. ܘܐܘܕܝܬܐ ܠܒ̈ܢܝܐ
ܕܟܬܒܗ. ܒܗܘܢ ܕܝܢ ܕܡܢܐ ܒܚܝܠܐ ܡܬܡܪ
ܡܢ ܟܠ ܠܡܒܒܢ ܠܝ ܘܡܬܡܪ ܡܢ ܡܢܐ
ܕܥܠܝܢ ܘܐܢܝܢ ܐܝܟ ܚܝܠܗ ܕܡܫܡܫܢ
ܒܝ ܒܗ ܠܡܒܫܝܚܐ ܒܕܐܬܗ ܒܡܫܘܢ
ܡܫܝܚܐ ܒܟܠܗܘܢ ܕܪ̈ܐ ܕܥܠܡ̈ܐ ܠܥܠܡܝܢ
ܐܡܝܢ ✠

DOMINI EBEDIESU

METROPOLITAE SOBAE ET ARMENIAE

LIBER MARGARITAE

DE VERITATE CHRISTIANAE RELIGIONIS.

PROHOEMIUM.

Deus rerum omnium causa est, cunctarum mentium illuminator, naturae vitaeque largitor substantiis ratione sensuque praeditis; magnum sapientiae pelagus, et doctrinae abyssus infinita; bonus, ac ingenita misericordia affluens, hominum amator, et gratiae fons naturalis. Te laus omnis honorque decet, Deus; tibique, ut domino, omni tempore gratiae agendae sunt, propter tuam mirificam mundi utriusque administrationem, superioria scilicet et inferioris, propterque frequentia tua erga caelestes terrenasque creaturas beneficia. A tua vero infinita clementia humiliter petimus; tuam ineffabilem charitatem imis ferventibusque precibus exoramus, ut nosmet electa puraque vasa in thesauro secretorum tuorum locanda efficere velis; atque in nobis mansiones tibi decentes mundasque eligas, ubi tua Trinitas demoretur. Igitur nos ope tua erue de naufrago tumultuosi mundi huius mari, atque ad sancta sanctorum, id est mysteriorum divinorum sedem, subleva; ut isti videlicet superiori mansioni simillimi evadamus, semperque a radiis aeternae lucis tuae splendidiores efficiamur; ut videlicet sine ullo corporali errore constanter vitam degamus, atque eorum socii cogitatione actuque fiamus, qui prope maiestatem tuam versantur; nempe ut in parte dextra alacres beatique, heic ibique et in omni loco simus. Amen.

Postquam nostri dogmatis Praeses gentisque nostrae Pater (1), compositum a me omnigeno metro librum, cui titulus *paradisus Eden*, auctoritate sua comprobaverat, iussit ut alium librum, de firmitate christianae religionis, et fidei nostrae veritate scriberem, ad discipulorum suorum usum, studium, atque meditationem; nec non ad omnium Christi amatorum utilitatem et eruditionem, qui videlicet sub eius iurisdictione degunt: quae res nimirum pastoralem eius vigilantiam commendat, atque apud posteros laudis argumentum erit. Ego vero obsequentissimi instar famuli, mandato eius obtemperavi; brevique methodo ac stilo simplici hunc librum concinnavi, mole quidem tenuem, sed virtute et doctrina magnum, eique titulum inscripsi *liber margaritae de veritate christianae religionis*; in quo stricte de ecclesiastici dogmatis fundamentia

(1) Scilicet Iahallaha Nestorianorum patriarcha.

locutus sum, deque doctrinae articulis ex eo provenientibus, veluti ramis ex una arbore: totumque opus in quinque tractatus dispertivi; atque hos rursus singulos in plura capitula. Eos autem per Christi amorem obtestor, humiliterque rogo, qui his pagellis occursuri sunt, sive legendi causa sive exscribendi, vel lectas audiendi, oro inquam ut preces potius ipsorum apud Deum, scripti mei gratia, consequar, quam reprehensionem; quippe qui omnes vires meas in hoc opere collocaverim; quamquam reapse humillimus maximeque miserandus homo sum. Ceteroquin, pro suo quisque libito, ex hoc libro deligat quod sequatur. Deus autem ambobus, scribenti scilicet ac legenti, pro meriti sui modulo, felicitatem ac veritatis intelligentiam tribuat.

Explicit prohoemium.

TRACTATUS PRIMUS

CONSIDERATIO DE DEO.

CAPITULUM I.

Quod Deus sit, mundus autem factus, creatus et temporalis.

Caelestis ille Paulus apostolus, spiritualium divitiarum arca, spiritualisque philosophus, mirum excogitavit argumentum, spiritu Dei adiutus, in quo theologiae fundamentum niti posset; nempe ut ii qui Deum quaerunt, eiusque vestigationi dant operam, ex eiusdem creaturarum conspectu ipsum agnoscant: etenim ex opificio opificem noscimus, atque ex opere intelligimus operantem. Quod autem hic mundus factus creatusque per tempus fuerit, initiumque in tempore habuerit, ita demonstratur. Mundus hic, sive quod adtinet ad universalem eius molem, sive quod ad eiusdem partes, compositus est, immo et dispositus atque ordinatus: atqui omnis compositio, quae sit disposita et ordinata, componentem suum habet, qui eam nimirum disposuit atque ordinavit. Porro mundi compositio inde coarguitur, quod eius universitas multis partibus constat, eiusque varia corpora materia ac forma praedita sunt, motus autem per res visibiles fiunt. Mundanae vero dispositionis firma demonstratio est ipse homo, parvus veluti mundus, in quo creatae res omnes concordant; quae sapientis cuiusdam sententia est, nempe hominem breve esse quoddam mundi universi compendium atque omnium creaturarum concordantiam. Iamvero quod mundus sit ordine praeditus, palam fit ex admirabili caeli structura, siderumque, et elementorum, rebusque inde genitis, veluti germinibus, arboribus, metallis, beluarum et hominum membris; quarum rerum mirus eximiusque ordo sapientiam quamlibet intellectumque creatum superat. Quare et summi philosophi, motum omnem a movente aliquo fieri iudicantes, ad immobilem denique essentiam devenerunt, quae omnium causa est: hanc autem bonam, sapientem omnipotentem-

que dixerunt; bonam quidem, quia sine fine mundum creaverit; sapientem autem, ob huius molis admirabilem ordinem atque concordiam; omnipotentem denique, quia suis praevalentibus viribus, res natura inter se contrarias summa coniunctione devinxerit. Praeterea quum hic creatus mundus certa qualitate et quantitate corporum spirituumque constet, nec non ratione quadam momentorum temporis atque spatiorum; mens humana nequit intelligere, cur haec neque plura neque minore numero sint, neque ultra citraque hos fines. Quumque ulterius inquirimus de causis proprietatum atque formarum, figurarum ac momentorum, quae sunt inhaerentes cunctis rebus, singulisque earum qualitates; quum denique de natura rerum earumque subsistentia scrutamur, nullam causam, praeter creatoris voluntatem mentemque, nanciscimur, qui res omnes pro suo libito condidit atque ordinavit, proque ea ratione, quae ipsi opportuna utilisque visa est. Atqui necesse est, artificem ante suum opificium existere, nempe ut pateat eum reapse esse artificem, atque ab eo fuisse conditum id quod antea non existebat. Quod quum ita se habere, sicuti revera est, demonstratum sit, mundus quidem creatus fuit, atque in tempore coepit existere, neque prorsus aeternus est: simulque patet, procedere ipsum a creatore bono, sapiente, aeterno, omnipotente, ac voluntate praedito.

CAP. II.

Quod Deus unus sit, non plures.

Unum igitur esse mundi creatorem, non plures, inde patet, quia unica haud esse potest absoluta voluntas in pluribus, sibique concors, et invariabilis: alioquin vel hi prorsus naturae aequalis erunt, proprietatesque naturae easdem habebunt: quo posito, nulla est pluralitas, quia distinctio omnis, cuicuimodi sit, sublata est: sicuti absurdum est, duas esse substantias prorsus similes, nullaque ratione inter se distinctas, nempe iisdem prorsus praeditas proprietatibus. Quod si hae duae substantiae naturâ inter se distinguuntur et huius proprietatibus, eae nimirum sibi adversantur et invicem perimunt: neque duo creatores inter se contrarii existere queunt, alioquin opus vitiosum evaderet. Vel denique aequali natura sunt, naturae tamen proprietatibus sic discrepant, ut singulae substantiae speciem habeant particularem, qua ab aliis unaquaeque discernitur: quod si ita est, omnes quidem sunt compositae, nempe ex ea re, qua sunt inter se similes, et ex altera in qua discrepant. Atqui omne compositum, creatum est, suumque creatorem et componentem habet: ergo demonstrata est propositio, nempe quod Deus noster, unus dominus sit; siquidem sunt dii multi, et domini multi; nobis autem unus est Deus*.

* I. Cor. VIII. 5.

CAP. III.

De aeternitate Dei.

Omne ens aut aeternum est, aut temporale: temporale quidem causam suam habet et proprium creatorem: tempus vero et creator, existentiam illius praecedunt. Iamvero nullam esse causam causae rerum omnium; neque creatorem eius, qui universa creavit, mens quaevis sana et recta naturali lumine intelligit. Superest itaque ut illa substantia, aeterna sit, et extra temporis spatium posita, quan-

doquidem ipsamet temporis creatrix est; quoniam tempus nihil aliud est, nisi corporalium motuum enumeratio: ipsam autem creatricem substantiam, motuum causam esse, satis demonstravimus. Est ergo illud ens aeternum et absque initio: quod autem initio caret, nulli fini obnoxium est: atque ex contrariis duabus proprietatibus, excellentiorem possidet et laudabiliorem, veritatem scilicet, lucem, vitam; estque bonum, sapiens, omnipotens.

CAP. IV.

De incomprensibilitate Dei.

Quicquid est comprehensibile, vel sensibus vel mente comprehenditur. Quod quidem comprehenditur sensibus, vel corpus est vel accidens: atqui adorabilis Deus, corpus minime est; quia omne corpus est compositum, et in loco existit, et suis finibus circumcluditur; quae omnia ab ente essentiali aliena sunt. Sed neque rursus Deus est accidens; etenim accidens per se non subsistit, sed aliqua natura indiget, in qua subsistat. Quod autem mente comprehenditur, vel cuius fines mens penetrare potest aut circumscriptiones, quae videlicet definitionem eius constituunt, atque ab iis, quae extra illud sunt, distinguunt; hoc, inquam, si vere cognoscitur, iam constat determinatum esse ac limitatum. Atqui fines limitesque ab entis necessarii natura alieni sunt. Secus autem, si fines limitesque, qui illud ens determinant, mens non est adsecuta, iam nulla comprehensio est. Non est igitur divina natura comprehensibilis. Menti ergo nihil aliud ex ente aeterno intelligere licet, nisi eius existentiam; praeterea nihil. Aiunt magnum quendam philosophum ita semper precari solitum: o animae meae motrix causa, da quaeso ut hanc subtilem naturam, a qua moveor, quid sit, et quomodo sit, cognoscam. Equidem neque te, neque hanc acutam naturam, ob quam fio intelligens, comprehendere queo, nempe quid quomodoque sis; tantummodo, te esse scio. Cum enim nos dicimus invisibile, incompositum, impassibile, immutabile, haec inquam verba non quid sit Deus, sed quid non sit, declarant.

CAP. V.

De Trinitate.

Omne ens, aut corpus-materiale est, cuius substantiae accidentia inhaerent ac mutationes, constatque contrariis rebus; aut non est corpus, caretque his omnibus rebus. Atqui demonstratum fuit, Deum (cuius incomprehensibilitati laus sit) haudquaquam corpus esse, sed omnibus carere materiae proprietatibus, ab eaque infinite dissidere. Porro quod materia caret eiusque proprietatibus, id antiquorum traditio mentem appellat. Quod autem materia eique inhaerentibus rebus caret, id sapientissimum est, seque met cognoscit, quandoquidem propria natura semper ei manifesta et cognita est, propterea quod nulla exteriore sibi re impeditur. Atqui quod se cognoscit, vivit; est ergo sapiens vivusque Deus. Porro autem omnis sapiens, ob suam sapientiam sapiens est; omnisque vivens, ob suam vitam vivit. Atque hoc est Trinitatis mysterium, quod Ecclesia in illa adoranda natura confitetur, mentem videlicet esse, sapientiam, vitam; tres in una essentiales proprietates, unam in tribus. Mentem appellavit (Ecclesia) patrem genitoremque, quia hic est causa princepsque omnium. Sapientiam in-

digitavit filii genitique nomine, quia ipse a mente genitus fuit, perque ipsum facta et creata sunt omnia. Vitam denique, Spiritus sancti procedentisque appellatione denotavit, quia nullus alius, praeter ipsum, Spiritus sanctus est: nam sanctum, ut veridica interpretatio docet, est immutabile. Atque hoc est Iohannis teologi, Zebedaeo geniti, argumentum: in principio erat verbum, et vita est lux hominum. Ac veluti anima rationalis tribus facultatibus pollet, mente, verbo, ac vita; et tamen ipsa una est, non tres: ita consideranda sunt tria in uno, unumque in tribus. Eandem exhibet sol demonstrationem cum sua sphaera, luce, et calore: quod est alterius theologi, Pauli electionis vasis, argumentum: ipse est splendor gloriae, et figura substantiae eius. Rursusque: Christus est virtus Dei et sapientia eius. Iamvero, quia quicquid existit vel accidens est vel substantia; natura autem entis essentialis, non est omnino accidentium capax; ergo in ipso hae proprietates sunt essentiales; ideoque appellantur personae, non autem virtutes accidentales; neque ullam in entis essentialis natura mutationem efficiunt, ac ne numeri quidem pluralitatem: namque ipsum ens, est mens, idem sapientia est, idem vita est, idem genuit sine separatione, produxit sine mutatione: namque haec omnia accidentia seorsum habenda sunt, et corporibus relinquenda: nulla enim est creatarum rerum naturae similitudo cum aeterna natura: neque argumentum simile ullatenus est rei demonstratae; alioquin eadem res esset. Insuper Trinitatis mysterium figuraliter in lege vetere exprimitur sic: "faciamus hominem ad imaginem nostram, et ad similitudinem nostram„; ubi pluralitas Trinitatem denotat tribus personis definitam. Item apud Isaiam seraphica laudatio " ter sanctus, unus Deus„ tres significat in una natura personas. Denique illud davidicum: "verbo Domini caeli formati sunt, et spiritu oris eius cunctae virtutes ipsorum„ eandem rem demonstrat; suntque et alia huiusmodi. Pudeat igitur ethnicos atque iudaeos, qui catholicae ecclesiae rectam fidem vituperant propter Trinitatis confessionem.

Explicit primus tractatus.

TRACTATUS SECUNDUS

CONSIDERATIO DE CREATURA.

CAP. I.

De mundi creatione.

Qui olim non operabatur, postea vero operari coepit, is vel vi permotus ad operandum adgressus est, vel necessitate, vel sua bonitate. Atqui Deus creaturam vi permotus non effecit, neque enim Deus aliquis extraneus apud illum est, neque alia quaevis natura, quae ipsum ad agendum adigat. Sed neque necessitate compulsus fuit, quippe qui suapte natura perfectus est, nihilque requirit; immo ipse perfectionum largitor est; nullamque imperfectionem vel in sua natura, vel in naturae proprietatibus patitur. Superest igitur, ut is ob suam bonitatem atque amorem creaturam formaverit, quia naturalis bonorum gratiarumque fons est. Ac pri-

mum angelos, caelum, quatuor elementa, lucem, et luminaria creavit: deinde arbores et germina; postea singula animalium genera ac species. Postquam autem mundum instar thalami admirandive horti omni genere pulchrarum rerum ornasset, tum demum die sexta, perfectis iam caelo terraque atque omni virtute eorum, primigenium creavit hominem, humanae stirpis parentem; ad imaginem nimirum suam creavit ipsum, ut ait Moyses, primogenitus inter prophetas, scriptorumque princeps. Suam vero imaginem appellavit ipsum tres ob causas; primo quidem, propter animam rationalem in ipso existentem, quae Dei imaginem prae se fert, ob suam spiritualitatem, subtilitatem, ac simplicitatem, et quia mente sua, verbo, ac vita Trinitatem adumbrat. Iterum propter eius super omni re dominationem ac potestatem, et propter providentiam ac liberalitatem. Tertio denique, quia ab homine sumpturus erat aliquando Deus, quod sibi iunret, quodque cum ipso ab omnibus perpetuo adorandum foret.

C A P. II.

De primi hominis peccato.

Quum ergo Deus Adamum creavisset, rationalem imaginem, templumque mirificum, creaturarum omnium principem, atque ut paucis absolvam, parvum veluti mundum grandi conclusum; costam ab eo detraxit, ex qua feminam efformavit, ambosque in voluptarium paradisum induxit, ipsorum gratia creatum; mandavitque iisdem ut ex quavis arbore paradisi comederent, excepta arbore scientiae boni ac mali; decreto addito, ut si ex ea forte comederent, moriendum ipsis foret. Sic liberum eorum arbitrium esse declaravit; etenim sine coactione coëgit eos, decreta videlicet poena adversus mandati transgressionem. Ut autem se res habet, competenter eos damnavit, propterea quod perversa libertate superbiaque animi utentes, divinum praeceptum non sine contemptu violarunt, ut dii fierent, nec suo creatori subessent, suadente diabolo, a quo sunt decepti. Quamobrem morti obnoxii facti sunt, seque maligni potestati tradiderunt; abiectaque gloria, ignominiam sibi induerunt, proxima angelis loca deseruerunt, vitamque aerumnosam in maledicta terra auspicati sunt. Ipsorum pariter filii eandem viam transgressionum sectantes, maligni mortisque iugum graviter cervicibus suis impresserunt; creatoris sui obliti sunt, cordis desideriis, cupidaeque animae consiliis indulserunt. Sic autem mala auxerunt, rebellionem confirmaverunt, desperataque salute, lascivia et immundo quolibet actu semet contaminarunt. Hinc Dei iustitia concitata est, qui Noachum cum suis in arcam induxit, quam lente fieri iusserat, ut spem conversionis impiorum foveret. Consumptaque est omnis caro a diluvio, purgataque ipsorum colluvie tellus. Sic ergo post duo circiter annorum milia barbarum illud vivendi genus finitum est.

C A P. III.

De legibus et iudiciis divinis.

Noacho ex arca egredienti Deus mandata pueritiae naturae humanae accommodata dedit; quae paulatim, crescente eiusdem progenie, oblivioni tradita sunt. Reapse nonnulli ex illis hominibus, licere sibi putarunt, cultum exhibere imaginibus necessariorum suorum aut amicorum; alii

vero perverse coniurantes, consilium aedificandae turris inierunt, instar perfugii cuiusdam adversus Deum; ut si hic forte in posterum iratus aliud diluvium adduceret, locum salutis haberent; vel illuc conscenderent, bellum caelo illaturi, si quid adversus ipsorum libitum inde iuberetur. Quam ob rem confusis ipsorum linguis, ipsi ad quatuor mundi angulos usque dispersi, pristinum idololatriae errorem confirmaverunt, suos utriusque sexus liberos daemonibus immolaverunt, denique creaturis maius obsequium famulatumque quam creatori exhibuerunt. Tunc Deus Abrahamum patrem nostrum peculiariter sibi elegit, cuius e semine, saeculorum sacrarium sumendum erat: circumcisionis testimonium ipsi dedit, et foedus cum eodem icit. Ab hoc igitur politia theocratica ortum habuit, quem hebraismum dicimus. Porro ex Abrahami liberis nonnullos identidem rectos iustosque suscitavit; qui tamen post conatus multos, homines ad Deum convertere nequiverunt. Hinc eligitur Moyses, prophetarum princeps, cui lex et praecepta scripta traduntur; quae videlicet nulli ex praecedentibus politiis tribus data fuerant. Sub eo iudaismi respublica coepit, qui ceteroquin pueri instar perfectum mentis statum nondum adsecutus, in antiqua sua lege meditabatur, quao bonis sanctisque benefacere iubebat, malos autem atque inimicos ulcisci; Deum autem, instar hominis, membris corporalibus praeditum existimabat, qui Hierosolymis habitaret, atque in Sion monte et in Israëlis congregatione moraretur. Ea lex neque inferorum meminit neque regni caelestis; sed temporales poenas comminatur adversus praeceptorum violatores, servitium apud hostes, dispersionem inter ethnicos, imbrium segetumque penuriam, agri prolisque exiguitatem: contra vero bene viventibus, praemia omnigena et remunerationes terrenas absolutissimas. Atque in hac sententia prophetae omnes qui Moysi successere fuerunt, eandemque confirmarunt, eamque ob causam genus omne angustiarum periculorumque perpessi sunt.

CAP. IV.

Prophetiae de Christo.

Sancti omnes prophetae de Christo vaticinati sunt, quod is videlicet salutem mundo esset allaturus, atque omnium creaturarum renovationem effecturus. Ne autem sermo noster prolixior sit, testes nominatim sex ex illustribus inter eos proferemus. In primis Israël, prophetarum parens, ait: non auferetur sceptrum de Iuda, id est rex; et interpres de inter pedes eius, id est propheta; donec veniat is, cuius illud est; et ipsum gentes expectabunt; et cetera quae in eo sequuntur capitulo. Moyses vero ait: prophetam magnum suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, *quem*, veluti me ipsum, auditote: quaevis autem anima hunc prophetam audire noluerit, de medio populi sui exterminabitur. Insuper per Israëlis a Pharaone liberationem, nostrûm omnium liberationem a principe mundi praedixit; per manna autem, mysterium corporis Domini nostri; per aquas de petra excussas, sanguinis divini potum; per aeneum serpentem, crucem vivificam. Aeque David vaticinatus est in psalmo: quare fremuerunt gentes. Et in alio: Domine Dominus noster. Et in: eructavit cor meum. Et in: dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Isaias vero illis verbis: ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Em-

manuel, id est nobiscum Deus. Et rursus: et vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis saeculorum, princeps pacis, pater futuri saeculi, magni consilii angelus: ipse traditur propter peccata nostra, atteritur propter iniquitatem nostram: disciplina pacis nostrae super eum; cum reliquo capitulo. Tum Zacharias: ne timeas, filia Sion; ecce rex tuus veniet, humilis et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae. Postremo Daniel, determinatis septuaginta hebdomadibus, quae ipsius manifestationem praecedent, ait: et occidetur Christus, et non erit ei; et civitas sancta polluetur, cessabitque holocaustum et sacrificium. Item: aspiciebam thronos positos, et antiquum dierum sedentem. Adhuc: aspiciebam veluti filium hominum in nubibus caeli venientem coram antiquo dierum; qui ei dedit iudicium ac potestatem, ut omnes populi, et tribus, et linguae ipsimet serviant. Potestas eius, potestas aeterna, et non transitoria; regnumque eius minime corrumpitur.

Atque hcic secundo tractatui finem imponimus.

TRACTATUS TERTIUS

CONSIDERATIO DE CHRISTI INCARNATIONE.

CAP. I.

De Christi in mundum adventu deque unione.

Utilis est hominum societati iustitia; quia haec exigit, ut quae sibi ab aliis fieri homo cupit, eadem et ipse aliis faciat: quod contra ipse ab aliis sibi fieri detrectat, eadem ne aliis faciat. Haec enim est lex et prophetae, inquit Servator. Quum autem prophetae haud potuissent ad iustitiae regulam adamussim homines dirigere, et ad veritatis agnitionem proxime adducere, nempe ut idola desererent, divinis vero praeceptis adhaererent; nihil erat reliquum, quô natura nostra renovaretur, salutem nasciceremur, et vitam nostram emendaremus, nisi Dei apparitio in hunc mundum; more nimirum regis, qui missis ad alicuius provinciae regimen correctionemque legatis compluribus; si horum forte vires superentur, neque aliquid emolumenti pariant; ipse demum ad procurandam illius regionis emendationem praesens incumbit. Quia vero Deus est invisibilis (nam si fieri posset ut ipse creaturis conspiciendum se daret, universam rem creatam splendore lucis suae dissolveret) idcirco hominem instar sui habitaculi (1) assumpsit, templumque ac domicilium suum effecit, et cum divinitate sua, eum qui mortalis naturae particeps erat, unione sempiterna et insolubili copulavit, sibique consortem dominationis, potestatis, regnique constituit: nempe natura divina humanam naturam illuminavit per adhaesionem (2), sicuti margarita optima ac pura, solis lumine sibi affulgente collustratur: adeo ut *hominis* illuminati natura, illuminanti fiat similis; in-

(1) Incipit Ebedicsu nestorianam suam doctrinam et sectam vocabulis ei haeresi consuetis aperire. (2) Hoc quoque vocabulum familiare sectae est.

deque micantibus radiis et fulgoribus, talem speciem natura suscepta praebeat, qualem ipsa natura effectrix, ut factor nullam mutationem ex factura patientis subeat. Et quemadmodum verbum intra animum conceptum, scripturae sensibili unitur per intellectualem consensum, et ex uno loco in alium mittitur, ita ut locum suum minime deserat; ita verbum ex patre natum, homini de nobis sumpto per intellectum unitum fuit, et sic in orbem venit, ut a patre suo cum sua essentia nequaquam discesserit: verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. Homo quidam Dei gratia imbutus, postquam multis precibus Deum orasset, ut huius rei intelligentiam caperet, vocem de caelo exaudiit sibi dicentem: carni quidem vocabulum *factum* tribue; verbo autem vocabulum *habitavit*; atque ita demum a te rem intellectam putato.

CAP. II.

De dispensatione Christi.

Statim ac vox Angeli coram Beata insonuit, Dominus noster tecum, benedicta inter mulieres, sine dubio Deus Verbum unitum est ei, quem in sanctae virginis utero absque semine humano efformavit; eique nomen excelsum adsignavit, prodigia in eius nativitate patravit, mundum universum gaudio complevit, eique summam sapientiam gratiamque et perfectam staturam contulit. Ipse autem annos natus quasi triginta baptismo Iohannis se obtulit anno Tiberii Caesaris quintodecimo, qui erat Alexandri CCCXLI; non quod sane puritas eius baptismo aquae indigeret, sed ut nobis per omnia exemplar fieret atque norma. Is igitur baptismum suscepit, eundemque nobis imperavit; ieiunium peregit, nobisque ieiunare mandavit; oravit, nosque orare docuit; humiliavit se, atque ut nosmet humiliaremus admonuit: qui enim fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno Dei. Postquam autem virtutes prodigiaque patraverat in Iudaeae regione, infirmis curandis, mortuis exsuscitandis, caecis illuminandis, paralyticis sanandis, daemonibus expellendis, arcanis rebus patefaciendis; ad satisfaciendum tandem primi Adami debito, delendumque decreti chirographum adversus eius stirpem lati, atque ut exemplu suo universalis resurrectionis mysterium demonstraret, passus atque crucifixus sub Pontio Pilato, mortuus sepultusque est, dieque tertia, secundum ea quae scripta erant, resurrexit. Per quadraginta vero dies discipulis suis post resurrectionem apparuit, multa edens prodigia, dicensque: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; seditque ad dexteram patris. Exinde illi digressi, praedicaverunt ubique. Dominus autem opem illis ferebat, verbaque miraculis confirmabat, quae ipsi operabantur. Haec religionis christianae initia fuerunt; cuius quidem veritatem in proximo capitulo demonstrabimus.

CAP. III.

De veritate christianae religionis.

Religionis christianae fundamentum est, fides de naturae divinae unitate, et de eius personarum trinitate: fides praeterea, eo quem diximus modo, de Christo, de mortuorum resurrectione, de futuro iudicio, ac aeterna vita. Quamobrem omnes eius regulae spirituales sunt, mundoque huic superiores. Quoniam vero rationalis anima tri-

bus potentiis est instructa, videlicet cupiditate, ira, et discretione; ex quarum excessu vel defectu res turpes et peccata proveniunt; ex earumdem vero aequabilitate oriuntur virtutes; harum unaquaeque ab evangelio nostro exercetur in rebus supernaturalibus. Desiderium regit in eo: omnis qui observaverit mulierem tamquam moechaturus cum ea, reapse cum ipsa in corde suo iam moechatus est. Rursusque in eo: imitamini volatilia caeli, et lilia campi. In eo denique: nolite solliciti esse in crastinum. Iram autem sic regit: diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis, bene facite iis qui vos oderunt. Discretionem, sive iudicium, regit suadendo regnum Dei, vitam aeternam, et veritatis agnitionem: haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te ipsum solum Deum, veri auctorem, et quem misisti Iesum Christum. Quaenam esse potest sublimior doctrina? quaenam veritas firmior ac principalior?

Insuper christianae religionis veritas, vel inde cognoscitur, quod, non secus ac philosophia, in theoriam ac praxim distinguitur: finis autem theoriae eius, veritas est, ut iam demonstravimus, ac demonstramus; finis autem praxeos, sicuti significavimus ex illis animae facultatibus, bonitas est quae mentis puritatem requirit, animaeque sanctitatem; iubetque ut iis bene faciamus qui se male adversus nos gesserunt; eos amemus qui nos oderunt; et male dicentibus benedicamus.

Item cognoscitur religionis veritas ex evangelistarum veracitate, quoniam quicquid de Christo nuntiarunt atque scripserunt, fidem optinuit apud diversarum linguarum homines, apud reges, sapientes, atque philosophos, sine ulla vi adhibita vel blanditiis. Iam vero quisquis maiorum suorum sacra deserit, vocique invitantis ad aliam religionem aures praebet; hoc videlicet vel timore aliquo aut illecebris impulsus agit, vel virtutibus ac prodigiis supernaturalibus. Atqui beatis apostolis neque arma neque exercitus adfuerunt ad territandum, neque pecunia aut opes ad iniciendum: ergo virtutibus prodigiisque supernaturalibus attractus orbis terrarum ad eos audiendos confluxit. Porro Deus doctrinam suam per fallaces homines minime aperit, ne hi scilicet servis eius illudant, opificiumque manuum ipsius corrumpant. Sunt ergo veridici apostoli, non fallaces. Iam si hi sunt veraces, nos quidem quicquid de Christo confitemur, ab illorum praedicatione scriptisque recepimus. Ergo christiana religio doctrinam veram profitetur, quandoquidem ii qui eam tradiderunt, veraces sunt.

CAP. IV.

De sectarum divisione.

Quum igitur lux manifestationis Christi, errorum tenebras ex universo orbe expulisset per huiusmodi praecones, finis idolorum fuit, atque imaginum fusilis operis: purgata est tellus sacrificiorum inquinamentis maculosisque ritibus; didiceruntque orbis incolae bonitatem, sanctitatem, mansuetudinem, animi demissionem, repletaque terra est cognitione Domini, aquarum instar quae mare constituunt. Quarum rerum causa, malignus hostis invidia et amaro odio tabescens, ita se nobiscum, ut olim cum Adamo, gessit. Nam post apostolorum eorumque discipulorum ac successorum obitum, christianos ad intestina iurgia commovit, iniecitque inter eos schismata atque discidia. Hinc innumerabi-

les in Christi ecclesia exortae sunt haereses; eoque deventum est, ut invicem trucidare niterentur, dum alius alium infidelem et dignum morte iudicat. Quot autem quantaeque fuerint iniquitates eius temporis et corruptelae, ex ecclesiastica domini Eusebii historia cognoscitur. Quam ob rem synodus trecentorum ac duodeviginti patrum congregata est, zelo beati ac philochristi imperatoris sancti Constantini, anno Alexandri DCXXXVI: qui spiritus virtute, atque argumentis ex divinis libris deductis, explicarunt, illustrarunt, lucida demonstratione sanaeque doctrinae verbis; integrae laudis fidem confirmaverunt, magistrosque et omnes cuiusvis haereseos antesignanos refutaverunt, eosque anathemate perculsos, a Christi corpore tamquam morbida membra et insanabilia separaverunt; catholicam ecclesiam omni macula vanarum superstitionum sectarumque spurcarum emundarunt; factaque est universa tellus ab ortu solis usque ad eius occasum, mens una et ecclesia una.

Post autem centum ferme annorum intervallum, lis accidit quaedam inter Cyrillum Alexandriae patriarcham, et dominum Nestorium patriarcham byzantinum, circa humanatum Verbum; quum alioqui nulla esset in confessione Trinitatis inter Christianos discidium: siquidem omnes nicaenam fidem receperant, quae Trinitatem agnoscit essentia aequalem dominatione potentia ac voluntate; omnesque Christum fatebantur perfectum Deum et perfectum hominem: ad id nimirum adacti ab evangelio, et Paulo, et trecentis ac decem et octo patribus. Erat igitur quaestio de unionis modo, deque vocabulis eandem denotantibus: etenim Cyrillus aiebat debere a nobis Virginem Dei matrem appellari, scripsitque capitula tredecim, quibus cuilibet distinguenti post unionem divinitatem ab humanitate (1) anathema dixit. Contra vero Nestorius id negabat, quia neque apud prophetas neque apud apostolos ipsa dicitur mater Dei (2): nam prophetae quidem de Christi adventu vaticinati sunt; apostoli autem praedicaverunt, Christum illum, quem prophetae venturum in mundum dixerant, hunc esse ipsum qui de Maria natus est. Quamobrem sicuti, si nos eam simpliciter hominis matrem appellaremus, similes fieremus Paulo samosateno et Photino galatae, qui Dominum tantummodo hominem esse dicebant, veluti unum ex prophetis; quamobrem et anathematizati fuerunt; ita si eam Dei matrem nominaremus, instar Simonis et Menandri putaremur, qui Deum a Maria corpus sumpsisse negabant, eiusque humanitatem phantasticam fuisse, non veram, aiebant; quare et hi pariter anathemate perculsi fuerunt. Ipsam igitur Christi potius matrem appellamus(3),

(1) Calumniatur nestorianus Sobensis. Ad demonstrandam enim S. Cyrilli de duabus naturis divina et humana in incarnatione superstitibus sententiam, sufficit vel unus eiusdem locus in capitulis de incarnatione Domini a me primum editis T. VIII. Sic enim. cap. 21. pag. 86. σαφέστερον δ' ἄν τις ἐκ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς τὴν θείαν φύσιν, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν κατίδοι, ταῖς ἐνεργείαις μὲν διῃρημένας, τῷ προσώπῳ δὲ συνημμένας, καὶ τὸν ἕνα ὑποδεικνύσας υἱόν: *manifestius autem ex epistola ad Hebraeos cognoscere licet, divinam naturam atque humanam, operatione quidem distinctas, persona autem unitas, quae unum exhibent filium.* Quid plura? Idem Cyrillus in opere praedicto cap. 31. diserte demonstrat ὅτι δύο μὲν αἱ φύσεις, ἓν δὲ τὸ πρόσωπον τοῦ Χριστοῦ: *quod duae quidem sint naturae, una autem persona Christi.*

(2) Immo S. Cyrillus p. 126. apostolica scripta enumerat, ex quibus *Deiparam* cognoscimus, in opere mox citando. (3) Notissimus Nestorianorum error, contra quem disputat ma-

quod est ei nomen a prophetis et ab apostolis impositum, et unionis vinculum denotat. Cyrillus autem dum in capitulis excommunicat quemlibet qui divinitatem ab humanitate distinguit, ipsos sacros libros excommunicat: etenim prophetae atque apostoli ipsam quoque in naturis personam, de qua fit controversia diviserunt (1); ab iisque sancti Patres didicerunt confiteri Christum perfectum hominem et perfectum Deum, formam servi habentem, filium Davidis et filium excelsi, carnem et Verbum.

Ecce autem hinc iterum Ecclesia scinditur, dum alii Nestorio assenserunt, alii vero post Cyrillum aberraverunt; atque utraque pars invicem excommunicavit, fueruntque schismata, caedes, exilia, vincula, persecutiones adversus patres, graviores etiam quam priscis temporibus, uti narrat Irenaeus Tyri episcopus (2). Crevitque tumultus, et seditio dilatata est usque ad Marciani philochristi tempora, qui pro sua prudentia magnam synodum in urbe chalcedonensi coëgit episcoporum DCXXXII., iussitque ut sedula inquisitio fieret, et inter adversas partes iudicium; quisquis autem veritati et oecumenicae fidei nequaquam accederet, extra communionem fieret, atque ita unius fidei concordia in universa ecclesia statueretur. Haec autem synodus duarum in Christo naturarum confessionem, nec non utriusque naturae proprietatum distinctionem adeo confirmavit, ut duas quoque voluntates esse fateretur: anathema vero dixit cuilibet adfirmanti mixtionem aliquam, quae duarum naturarum confusionem induceret. Et quia in graeco idiomate nulla est differentia inter ὑπόστασιν atque πρόσωπον, unam esse in Christo hypostasin fassa est. Quum autem neque Cyrilli adseclae duabus naturis adsentirentur (3), neque Nestorii discipuli uni personae, edictum Imperiale latum est, ut qui synodi definitioni non adquiescerent, dignitatem amitterent. Nonnulli igitur violentiae cedentes consenserunt; alii tamen in opinione sua perseverarunt.

Inde factum est, ut christianorum coëtus in tres sectas divisus fuerit. Prima quidem unam naturam, et unam personam in Christo confitetur, quam Copti, et Aegyptii, atque Aethiopes, ex traditione Cyrilli sui patriarchae tenent, et Iacobitarum appellatur, ex eo quod Iacobus quidam vir doctus inter Syros (4) ad stabiliendam Cyrilli confessionem apud Syros et Armenos plurimum contulit. Altera, quae duas naturas, et unam personam adserit, Melchitarum dicitur, quippe quae ab Imperatore vi stabilita est: et hanc suscepere Romani, qui Franci appellantur, et

gnus Cyrillus in scriptis a me primum editis T. VIII. p. 103–107; et toto illo tractatu de *Deipara* p. 108–131; et denique in dialogo p. 132.

(1) Calumnia est nestoriana adversus s. scripturas. Legesis Cyrillum in citatis locis (2) In commentario de rebus gestis in synodo ephesina, cuius operis nonnisi fragmenta supersunt. (3) Distinguendi sunt falsi a veris Cyrilli discipulis. Veri quidem doctrinam eius a nobis nuper citatam sequuntur; falsi autem et calumniosi, cum Severianis seu Iacobitis conspirant, de quibus mox dicemus. (4) De hoc prolixe Assemanus Bibl. or. T. II. p. 62. sqq. Quod autem Monophysitae falso iactarent se Cyrillum ducem sequi, testis luculentus est Severus antiochenus in celebri opere *Cyrillus* inscripto seu *Philalethes*; quod ineditum apud me servatur, una cum Iohannis Caesariensis orthodoxi (cui contradicit Severus) defensione concilii chalcedonensis; quorum operum aliquando ratio a me habebitur.

constantinopolitani Graeci, et omnes populi boreales, Rutheni scilicet, Alani, Circassi, Asiani, Georgiani, et reliqui eis finitimi. Franci vero ab illis discedunt in eo, quod Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere dicunt, et azyma ad sacrificium usurpant. Et geminae quidem praedictae sectae illam vocem "Deipara„ susceperunt: Iacobitae vero in canone trisagii adiecerunt illud "qui crucifixus est pro nobis„. Tertia autem secta, quae duas naturas, et duas personas in Christo confitetur, Nestorianorum appellatur. Orientales namque veritatem suam minime immutarunt, sed sicut ab apostolis accepere, sine varietate servarunt. Nestoriani tamen per iniuriam et immerito nuncupati sunt; quandoquidem nec Nestorius eorum patriarcha fuit, nec eius linguam ipsi intelligebant: sed cum audissent duas naturas, et duas personas, unum filium Dei, unum Christum ab illo praedicari, orthodoxam ab eo fidem adseri suo testimonio confirmavere; quoniam et ipsi eamdem sententiam tenebant. Quare Nestorius eos sequutus est, non ipsi Nestorium, maxime in Christipara. Cum autem postulatum est ab eis ut Nestorium anathematizarent, recusarunt dicentes, se, si Nestorium excommunicarent, perinde facturos ac si divinis scripturis sanctisque apostolis anathema dicerent: namque ab ipsis, aiebant, nos quod tenemus accepimus; nempe id ipsum vos in nobis atque in Nestorio reprehenditis (1), ut in sequentibus capitulis palam fiet.

ADNOTATIO.

Capitulum quintum haud prolixum continet obiectiones adversus praedictas sectas. Capitulum sextum satis breve agit de Deipara, cui hunc titulum nestorianus Auctor invidet. Capitulum septimum item breve tractat de quaternitate personarum in Trinitate, quam adversarii obiiciebant Nestorianis duas personas in Christo adstruentibus. In his capitulis propugnat Auctor sectam suam, vulgo nestorianam. Sed enim, quum sint in occidente obsoleti istius sectae errores, et a sexcentis theologis refutati, non fuit operae pretium, hanc Auctoris partem in librum nostrum recipere, aut prolixius arguere. Unicam particulam ex capitulo quinto recitare iuvat, ex qua lucide apparet, quomodo Nestoriani duarum in Christo naturarum unionem exponerent. Mar Iohannes (*inquit Ebediesu*) Phinchensium filius demonstrationem producit de unione commixtionis, quam ii (*Iacobitae*) adserunt, deque unione adhaerentiae, quam nos adfirmamus; ex nomine scilicet Christi, quod atramento simul et minio hunc in modum scribi contingat. Unio quippe commixtionis erit, veluti Christi nomen minio et atramento simul commixtis exaratum. En tibi corruptio, en confusio; neque atramentum est neque minium. Unio autem adhaerentiae, nomen Christi atramento exaratum in charta minio tincta. En venustas, en lux; et atramentum est, et minium.

(1) Nestorianas universae haereseos plenissimam refutationem a Leontio hierosol. scriptam, habes a me primo editam in tomo IX, quam qui leget, nihil ulterius requiret.

CAP. VIII.

De ecclesia.

Ecclesiae vocabulum significat coetum et celebritatem, supernosque ordines repraesentat: quemadmodum enim novem sunt chori maiestati divinae deservientes, quos in tres ordines distinguimus, ita et Ecclesia choros novem enumerat: Patriarchae enim, Metropolitani, et Episcopi, ordinem Cherubim, Seraphim, et Thronorum imitantur: Archidiaconi, Periodeutae, et Presbyteri, ordinis Virtutum, Potestatum, et Dominationum locum tenent: Diaconi demum, Subdiaconi, et Lectores, tamquam in ordine Principatuum, Archangelorum, atque Angelorum administrant. Namque hominum congregationem significat Ecclesiae nomen; non autem muros ac lapides Christus Ecclesiae nomine indigitavit, sed coetum ipsimet credentium. Attamen templum quoque ministeriique domus sancta hoc eodem vocabulo Ecclesiae donatur; veluti civitatis vocabulum modo de hominibus dicitur, ut: egressa est tota civitas obviam Iesu; modo aedificium denotat, ut: ingressus in civitatem.

Atque heic concluditur tertius tractatus.

TRACTATUS QUARTUS

CONSIDERATIO DE SACRAMENTIS ECCLESIAE

CAP. I.

Sacramentorum Ecclesiae numerus.

Sacramenta Ecclesiae septem sunt iuxta mentem divinarum scripturarum. Primum est sacerdotium, quod et reliqua sacramenta conficit. Secundum, sanctum baptisma. Tertium, chrisma unctionis. Quartum, oblatio corporis et sanguinis Christi. Quintum, remissio peccatorum. Sextum, fermentum. Septimum, signum vivificae crucis.(1) Haec autem necessaria esse, ex iis quae homo ad vitam carnalem exigit, demonstratur. Homo siquidem primo indiget, ut sit, et in rerum natura locum obtineat: ut nimirum ex matre corporea per patrem carnalem generetur: quamquam reapse forma et complementum a patre luminum suppeditantur: ita et ad aevum immortalitatis, ex alvo spirituali baptismi per sacerdotem, qui pater est spiritualis, generatur; quamquam forma spiritualis et complementum a Spiritu sancto, et virtute Altissimi conceduntur. Rursus qui in mundum ingressus est, temporario cibo et terreno potu ad vitae sustentationem indiget: sic prorsus spiritualis cibus, ut divinus potus baptizato aeternae in Deo vitae sustentationem praebent. Et quemadmodum status corporis ex tempestatum vicissitudine, et pravo regimine, in morbos

(1) En insignis Nestorianorum corruptela, qui veris Christi sacramentis extremae unctionis et matrimonii, fermentum et signum crucis substituunt. Et quidem hunc cum aliis gravem Sobensis errorem iamdiu coerguit synodus Diamperitana, in Malabaria apud Indos anno 1599. celebrata, ut observat Assemanus in Catalogo cod. syr. CLXXVI.

et aegitudines incidit, ac propterea medicorum curatione indiget, ut pristinam recuperet sanitatem, siquidem iuxta eorum praescripta sese contineat: ita et homo, factura Dei, ex errore, et peccatorum sordibus, morumque depravatione morbos peccati contrahit, atque a medicis spiritualibus, qui sunt sacerdotes ecclesiae curatur, si certe eorum praeceptis vitae suae regimen accommodat. Oleum vero unctionis, regenerationem ex baptismo comitatur: sanctum porro fermentum, cibum qui est corpus Christi componit. Signum autem crucis vivificae perpetua est christianorum custodia, et omnium sacramentorum perfectio, et perficiens. Qui vero ex Christianis fermentum non habent, matrimonium iuxta legem Christi initum pro septimo sacramento enumerant, cuius ope pro homine, qui e vivis decessit, alius ipsi similis substituitur. Si quis autem ex externis sciscitetur, quonam pacto singula praedicta septem sacramenta sanctitatem, et sacramenti rationem obtineant; respondemus: tria ad confectionem cuiuslibet sacramenti concurrere: primum quidem est ipse sacerdos verus, ad quem ecclesiastica via traductum est sacerdotium: alterum vero est verbum, et praeceptum Domini sacramentorum, quod de singulis sacramentis ipse constituit. Tertium conscientiae minime haesitantes suscipientium, et forti fide roboratae, pro certo habentes, ea quae in sacramentis significantur, virtute caelesti fieri. Age vero nos de singulis simpliciter, et summatim disseremus.

CAP. II.

De sacerdotio.

Sacerdotium est ministerium intercessionis inter Deum et homines, quod adtinet ad peccatorum expiationem, bonarum rerum adquisitionem, irae denique *divinae* mitigationem. Porro aliud fuit imperfectum, seu mosaicum; aliud vero perfectum, seu illud quo utitur Ecclesia. Porro sacerdotii ecclesiastici fundamentum in iis verbis nititur, quae Petro in partibus Caesareae Philippi dicta fuerunt a sacerdotii domino: tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quod solveris super terram, erit solutum et in caelis. Ecclesiae vero aedificium iis verbis denotatur: pasce mihi agnos meos, pasce oves meas. Sacerdotii perfectio atque ordinatio in iis verbis peracta fuit: insufflavit in eos, et dixit: accipite Spiritum sanctum; si remiseritis alicui peccata, remittuntur ei; quod si retinueritis alicui, retenta sunt. Vetus quidem sacerdotium generi tribuebatur, non moribus, nec ad libitum. Novum contra sacerdotium, ex apostolica traditione per manuum Ecclesiae impositionem, praemisso examine, atque habita morum ratione, ad eos qui digni sunt devenit: primum quidem probentur, et sic ministerio fungantur, siquidem nullius criminis rei sint. Quod autem perfecte se habeat nostri sacerdotii ratio, imperfecte autem ratio veteris, vel inde demonstratur, quod saepe pravi liberi ex iustis parentibus, veluti Cain, Cham, et liberi Lot, nascuntur: contra autem boni liberi ex parentibus improbis, veluti Melchisedek, Abrahamus, aliique. Vetus illud sacerdotium oleo materiali conferebatur; alterum hoc autem spirituali oleo non materiali datur, nempe per manuum impositionem. Quibus autem regulis fiat examen, utrum dignus nec ne sit, qui sacerdotium optat, Paulum, Spiritus linguam, narrantem audiamus:

fidelis sermo est: si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vino immodice indulgentem, non manu sua velocem ad percutiendum, sed mansuetum, non litigiosum, neque argenti cupidum; sed suae domui bene praepositum, filios habentem subditos in omni castitate. Si autem domui suae praesse nescit, quomodo ecclesiam Dei potest regere? Non neophytum ne inflctur, et in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum satanae. Diaconos pariter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpia lucra amantes, sed habentes mysterium fidei in conscientia pura. Hi autem omnes sacerdotii ordines primum probentur, et tunc ministrent, nullum crimen habentes.

CAP. III.

De baptismo.

Baptismus est mersio lotioque in aqua. Quinque sunt baptismi genera; 1. lotio uniuscuiusque per aquam, siquando in corpore suo maculam labemve vidit. 2. Lotiones legales, quae putabantur efficere coram Deo emundationem a cunctis pollutionibus sordibusque carnis. 3. Iuxta maiorum traditionem est calicum, phialarum, aeneorum vasorum, lectorumque lotio, et ne quid ex foro escario manducarent nisi prius loti. 4. Baptismus Iohannis, qui paenitentiam tantummodo et peccatorum remissionem praedicabat. 5. Denique Servatoris nostri baptismus, qui in Spiritu sancto recipitur in donum adoptionis, resurrectionem a mortuis, et aeternam vitam; quae est circumcisio quaedam non manu facta. Sicuti autem circumcisio carnis data fuit prisco Israëli ob cognationem spiritualem significandam; ita baptismus novo Israëli collatus est, ad significandam aeque spiritualem cognationem, nempe inter eos qui vocantur et sunt filii Dei: qui autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Baptismi materia aqua munda est: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Forma autem est lotio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quae sunt Servatoris nostri verba. Est etiam sextus baptismus qui fit per sanguinem, ceu Dominus innuit dicendo: baptismum habeo, quo baptizer; et multum coarctor, donec perficiatur. Denique et septimus baptismus est, qui fit per lacrymas, uti patres loquuntur. Verumtamen haec duo postrema baptismi genera pertinent reapse ad quintum, qui est mortis ac resurrectionis figura.

CAP. IV.

De chrismate.

Chrisma, apostolica traditio est, isque ritus inde a tempore, quo illud ab apostolis consecratum fuit, in Ecclesia Dei conservatur. Cur autem chrismate utamur, argumentis ex rei natura et scriptura sumptis demonstramus. Etenim divinus liber docet, eos qui sub lege mosaica figurato sacerdotio destinabantur, vel terreno regno, chrismate inungi solitos. Aeque apud nos, ii qui caelesti regno veroque sacerdotio destinantur, hoc multarum figurarum oleo unguntur, ut sint uncti verique fratres Christi: ete-

nim ipse per unionem adhaerentiamque (1) cum divinitate, unctus reapse fuit ratione quadam supernaturali: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis: idemque fuit unctor simul et unctus, illud quidem in sua divinitate, hoc autem in humanitate sua. Naturalis autem ratio adhibendi chrismatis haec fere est: sicuti enim excellentes in arte sua pictores, postquam iconem pictura eximiisque coloribus perfecerunt, deinceps eam oleo ungunt, ne detrimentis obnoxia sit, neque incurrentibus deforas rebus deleatur; ita qui ad caelestis regis imaginem sunt conformati, unguntur in mente, nequid a mundanis incursionibus diabolicisque offensionibus detrimenti patiantur. Chrismatis materia est oleum purum ex oliva; forma autem, benedictio apostolica.

CAP. V.

De oblatione.

Oblatio est ministerium, quod per res sensibiles ab infimis offertur superis, spe obtinendae peccatorum veniae, et precum exaudiendarum. Et apud veteres quidem ex animalibus mutis caesarumque hostiarum cruore constabant oblationes: apud nos autem unigenitus Dei, qui servi formam assumpsit, corpus suum hostiam patri suo pro mundi vita obtulit: quapropter agnus Dei, qui tollit peccatum mundi a Iohanne fuit appellatus, eiusque sanguis in novo testamento pro multis in remissionem peccatorum effusus fuit. Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, qui hostia viva et rationalis pro omnibus patri suo oblatus est, mundumque maiestate sua reconciliavit, salutemque angelis et hominibus largitus est. Quoniam vero fieri non poterat, ut mactatio eius in cruce pro omnium salute in omni loco, atque omni tempore, et apud quemlibet hominem in sua substantia sine mutatione repraesentaretur; misericorditer respexit, et clementer atque sapientissime providit; ac illa nocte, in qua tradebatur pro mundi vita, accepit panem in sanctas et immaculatas manus suas, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: hoc est corpus meum, quod pro mundi vita frangitur in remissionem peccatorum. Similiter super calicem gratias egit, deditque eis dicens: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum; accipite ergo omnes, manducate ex hoc pane, et bibite ex hoc calice, atque ita facite, quotiescumque convenietis in meam commemorationem. Hoc itaque praecepto dominico mutatur panis in sanctum eius corpus, et vinum in pretiosum eius sanguinem, et fiunt in remissionem peccatorum, et in emundationem, et illuminationem, et propitiationem, et spem magnam resurrectionis a mortuis, et in hereditatem regni caelorum, et in vitam novam illis qui in fide sine haesitatione haec percipiunt. Quotiescumque enim ad haec mysteria accedimus, ipsi Christo occurrimus, ipsumque in manibus nostris gestamus, et osculamur, et eorumdem perceptione cum ipso unimur. Miscetur enim sanctum eius corpus cum nostris corporibus, eiusque pretiosus sanguis nostro cum sanguine contemperatur. Unum namque corpus atque idem per fidem novimus, illud quod in caelo, et hoc quod in ecclesia est. Tradidit porro illud per ma-

(1) Vocabulum nestorianum, ut iam diximus

teriam tritici et vini, quia haec valde affinia sunt sanguini et corpori. Formam autem impertitur vivo verbo suo, et per illapsum Spiritus sancti (1).

CAP. VI.

De sacro fermento.

Sancti apostoli, orientalis plagae magistri, ex duodenario quidem numero Thomas atque Bartholomaeus, ex septuagenario autem Adaeus et Marcs(2) cunctis orientis ecclesiis sacrum reservatumque fermentum tradiderunt ob conficiendum corporis Domini mysterium usque ad eius adventum. Quod si quis Christianorum effutiat dicens: quomodo hi memorati a vobis apostoli consecratum fermentum orienti tradiderunt; Petrus autem, ille princeps apostolorum, eiusque sodales occidentalibus non tradiderunt? Si certe vera dicitis, alterutrum sequitur; nempe aut apostolos haud concordi fuisse magisterii sententia; aut falsam esse ipsorum traditionem. Cui contradictioni sic respondemus. Ex quo quidem apostoli vera fide imbuti fuerunt, eandem usque ad nostra tempora apostolici canones sine ulla mutatione custodiverunt, adversus potestatis quoque saecularis persecutiones. Et quamvis maiores nostri iugo servitioque barbaro oppressi essent, numquam tamen neque vera dogmata neque canones suos mutaverunt. Neque vero prudentes nesciunt quam difficilis et ardua fuerit canonum huiusmodi conservatio, praesertim huius fermenti, in regionibus calamitosis, ubi neque rex aliquis Christianis auxiliabatur, neque alicuius principis tutela et ope fruebantur, sed omni potius vexatione et angustiis premebantur. Quod si hunc fermenti ritum nequaquam ex apostolica traditione manare credidissent, haud sane custodiendi eius causa una cum fide orthodoxa tot labores aerumnasque passi fuissent. Obiicientibus autem Petrum magnosque apostolos, qui occidentis magistri fuerunt, nos quidem contradicere possumus adfirmando, illos quoque ita tradidisse; sed mutata fide, reliquos quoque canones vi regum haereticorum perversos fuisse (3). Nostrae vero adfirmationis argumentum est, quod non aeque omnes traditionem apostolicam retinent: nam Phryges quidem oblationem ex azymo non faciunt, neque Romani ex fermento. Attamen apostoli traditionem diversam haud reliquerunt. Ergo occidentales potius quam orientales, varietatem in fide et canonibus perpessi sunt (4).

CAP. VII.

De peccatorum remissione ac de paenitentia.

Fragile genus humanum est, et peccando obnoxium, ac fieri vix potest,

(1) Quod revera consecratio verbis Christi absolute perficiatur, legesis prae aliis theologis Assemanum doctissime disputantem in Bibl. Or. T. II. 200. sqq.

(2) Immo, ut tradit Salomon bassorensis aeque nestorianus, apud Asseman. Bib. Or. T. III. p. 318, soli Adaeus et Mares in fermento consecraverunt; reliqui autem apostoli, ut ait praedictus, aliter se gesserunt. Quare et ea quae Sobensis de S. Patro deinceps ariolatur nullam merentur fidem: etenim romana et occidentalium traditio longe opinioni Sobensis praevalet.

(3) Haec gratis occinit nestorianus haereticus.

(4) Ita caeco orientalium gregi illudunt caeci ipsorum pastores.

ut spiritualibus infirmitatibus non tentetur. Idcirco medicum sacerdotium datum fuit, quod homines sine ulla mercede sanet: si remiseritis alicui peccata, remittuntur. Itaque et *Servator* dixit: non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Et: non veni vocare iustos sed peccatores ad paenitentiam. Atque ut peccantium spem augeret, foresque paenitentiae panderet, quae ad caelum ducit, et supernam conciliat felicitatem, tres parabolas in medium protulit; videlicet filii prodigi, centum ovium, et duorum hominum qui uni creditori debebant. Exempla autem sunt, Simon post suam negationem, Paulus post suam persecutionem, mulier peccatrix, publicanus, atque latro. Fideles igitur, quotiescumque fragilia naturae humanae vitiis quatiuntur, quae semper incolumis esse non potest, ad medelae locum se oportet conferant, suasque medicis spiritualibus infirmitates ostendant; nempe ut per expiationem et canones paenitentiales sanitatem spiritus recipiant, ac deinde ad dominicam caenam pure accedant, prout magnus magister faciendum dictavit. Porro Dominus noster paenitentiae medicinam peritissimis eius artis hominibus credidit, Ecclesiae scilicet sacerdotibus. Quamobrem qui iniquitatis morbo a daemone tangitur, is Domini discipulis sapientibus medicis vulnera sua revelet, qui eidem spirituali medela remedium facient. Haec autem suum reapse effectum consequuntur, si cum fide, non autem profana ratione fiant; quicquid enim ex fide non est, peccatum est: veluti quidam avaritia corrupti, tanti momenti rem ad suum lucrum mercimoniumque converterunt.

CAP. VIII.

De matrimonio et de virginitate.

Sanctitatis exercitationem *sacra* volumina appellant coniugium illud, quod ex norma christianae legis contractum fuit, in quo neque taedium est, neque mussitatio, neque alienae rei concupiscentia: verum in eo peraguntur officia erga uxorem atque familiam, liberique in timore Dei educantur. Sanctum igitur prorsus matrimonium est, mundusque eius thalamus, praesertim quia Paulus mysterium hoc inter res supramundanas collocavit: sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Quapropter id haud licet dissolvere (1), nisi ob causam fornicationis; aut ob illam conscientiae, quae in tres dividitur, veneficium, defectionem a religione, aut caedem; aut ob corporalem: omnis enim qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulter fit. De virginitate autem, praeceptum Domini non habeo, inquit Dei dispensator; nam Dei mandatum de matrimonio erat. Quod siquis virginitatis curriculum sectari volet, et Baptistam, Redemptorem, Eliam, Paulumque imitari; utique id pro libito faciat, nempe ut rem consilio evangelico non praecepto fretam; ita tamen, ut matrimonium minime sordidum reputet aut abominandum: tantummodo id, propter rerum adiuncta, parum commo-

(1) Quicquid Nestoriani censeant, nos quidem Catholici vinculum coniugii manere dicimus, thori tantummodo fieri posse certis de causis separationem, quas heic ex iure canonico recitare non est necesse.

dum spirituali vitae reputet: nempe ob commercium cum pluribus, accipiendi daudique occupationem, incolatum in urbibus aut pagis, multa sunt offendicula eius, grave iugum, plurimae curae, et in mundanis negotiis volutatio. Attamen siquis, virginitate vota, nequaquam se cen spiritualis angelus sive contemplando sive agendo gerit, peiore conditione est quam saecularis quivis laxis moribus homo: qui enim certamen adgreditur, abs quolibet negotio mentem revocare debet.

Atque heic desinit quartus tractatus.

TRACTATUS QUINTUS

CONSIDERATIO DE IIS QUAE FUTURUM SAECULUM SIGNIFICANT.

CAP. I.

De adoratione orientem versus.

Apostolicus canon est adoratio orientem versus; eius autem rei causa ex illis Domini verbis repetitur: sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit et adventus filii hominis. Rursus ex illo dicto: de die illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum. Et quidem nos vigiles esse oportet, conversis vultibus nostris ad tempus apparitionis eius. Hinc autem duplicem percipimus utilitatem; quarum una quidem est finis nostri, futurique iudicii memoria, quae nosmet a vitiis cohibet; altera vero est, primitivi loci, unde ob peccatum excidimus, id est paradisi, mentio, qui ad orientem situs est; quare ad paenitentiam confugimus. Iam in sancti Ephraemi commentariis scribitur, Gabrielem angelum Virgini sempiternae ex oriente sese obtulisse; quae audita illa salutatione "ave gratia plena" orientem versus adoravit. Praeterea quum Dominus noster in caelum conscenderet, facies quidem eius occidentem spectabat, ut sic adventum suum in die resorrectionis portenderet: discipuli autem coram consistentes, ascendentem ipsum adorarunt orientem versus: quibus angeli dixeront: hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum. Denique prisci scripturarum enarratores addunt, quod in principii die, septem quidem rerum naturae cum silentio creatae fuerant; quibus illa vox successit "fiat lux". Unde angeli, qui se creatorem habere nesciebant, ea voce audita, decreverunt dicentes: si hanc vocem effectus consequitur, utique vocis auctor, creator noster universique mundi est. Statim vero "facta est lux": omnesque ilico eam caeli partem adorarunt, unde lux exierat, hoc est orientem. Atque hoc nimirum beatus Iob denotat: quando creabam luciferum, omnes angeli mei laudaverunt me.

CAP. II.

De adoratione dominicae crucis.

Christi humanitatem propter Deum in ea existentem adoramus. Ita etiam in cruce Deum Salvatorem nostrum veneramur. Crucifixus enim nomen est Christi, sicut et occisus, et adoratus. Neque enim ligno, argento, aut aeri istud nomen con-

gruit. Fundamentum quippe magnum christianae religionis hoc est, quod innovationem et salutem communem per crucifixum partam fateamur. Et crucis figura, quam habemus, est signum Salvatoris nostri, quod ante ipsius revelationem in caelo apparebit, sicut ipse ait. Cum enim signum salutis nostrae contemplamur, et in eo Salvatorem nostrum crucifixum cogitamus, solutionem debiti nostri, et universi mundi innovationem putamus nos intueri: atque hanc ob causam fervidam adorationem cum gratiarum actione offerimus: neque vero materiam sensibilem, sed illum qui crucifixus fuit, meditamur; immo Deum, qui filium suum tradidit, ut pro nobis crucem subiret: hic autem per suam in cruce mortem nobis innovationem peperit, salutem, ac vitam sempiternam in caelesti regno, quantumvis non merentibus, impertitus est. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius; multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Sancti enim apostoli cunctas virtutes hoc in signo operati sunt; et manuum impositionem in sacerdotio conferendo, atque reliqua ecclesiae sacramenta hoc ipso signo perfecerunt: et haec, accepta traditione, ad omnes posteros deducta atque confirmata sunt. Atque ita nos docuerunt dicere: verbum enim crucis perditis insipientia est, nobis autem, qui vivimus, virtus Dei est.

CAP. III.

De sacra die dominica, deque festis Domini.

Diei aeque dominicae observatio apostolico canone decreta fuit: est enim dies magna, in qua Servator noster a morte resurrexit, quo miraculo creaturas omnes exhilaravit, testem semet veridicum exhibens generalis resurrectionis atque aeternae vitae. Sicuti autem dux noster die dominica resurrexit, ita universum Adami genus die dominica resurrecturum est, quod mundi intermini initium erit, qui quidem haud incipiendo incipiet, sed manifestando se manifestabit. Hic ergo a nobis colendus dies, quo prodigia eiusmodi contigerunt. Et quoniam facta resurrectione, curae omnes mundanae cessabunt, atque unusquisque ad Dei laudem, eiusque ineffabilium mysteriorum fruitionem convertetur; idcirco constituerunt apostoli, ut die dominica ab omni mundana sollicitudine Christiani abstineant, Deoque constanter orando sint dediti, et librorum lectioni, cum incarnationis dominicae meditatione. Et primo quidem prophetas legant, qui fundamentum et ianua fuerunt recipiendae veritatis incarnationis Christi; qui non venit, ut eos dissolveret, sed ut adimpleret: etenim qui imperfectionem supplet, etsi aliquoties scopo suo serviens imperfectum cum perfecto mutat, quomodo solvens dici potest? Quomodo rursus monumentorum illorum sit destructor, a quibus testimonia de ipso sumuntur? Scrutamini scripturas, in quibus putatis vos vitam aeternam habere; namque ipsae testimonium de me perhibent, quod pater miserit me. Idcirco iusserunt apostoli, ut primo legerentur prophetarum libri, deinde evangelium tamquam eorum terminus atque sigillum: idque omni die dominica facimus, ut perennem resurrectionis memoriam habeamus, in qua nostrorum operum remunerationem consequemur; quae res incitamento ad virtutis prosecutionem est et ad vitii fugam. Sollemni-

tates insuper vitae Christi, quorum annuam commemorationem facit Ecclesia, ideo celebramus, ut bona creaturis concessa per Christi in carne manifestationem, paulatim non obsolescant, neque in oblivionis barathrum decidant, si nulla ipsorum mentio fieret.

CAP. IV.

De feria sexta.

Hic dies feriae sextae appellatione usus est, donec eo die Servatore nostro crucifixo, sol occidit, tenebraeque super omnes creaturas diffusae sunt, propter Iudaeorum facinus; ex quo tempore dici coepit occasus. Eo die maerorem prae se tulerunt creaturae, luctumque egerunt ob primi communis peccati excessum, cuius causa ille mortuus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in labiis eius: caeli luctum significarunt, obscurato sole; terra, motu atque tremore; templum, velo quod intra erat scisso; petrae hiatu abruptae; quin adeo ferae ipsae carnivorae et volucres carne abstinuerunt, neque cadavera attigerunt, obsequii causa erga sanctum Servatoris cadaver ligno suffixum, sicuti in Ephraemi commentariis legitur. His de causis canonem ediderunt apostoli, ne Christiani carnes hac die gustarent: atque insuper in eodem canone, eadem ducti ratione, quartam feriam memorant, in qua Iudaei de Servatoris caede consilium inierunt, pretiumque innocui sanguinis proposuerunt. Profecto hic idem passionis dies (*nempe sexta feria*) occasus quidam universi orbis fuit: in eo quippe ob Adami peccatum mors naturam nostram occupavit, paradisoque depulsi fuimus in maledictam terram: eodem die, Noachi aevo, genus humanum diluvio universum periit: in eodem denique hostis noster certamen gessit cum generis nostri primogenito, tum post quadraginta ieiunii dies, tum etiam passionis supremae tempore.

CAP. V.

De ieiunio, et oratione, atque eleemosyna.

Tres virtutum radices sunt in divini timoris via, apud eos certe qui resurrectioni credunt, atque in ea via perseverant, ob futuri saeculi spem; ieiunium scilicet, oratio, et misericordia: si tamen haec iuxta evangelicam normam non aliis de causis fiant. Nam, ut quidam etiam philosophus ait, ieiunium quavis quiete melius est; oratio cuilibet motui praestat; misericordia vero imago Dei est. Iam ipsum ieiunium duplex est; externum scilicet, quo a cibis; internum quo ab iniquitatibus abstinemus. Quoties vero ieiunium divitibus misericordiam suadet, dum ipsimet ex suae famis sitisque molestia, egenorum aerumnas comperiunt? Praeterea ieiunium sensus sanctificat, commotiones purgat, nosque similes angelis reddit. Oratio autem, non solum divinos thesauros clavis instar reserat, verum etiam est quaedam spiritus cum Deo confabulatio, ut e patribus quidam dixit: fili mi, cum oras Deum alloqueris; cum autem librum perlegis, tunc loquitur tecum Deus. Misericordia denique, practer quam quod similitudinem cum Deo habet, cui nihil ceteroqui simile est, ratio quaedam est, quam Iesu sapientia docuit, praemittendi in caelum per indigentes bona illa, quae nos diligimus plu-

rimique facimus, cum fiducia fore ut illic nos sine fine his fruamur atque oblectemur: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea corrumpunt, et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate vobis thesaurum in caelo; ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Sanctus quidem Thomas apostolus id egregie edisseruit, cum Indiae regi promisit, se immane ipsi palatium aedificaturum: quum enim is rex pecuniam pauperibus distribuisset, reapse illi palatium in caelo conditum fuit, prout frater eius extinctus, et ad vitam orante S. Thoma apostolo revocatus, testatus est. Huius rei gratia quidam homines digni habiti sunt, qui angelorum quoque praeter spem visione fruerentur, quod Cornelio dictum fuit: orationes tuae et eleemosynae, tamquam memoriale quoddam, ad conspectum Dei ascenderunt. Ad extremum testantur prophetae atque apostoli, nullam esse, praeter hanc, aliam viam quae divites ad Deum ducat.

CAP. VI.

De cingulo.

Christianorum mos cingendi lumbos, orationis tempore, quaedam veluti praeparatio est ad famulatum, dum nosmet in conspectu Dei componimus, velut ii solent qui coram terrestri rege ministerio funguntur. Attamen hoc divinum praeceptum in lege vetere ac nova indictum fuit. Etenim in prisca quidem mandatum erat sacerdotibus Levi filiis ut baltheum cum reliquo amictu sacerdotali gestarent. In nova autem "sint lumbi vestri praecincti, et lucernae vestrae ardentes, ut similes sitis famulis dominum suum expectantibus". Sic beatus etiam Iohannes Baptista pellicea zona circa lumbos suos praecinctus erat. In actibus quoque apostolicis Agabus propheta dicitur zonam de Pauli lumbis tulisse, seque ea praecinxisse. Tres itaque ob causas cingulo lumbos praecingimus; prima est, quia servi quoque et ministri saecularis regni, cincti procedunt, ut servitium suum ministeriumque significent. Altera causa est, quia id praeceptum Servatoris nostri est, ob denotandam mentis vigilantiam, intellectus puritatem, et illius expectationem, qui a nuptiis reversurus est, nosque omnes ad illam beatitatem sublaturus. Tertia denique causa est, quia cinctus mortem innuit: cinget lumbos tuos, teque ducet quo tu non vis. Nam sicuti qui iter suscipiunt, lumbos suos cingunt, ita nos peregrini instabiles, quos tempora, invitos licet, ulterius in cursu nostro trudunt, idonea viatica ad susceptum erga alterum mundum iter comparare debemus; nempe recti dogmatis scientiam, et bonorum operum exercitium. Haec enim cinguli ritus docet nos.

CAP. VII.

De resurrectione, futuro iudicio, aeternaque vita.

Quisquis operam adgreditur, scopum aliquem necessario sibi actionis suae proponit; quem adeptus, ab agendo desinit, finemque operae facit; secus, otiose frustraque operaretur. Noster vero Deus quaquaversus sapiens, haud per otium et obiter creaturam suam e nihilo eduxit; sed uti supra demonstravimus, non sine magna sapientia excelsaque mente ipsam creavit, cum ratiocinii exercitio et figurae perfe-

ctione. Quum autem tempus, quod sibi mente proposuit, elapsum fuerit, finem huic mundo imponet: etenim omne principium, desinendi initium facit; contra autem omnis finis, principii finis est. Quidam autem Dei spiritu imbutus ait: postquam decimae humanarum successionum classis iustus numerus absolutus fuerit, tunc fiet consumptio, et certissimus finis aderit. Eo quippe die sol occidens, non renascetur, et stellae de caelo cadent, fietque tenebrarum chaos, motusque omnis elementorum cessabit: et tunc apparebit signum filii Dei, crux videlicet radians in caelo cum virtute et gloria magna, et cum horrendis angelicarum tubarum clangoribus: sic autem apparebit rex regum Christus, ceu fulgur quod fulgurat ex oriente, et usque ad occidentem paret. Ipsius itaque apparitio universa caeli spatia mundique fundamenta terrore complebit; suaque voce vivifica resurrectionem instaurationemque iubebit: atque haec ultima tuba erit. Ab hac igitur vivifica voce procedet aër quidam vel spiritus suscitandi vi praeditus, qui redivivos homines permeabit, iisque densitatem detrahet: statimque, ac veluti in ictu oculi, immutabuntur in similitudinem angelorum; sufflabitque in mortuos qui surgent incorrupti: et boni quidem in caeleste regnum conscendent, et cum Domino suo supernae mansionis thalamos intrabunt, et contemplationibus, revelationibus, eiusdemque luce collustrati, beatissimam vitam cum summo et ineffabili gaudio ducent. Atque haec est vera beatitudo. Mali vero in terra manebunt, tenebrosa caligine compediti, igne doloris ac paenitentiae cremati cruciatique, reminiscentes operum suorum, et quomodo sempiternam felicitatem ob imaginariam ac momentaneam felicitatem perversa commutatione amiserint, et veram possessionem terreno stercori posthabuerint. Et haec est vera gehenna (1), cuius ignis non extinguetur et vermis non morietur.

Qui autem falso existimant corporale gaudium aeternum fore, cibum, potum, coniugiumque mortuis adsignantes, hi reprehenduntur a Servatore: in resurrectione enim neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in caelo. Etenim esca potusque opus est corporibus, ad detrimentorum reparationem, ne corporalis machina pereat. Coniugium aeque necessarium est, ut in demortui locum alter nascatur, ne genus pereat, quoad hominum numerus compleatur quem aeterna mens creatoris praefinivit. Iam utraque cessante causa, detrimento substantiae scilicet atque obitu, utrumque pariter desinit supplementum. Quippe omnes corporis voluptates nihil aliud sunt, nisi praecedentium passionum remedium; quibus oblectationibus siquis immodice utitur, eae confestim ad damnum vergunt; puta edendi bibendique voluptatem, quae famis sitisque passionem subsequitur: quod siquis intemperanter avideque edit vel bibit, dolores infirmitatesque, si minus mortem, patitur. Atque ita de omnibus huius mundi voluptatibus dicendum est. Haud tamen eadem spiritualium deliciarum ratio est; sed quo magis eas quisque arripit ac degustat, tanto vehementius easdem discupit; id quod in doctrinis quoque, rerum scientia, et eruditione, compertum est.

(1) Nestoriani sobensis error, metaphoricum ignem intelligentis etiam in carmine suo de Eden, ut observat Assemanus Bib. Or. T. III. p. 332. et 360.

Iam siquis dubitantium dicat: qui fieri potest ut resurgant corpora, marcore iamdiu corrupta, pulverique commixta, aut a feris devorata, aut igne consumpta, aut aquis mersa? nos sane respondemus, quod si magnes postquam ferrum in minutissimas tritum est particulas, vi sua arcana has ferreas particulas e pulvere arenaque separat; quanto magis potentia creatoris virtute sua, humana corpora separabi ta pulvere, concinnabit, disponetque in resurrectione? Praeterea si sapiens artifex, postquam multarum partium simulacrum composuit, deinde singulas domi suae abdidit, quin alii sciant vel ubi illae iaceant, vel quo in loco modove componendae sint; ipse tamen instante simulacri compositione, statim sine obice ullo, unamquamque partem e loco repositionis absque ulla difficultate sumit, suaque apte in sede sine errore collocat; quanto id facilius Deo sit, qui solus reapse sapiens omnipotensque est? Nostra enim corpora, quisquis modus corruptionis fuerit, in illa quatuor demum elementa solvuntur, unde fuerunt composita: quarum quae sit collocatio intra figuram nostram, Deo soli exploratum est; qui quum sibi libuerit, partes singulas ad suam sedem revocabit, cum propria qualitate et quantitate, atque ea compositionis ratione, quae ipsi comperta est. Tunc unumquodque humanum corpus resurget, pristinumque statum recuperabit ad mensuram aetatis plenitudinis Christi. Praemia vero ac poenae pro singulorum meritis retribuentur; ibuntque impii in aeternum cruciatum, iusti autem immortalem vitam consequentur. Ei vero, qui nobis potissimum virtute sua bene facere potest, immo et ultra spem precesque, pro ope sua quae in nobis operatur, gloria sit in ecclesia Iesu Christi per omnia saecula saeculorum. Amen.

Explicit, auxiliante Domino, liber margaritae de veritate christianae religionis, auctore Mar Ebediesu metropolita Sobae et Armeniae. Domino autem gloria et sempiterna gratiarum actio per saecula saeculorum. Amen.

FINIS TOMI X.

INDEX
OPERUM ET FRAGMENTORUM
DECEM TOMIS COLLECTIONIS VATICANAE COMPREHENSORUM

TOMUS I.

Ovidii Interpres, Papirianus, Papirius, Parthenius, Pausanias, Pedo C. in epigrammatis, Pherecydes, Philemo, Philochorus, Plinius, Plutarchus, Poeta doctus in suo passere, Polignus, Polycarpus, Porphyrius, Probus, Proculus C., et Proclus Pindari enarratores, Proculus C. in Lyde, Rabirius C., Rufus Corn. in lyricis, idem in pindarica aemulatione, Sabinus in Troezene, Sallustius, Serapio rhodius, Cassius Severus in tragoedia, Severus Corn. in bello siculo, Stephanus, Strabo, Suda, Titinius, Trinacrius Q., idem in Perseo, Trogus, Turpilius in Thrasylione, Turranius Cn. in Helene, Tuscus L. in Phyllidis amore, Uranius, Varius, Varro, Verro Terentius in punico bello, Verax T. in homerico Ulixe, Virgilius, Xenophon, Zeno, Zenodorus. Hi quidem auctores omnes in eruditissimi operis reliquiis nominantur; exempla tamen ipsorum omnia desunt, hiantibus in codice lacunis, de qua re dictum est in praefatione p. XLII.

Porro eiusdem operis alia fragmenta a Coelio rhodigino exhibita, habes in praef. p. XL-XLII. Denique in eadem praef. p. XLIII. de falso quoque Apuleio alio orthographo sermo fit.

Hactenus volumen primum repetitae et diversae editionis descripsimus, quod a nobis quidem imprimi necesse fuit, quia primae editionis volumen primum, distractis quae pauca fuerant exemplaribus, vix iam reperiebatur. Ceteroquin ne ipsum primae editionis volumen sine descriptione sit, differentias eius indicabimus. Quum enim nonnulla ad alios tomos transferre libuerit, nonnulla etiam semel extare sufficeret, multa denique novae editionis volumini superadderemus, hoc quidem satis ab illo diversum evasit, ita ut neutrum philologis non sit utile. Haec igitur insunt in prima quae in altera desiderantur editione, nempe. 1. praeter epistolam ad Leonem P. M., in qua de consiliis suis auctor disserit, ponitur S. Ambrosii locorum commentarii in Lucam comparatio cum eusebianis, quas ipse presse imitatur, quaestionibus. 2. Apollinaris et Photii fragmenta nonnulla commentariorum ad Lucam. 3. Anastasii sinaitae quaedam lucubratiunculae. 4. Chronicum quoddam breviatum. 5. Chronici paschalis et S. Hippolyti fragmenta duo. 6. Antipatri item bostrensis fragmenta duo sunt in tomi calce. 7. Iohannis Papae VIII. brevis epistola. 8. Theodosii grammatici pauca ad Danielem scholia. 9. Adnotationes nostrae ad commentarios Theodori mopsuesteni in prophetas minores, Polychronii, et variorum in Danielem, itemque nostra Theodori latina interpretatio. 10. Theodori mopsuesteni in prophetas, Leontii et Io. sacrarum rerum specimina non repetivimus, quoniam integra ipsorum opera sexto septimoque volumini reservabamus. Indicem quoque auctorum a Leontio et Io. laudatorum in eo volumine positum, septimo mox volumini, quod attinet ad ineditos, destinavimus. 11. Item Aristidis orationem quarto classicorum auctorum volumini deputavimus. De Theodori quidem mopsuesteni scriptis variis in praefatione disputatum fuit.

TOMUS II.

Praeeunt tabula palaeographica et imago Pontificis.

Epistola praevia ad Leonem XII. in qua gesta huius Pontificis maximi praecipua recensentur.

Praefatio, in qua de Constantini porphyrogeniti eclogis historicis, nominatimque de titulo *de sententiis* qui nunc primum editus est; tum etiam de variis variorum operum eclogis verba fiunt. Deinde singillatim dicitur de excerptis ineditis Polybii, Diodori siculi, Dionysii halicarnassensis (quo loco et Canabutii tractus vulgatur de mysteriis samothracicis), Appiani, Dionis Cassii (quo

TOMUS III.

Praecit tabula palaeographica.

Praefatio, in qua disseritur de diversis auctoribus quorum scripta in volumine divulgantur p. VII-XXVI. Paragrapho de Victorino addenda sunt haec. " Victorini commentarii „ erant olim in codice bobiensi apud Murat. „ antiq. M. Ae. T. III. p. 819. nempe: „ *Victorini in Apocalypsin*, *et in epistolas Pauli.* Item p. 820: *Victorini libri* „ *quinque*; quot reapse sunt libri commen- „ tariorum in Pauli epistolas in nostro volu- „ mine editorum. Victorini commentarios in „ epistolam ad Galatas memorat etiam Lab- „ beus Bibl.Mss. p. 24. Denique Victorini li- „ ber in Leviticum fuit in codicibus laures- „ hamensibus, teste codice vat. pal. 57. Victo- „ rinus *sui temporis ferme doctissimus* di- „ citur a Boethio sub initio operis sui ad „ Porphyrium a Victorino translatum. De- „ nique Alcuinus opp. T. I. p. 910. ait: „ Victorinus praecipuus rhetor, qui de tul- „ liana schola processit ad bella ecclesia- „ stica „. Pag. XVII-XIX. sermo est de vocabulis plurimis quibus lexica latina locupletari queunt. Ad pag. XXIII. ubi de Valerii Maximi breviatoribus verba fiunt, addenda sunt haec. In codice vat. 3307. saeculi XI. qui fuit Fulvii Ursini, alius est Valerii simul Galliique breviator, qui ceteroqui nullas sive Valerii lib. I. sive Gellii lib. VIII. lacunas explere videtur. Breviatoris tamen exordium propter codicis antiquitatem heic recitare placet.

" Valerii Maximi in describendis memoralibus „ factis seu doctis elegantissimae eloquen- „ tiae viri, si cui in litterarum studio non „ torpenti, sibique in scripturis dicendi „ copia incredibili iocundis atque suavissi- „ mis, re autem sententisque utilissimis, „ oblectationem quaerenti, historia forte „ defuerit, mentem huius libri applicet le- „ ctioni. Quem tamen ex supradicti viri hi- „ storia maxima emanasse noverit; siquidem „ praesenti opere conficitur quasi quoddam „ gratissimum temperamentum meo labore „ coëuntibus quam plurimis Valerii elegan- „ tissimis sententiis; collectis etiam nonnul- „ lis ex A. Gellii qui inscribuntur noctium „ atticarum libris; qui animos legentium „ sufficiunt tanta mulcere dulcedine, ut fa- „ stidia aliquo labore vel etiam aliorum le- „ ctione contracta, possint repellere, et „ ipsi nulla noverint irrogare. Ne quis au- „ tem iocundissimam hanc collectionem su- „ pervacaneam iudicet, ex supradictorum „ sapientum imitatione haec esse conscripta „ non nesciat: hoc de se in prooemio ope- „ ris sui sic confitente A. Gellio: sic usi „ autem sumus ordine rerum fortuito, quem „ antea in excerpendo feceramus „.

PARS I.

PARS II.

PARS III.

TOMUS IV.

PARS I.

PARS II.

TOMUS V.

TOMUS VI.

TOMUS VII.

Praeit tabula paleeographica, in qua specimen codicis Leontii, et codicis quo continetur doctrina Patrum de Verbi incarnatione.

Praefatio, propter Editoris novas occupationes, nonnisi brevissime scribi potuit, quum tamen argumenti amplitudo eam copiosissimam postularet. Est enim hic tomus theologiae thesaurus locuples, pretiosis Patrum reliquiis antehac ineditis refertus, p. V-VII.

Auctorum, qui in volumine appellantur, index p. VII-VIII.

Quia tamen index ille perexiguus est, neque Auctorum opera appellat, placet nunc in gratiam philologorum multo accuratiorem pleniuremque indicem hoic inserere.

INDEX AUCTORUM ET OPERUM

IN TOMO VII. LAUDATORUM.

PARS I.

TOMUS VIII.

Praefatio brevissima (ob dictas de illa pariter brevi tomi septimi causas) rationem docet novae editionis Chronicorum Eusebii, quorum liber primus ex armeniaco codice sumptus fuit. Nimirum quum eius operis duplex editio extaret, mediolanensis et veneta, non sine varietatibus ac defectibus aliquot, necesse fuit tertia editione, quae prioris utriusque bona coniungeret, naevos item utriusque deleret. Praeterea quum aegre ferret editor, partes ab Hieronymo olim additas, insignes atque praecleras, ab hoc Chronico, secundum Armenios edito, abesse; restituendas omnes in textum curevit, et quidem ope fultus vaticanorum codicum latinorum, qui secundi libri textum nova lectione donant. Postremo et romanorum consulum laterculum, quod in armeniaco codice deerat, suppletum est.

TOMUS IX.

TOMUS X.

PARS I.

PARS II.


ISTITUTO PER ... ORIENTALE
UNIVERSITA
ROMA



